





Fel. Krätzschmer lith.

CAR. FRIED. CHRISTIAN. WENCK.

[illegible] Lithographie, Leipzig

CAROLI FRIDERICI CHRISTIANI
WENCK

I. U. D. POT. SAX. REGI A CONSILIIS SUPREMAE CURIAE PROVINC. IURIS PATRII PROF. PUBL. ORD. ET ORD. ICT. LIPS. ASSESSORIS

OPUSCULA ACADEMICA

ADIECTIS

ORATIONIBUS INEDITIS

ET APPENDICIBUS

EDIDIT

FRID. CAROLUS GUST. STIEBER

L. U. D. POT. SAX. REGI ET SEREN. PRINCIPI REGNI SOCIO A CONSILIIS AULAE ET IUSTITIAE.

ACCEDIT AUCTORIS EFFIGIES.

LIPSIAE

IMPENSIS CAROLI CNOBLOCH

MDCCCXXXIV.

VIRO ILLUSTRI

CAROLO EINERT

I. U. D. POT. SAXON. REGI ET SEREN. PRINCIPI REGNI SOCIO
A CONSILIIS AULAE ET IUSTITIAE

FAUTORI ET COLLEGAE MULTIS NOMINIBUS COLENDO

QUINQUE

AB IMPETRATIS

SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS

LUSTRA

A. D. VIII. ID. MAI. MDCCCXXXII.

FELICITER PERACTA

PIE GRATULATURUS

HAS BEATI AMICI RELIQUIAS

OBTULIT

EDITOR.

PRAEFATIO.

Quemadmodum bonorum hominum memoriam sanctam habere et saepius recolere solemus, ita eorum inprimis, qui non modo virtute ac moribus, sed etiam rebus gestis, dictis scriptisve, dum vivebant, excelluerunt, reliquias, ne in oblivionem apud posteros abeant, studiose conquirere et conservare par est. Hoc in doctorum virorum scriptis contingit, academicis maxime, quae, ubi primum prodierunt, leguntur quidem a nonnullis, sed aut fines urbis non egrediuntur, aut, si quidem ulterius innotuerunt, acquiri tamen, quum a librariis vendi non soleant, vix possunt. Quid, quod fere solemne hodie est, ut suis quisque opusculis extremam manum adiiciat eaque in unum collecta in publicum edat? Quae res non parvum commodum offert. Auctori enim ipsi addere, demere, supplere, corrigere licet, quae ut intacta maneant et illibata, alius editor plerumque religiose curat, aut, si emendanda mutandave esse videt, accurate tamen id notare solet, ne quid auctori, quod ipsius non sit, obtrudi videatur. Has difficultates etiamsi probe sentirem, tamen tum mea in praeceptorem de me optime meritum ac vere dilectum pietate, tum precibus honestissimae viduae, quae amicis discipulisque beati coniugis hasce reliquias monumento esse voluit, factum est, ut ad eas colligendas atque edendas accingerer. Publicorum autem negotiorum mole quum ita obrutus essem, ut subsecivam tantum huic rei operam impendere liceret,

serius, quam optaveram, ad finem perveni. Qua quidem in re exemplo mihi, quod, licet non assequerer, sequerer tamen, fuit ipse Wenckius in edendis beati Hauboldi opusculis academicis.

Priusquam autem ea, quae in hoc libro continentur, exponam, de vita auctoris nonnulla praemittenda esse arbitror. Quamvis enim postremis demum annis cum eo esse mihi contigerit et uberior vitae descriptio a doctissimo viro Car. Christ. Caro Gretschel exspectanda sit, in libro: *Zeitgenossen* proditura, nolui tamen ea prorsus ab hoc volumine abesse, quae scirem in huiusmodi libris aegre desiderari. Noster autem quum vitae suae aliquam partem, primum a. MDCCCIII., quo inter philosophiae Doctores artiumque liberalium Magistros est receptus, ac rursus a. MDCCCIX., quo utriusque iuris Doctor factus est, exposuerit [a]), age ipsum audiamus de se loquentem. Quocirca priorem, quem diximus, locum, qui nobis quidem magis placet, elegimus, eique deinde, quae reliqua sunt, una cum librorum ab eo editorum indice adiiciemus.

„Natus sum Lipsiae d. V. Febr. a. CIƆIƆCCLXXXIV., patre Friderico Augusto Guilielmo, Seren. Princ. Elect. Saxoniae Consiliario aulico et Historiarum in hac Academia Professore, matre Iohanna Ludovica, Iohannis Christophori Schmidtii, Regiminis Principum Mansfeldicorum, Islebiae quondam constituti, Directoris, filia. Quos parentes nactum me esse inter summa providentiae divinae benefi-

---

a) In Io. Georg. Eccii progr. de rectae pronunciationis et actionis praestantia, Lips. 1803. 4. pag. XX—XXII. (unde petita sunt, quae in Eccii *Leipziger gelehrtem Tagebuche auf das Iahr* 1803. p. 16. sq. de Nostro leguntur,) et Henr. Godofr. Baueri progr. Respons. iur. CLXXIX. et CLXXX. Lips. 1809. 4. pag. 16—21. Praeterea breviter descripta legitur Wenckii vita apud Adolphum Martin *Iahrbücher der Gesetzgeb. und Rechtspflege in Sachsen*, vol. I. pag. 380—382. et in libro: *Neuer Nekrolog der Deutschen, Iahrg.* (1828.) *Ilmenau* 1830. 8. vol. II. pag. 457—459.

cia pono. Nam et ipsi me ad religionis et virtutis cultum exemplo et praeceptis finxerunt, et nullis in me educando vel curis vel sumtibus pepercerunt, eoque animum meum ita sibi devinxerunt, ut, si omnem vitam pietatis sensui verbis factisque declarando impendam, non ipsorum de me merita remunerari, sed officio tantum satisfacere videar. Non minima curae eorum pars in delectu moderatorum et praeceptorum pueritiae et adolescentiae meae conspicua fuit, cum eos elegerint, quibus meliores ne votis quidem expetere liceret. Nam sex annos nato Frid. Guil. Ehrenfr. Rostius praeceptor contigit, formandis ingeniis felicissimus, cuius institutione cum per quadriennium et quod excurrit uterer, a primis inde literarum elementis eo perductus sum, ut scriptores Romanorum veteres plerosque, maxime autem Virgilium, quem semper in deliciis habui, legere cum fructu possem, perceptisque linguae Graecae initiis, etiam in aliis artibus, quibus puerilis aetas imbui solet, non plane hospes essem. Hunc meritissimum amicissimumque virum, e parentum domo Plaviam evocatum, ut ibi regeret scholam patris olim doctrina illustratam, excepit alter Rostius, Aug. Gottlob Hoffmannus, iam insigne scholae Islebiensis ornamentum, qui ingenii facilitate multiplicique doctrina et singulari animi candore ita me cepit, ut eum etiam remotum ab hac urbe integerrimum amicum habeam atque colam. Hic cum intelligeret, voluntaria plurium studia aemulantium consociatione singulorum in literis progressus mirifice augeri, meis etiam et plurium amicorum precibus permotus, societatem quandam instituit adolescentum aetate et studiis aequalium, qui ipsius auspicio quotidie optimos antiquitatis Graecae et Latinae auctores legendo, praeterea disserendo, elaborando et oratiunculas habendo exercerentur, quo

saluberrimo consilio, quod per plures annos exsecuti sumus, amorem studiorum humanitatis cum dicendi scribendique facilitate magnopere auctum sensi. Inter haec optimus pater, ratus publicam institutionem utiliter cum privata coniungi, a. CIƆIƆCCXCVI. Thomanam scholam me adire iussit, in quam receptus ab eius Rectore, Iohanne Frid. Fischero, immortalis memoriae viro, cum hunc ipsum, tum Rostium meum, Conrectoris nomine Plavia Lipsiam revocatum, eorumque dignissimum collegam, Reichenbachium, peregregios praeceptores habui. Sub aestatis anni CIƆIƆCCC. initium contigit mihi, ut, absoluto vitae scholasticae curriculo, a pristino pueritiae meae moderatore, iam scholae Rectore, ex hac, oratione habita dimissus, ab ipso carissimo patre, Academiam eo tempore regente, in civium Academicorum numerum referrer. Hic cum iurisprudentiae, tam parentum quam mea voluntate, nomen dedissem, iuris autem vera scientia non detur, nisi quae solidis philosophiae, humanitatis et historiae fundamentis inaedificetur, in diversis philosophiae partibus Seydlitii et Platneri, in studiis humanitatis Beckii, (cuius benevolentia etiam in societatem philologicam, ipsius auspiciis florentem, receptus sum,) Hermanni et Cari, in historicis artibus patris, in physicis Hindenburgii praelectionibus interfui. Historiam naturalem a Ludwigio, mathematicas disciplinas privatissimis, quas vocant, lectionibus a Poetschkio, AA. M. accepi; disputandi et scribendi exercitia Brehmio duce institui. Iuris disciplinam adhuc a Bienero, Stockmanno, Hauboldo, cuius singulare in me patrocinium fuit, et Tillingio didici. Quorum praeceptorum doctrinam et industriam, uti verbis, animi testibus, aequare nequeo, ita nomina eorum, quamdiu vita superest, mihi sanctissima erunt. Altero abhinc anno, doctissimo et mihi amicissimo

viro M. Henr. Aug. Schotto socius fui in defendenda Comment. philol. aesthetica, qua Ciceronis de fine eloquentiae sententia examinatur et cum Aristotelis, Quinctiliani et recentiorum quorundam scriptorum decretis comparatur."

Praeter eos autem, quos nominavit, postea etiam Rauium, Erhardum, Keesium et Weissium de iurisprudentia, Arndtium de reditibus Saxoniae publicis et Leonhardium de rebus oeconomicis et cameralibus disserentes audivit. Anno huius seculi quarto primum edidit, at egregium, studiorum suorum specimen: *Divi Pii sive ad leges Imp. Titi Aelii Antonini commentarii* partem primam, quam moderante Hauboldo a. d. XX. m. Sept. defendit, simul patri diem natalem praemisso carmine latino gratulatus; nam poeticam quoque artem non infelici successu exercebat. Insequente anno non modo primam, qua Baccalaurei iuris dignitas impetratur, explorationem subiit, sed etiam alteram *Divi Pii* partem ad impetranda optima, quae dici solent, Magisterii iura in cathedra philosophorum publice defendit. Inde ab hoc tempore primum scholas philologicas, mox iuridicas aperuit, forensium quoque negotiorum usum atque experientiam sibi comparare studuit, et quae a futuro causarum patrono exiguntur, specimina praestitit. Superato deinde a. MDCCCVII. altero examine ac defensa pridie Kal. Febr. a. MDCCCIX. exercitatione iuris civilis *de traditione inter possessionis et proprietatis transferendae modum fluctuante,* a. d. XX. m. Febr. a ICtorum Lipsiensium Ordine summos utriusque iuris honores simul cum amico Car. Henrico Haase, iam Scabinatus Lipsiensis Assessore et nunc quum maxime in altera Ordinum provincialium Curia Praesidis vicario, impetravit. Neque vero humanitatis studia veteresque scriptores, ut saepe fit, neglexit, sed in explicandis et resti-

tuendis eorum operibus atque in arte poetica vires suas continuo exercebat. Utrumque testatur libellus, qui inter reliquias eius inventus est, eodem anno scriptus, quo continetur ad difficillimam Propertii, Nostro prae ceteris dilecti, elegiam Corneliae inscriptam, quae est libri quarti ultima, commentarius cum vernacula carminis versione, versibus hexametris composita; testantur etiam alia recentioris aetatis carmina et ad nonnullos Propertii locos commentatio, in Triga observationum ad iurisprudentiam elegantiorem facientium cap. II. edita. Tantum autem abfuit, ut hisce studiis a iurisprudentia avocaretur, ut non modo sequentis anni (MDCCCX.) initio ederet de encyclopaedia et methodologia iuris librum, rerum praestantia non minus, quam orationis elegantia insignem, et scholas tum de eadem, tum de aliis iurisprudentiae partibus, velut Institutionum et Pandectarum iure, institutas continuaret, sed praeterea etiam censendis aliorum libris vacaret; qua quidem in re quanta doctrina, iustitia et vero etiam humanitate usus sit, et numerosa huius generis scripta, quae infra enumerabimus, demonstrant, et ipsi interdum librorum auctores agnoverunt[b]). Nec defuit ei tam indefessi laboris praemium: professoris iuris extraordinarii munus, quod sub exitum anni MDCCCX. regio rescripto in eum collatum, exorta autem inter Ordinarium et Decanum Ordinis ICtorum de ea re controversia, sequente demum anno a. d. IV. Nov. susceptum est.

Gravissime autem quum afflictus esset optimi patris obitu, a. d. XV. m. Iunii a. MDCCCX. defuncti, vix duobus annis post, a. d. XXV. m. Aprilis a. MDCCCXII. Eduardum fratrem, mercatorem, amisit, novusque luctus ei exortus est unici, qui prae-

---

b) E. g. Io. Christ. Frid. Meister in Ephem. lit. Lips. 1811. Intell. Bl. num. 7. pag. 97. sq.

ter duas sorores supererat quemque in deliciis habebat, fratris Guilielmi morte, qui, naturae et inprimis rei mineralogicae studio deditus et celeberrimi Werneri institutione formatus, cum in eo esset, ut priorem *de dominio partium metallicarum* exercitationis partem praeside fratre defenderet, febri nervosa, tum Lipsiae grassante, correptus a. d. II. m. Nov. a. MDCCCXIII. obdormivit. Huic fraterni amoris monumentum posuit in epilogo ad Wernerum, illi dissertationi a se editae adiecto. Noster autem, eodem, quem modo dixi, anno supremae Curiae provinciali Lipsiensi adscriptus et a. MDCCCXVII. Academiae Syndicus creatus, iura, quae in scholis discipulos suos docebat, etiam ad vitam transferre iudicisque officio fungi coepit. Hoc fere tempore quum forte fortuna incidisset in librum manu scriptum, in quo rarissimum Vacarii opus deprehendebat, illius historia operisque rationibus diligenter indagatis librum edidit, cui iustus doctorum virorum plausus non defuit. Primo et vigesimo huius seculi anno ordinariam iuris naturae et gentium professionem, novae, ut tum quidem vocabatur, fundationis, nactus, tribus annis post, defuncto a. d. XIV. m. Mart. Hauboldo tum in docendi iuris patrii munere et ordinaria antiquae fundationis professione, tum, deposito Syndicatu Academico, in Ordine ICtorum successit. Gravissima ei vulnera intulit hic annus, quo praeter immortalem praeceptorem optimam etiam matrem, a. d. XXIII. m. Maii rebus humanis exemtam, lugebat. In tanto luctu solatio ei quodammodo erat lectio memorabilium illorum antiqui iuris fragmentorum, quae ab A. Maio, Peyrone et Clossio e bibliothecarum pulvere situque eruta et tum commodum in lucem edita erant. Haec, uti paucis annis ante Gaii commentarios, non modo summa voluptate ac diligentia legebat, sed iis

etiam, ubi mendosa et lacunosa essent, emendandis et restituendis operam dabat, cuius studii eximios fructus mox proposuit partim in annalibus rei literariae Lipsiensibus [c]), partim in nova priorum quinque Theodosiani Codicis librorum editione. Eodem tempore Hauboldi opuscula minora in unum collecta doctissimaque praefatione instructa edere coepit, maiora quoque, velut librum de fontibus, hermeneutica et critica iuris Romani nec non monumenta legalia, editurus [d]), nisi praematuro fato fuisset ipse abreptus. Perniciosus enim morbus anno MDCCCXXVIII. Plagwitii ad Lipsiam, ubi, quum equestre ipsius praedium, Schenkenberga prope Delitium, remotius esset, villam conduxerat, in qua per aestatem illius anni habitaret, tam vehementer eum corripuit, ut post paucos dies, a. d. VI. m. Iunii, in summum familiae, amicorum et discipulorum luctum, succumberet. Viduam reliquit, Ioannis Gottlob Haasii, quondam Anatomiae Professoris, filiam, illius, quem antea nominavi, sororem, egregiam feminam, quacum felicissimas nuptias anno huius seculi decimo tertio contraxerat, et septem liberos, quatuor filias filiosque tres: Woldemarum, Rudolphum et Herrmannum, e quibus filius natu minimus, vix septennis, a. d. II. m. Maii a. MDCCCXXIX. et filia minima a. d. XVIII. m. Febr. a. MDCCCXXX. patrem secuti sunt. Qui si mea laude indigeret, commemorarem probum candidumque animum, morum castitatem, veri iustique amorem, singularem bonarum literarum

---

c) *Neue Quellen des Röm. Rechts*, in Ephem. lit. Lips. 1824. num. 173. 174. (de Vaticanis fragmentis eorumque editione Romana, Parisiensi et Berolinensi,) et ibid. num. 236—239. (de Theodosiani Codicis fragmentis a Peyrone et Clossio editis.)

d) Cf. Eius *Vorläufige Nachricht über Christian Gottlieb Haubolds literarischen Nachlass*, in Ephem. lit. Lips. 1824. num. 235. vol. II. p. 1873—1879.

scientiam, in scribendo dicendoque elegantiam, denique iunctam his virtutibus, rariorem hodie, modestiam, summum viri docti ornamentum. Tanta in eo erat alienae virtutis aestimatio et virorum de literis bene meritorum observantia, ut his impune contumeliam inferri non pateretur. Exemplo est acerrima illa historiae iuris Romani a Schweppio editae censura et inde nata cum hoc controversia [e]). Ipse autem ubi ab adversariis petebatur, singulari quadam animi tranquillitate sese defendebat. Quaecunque ei bene gesta esse videbantur, laudare, quae male, palam vituperare non detrectabat [f]). In libris raris colligendis magnam et operam et pecuniam collocabat, quare bibliotheca non tam multis, quam pretiosis libris, imo etiam scriptis codicibus insignis ab eo relicta est, cuius praecipuos thesauros ex indice post mortem possessoris confecto enumerare liceat. Ac ceteris quidem libris manu scriptis omnibus antecellit Vacarii codex, quem in peculiari libro uberius descripsit [g]). Deinde: Institutionum libri IV., in fine: *Ao. Dom.* MCCLIX [h]); duo Digesti Novi codices; Novellae Iustiniani (v. pag. 349.); Speculum Suévicum; denique Consultationes Constitutionum Saxonicarum a. MDLXXII. [i]). Inter libros typis expressos commemoranda inprimis est antiqua novem librorum Codicis Iustinianei editio, quam ipse describit in Ephem. lit. Ien. [k]), item Institutionum s. l. et a., in fine: *Institutionum opus cura summa atque diligentia castigatum*

---

e) Vid. paulo inferius num. 37.

f) Cf. *Etwas über die Burschenschaft in Leipzig*, in d. *Allg. Anzeiger der Deutschen* 1819. num. 137. vol. I. p. 1466—1469. — *Rüge* ibid. 1823. num. 40. vol. I. p. 421. sq. — *Nachträgliche Bemerkungen zu dem Aufsatze: über die Darmstädter Verordnung wegen Fleischesvergehen*, ibid. 1823. num. 75. vol. I. p. 829—831.

g) Magister Vacarius etc. pag. 62—65.

h) Cf. SCHRADERI Prodromus Corp. iur. civ. p. 48. num. LXVIII.

i) V. infra p. 244. sqq. 261. sqq.

k) Ephem. lit. Ien. 1818. vol. I. p. 64. (v. infra p. 373.)

finit, folia CII continens[l]), aliaeque seculi XV. et ineuntis XVI. editiones, velut Digestum Vetus per Bapt. de Tortis, in fine: Venetiis MCCCCLXXXXIIII. d. ult. Oct. fol., Infortiatum, ib. MD. d. XVII. Mart., Digestum Novum, ib. MCCCCLXXXXIIII. d. XXIII. Dec. et aliud ib. MCCCCLXXXXVIII. d. XII. Febr.; Codicis novem libri, ib. MCCCCLXXXXV. fol. et aliud exemplar, initio et fine mutilum, sed praecedenti simile. — Volumen cum casibus Bartoli et Angeli, in fine: Impressum per Magistr. Nic. de Benedictis, a. MDII. d. XVII. Aug. (v. p. 384.) — Institutiones per Thilemannum Keruer d. XII. April. MDIX. 4. et prima earum versio Germanica: *Instituten, ein wahrer ursprung und fundament*, etc. Basileae MDIX. 4. item Gobleri versio a. MDLXV. et MDLXX. 8. — Institutiones, Paris. ap. Cl. Chevallonium, MDXXVI. 4.[m]). Codicis libri novem ap. eund. eod. a. 8. (v. p. 385.) — Haloandri editiones MDXXIX —MDXXXI. (in his Novellarum volumen, eo insigne, quod ab ipso Haloandro Erasmo Ebnero, adolescenti Norimbergensi, dono datum idque manu donatoris in fronte libri notatum est;) — Digestum Vetus, Lugd. per Fr. Fradinum, imp. Aymonis de Porta, MDXVIII. d. III. Iul. fol. (v. p. 384. in fin.) Codicis libri novem ibid. MDXXXV. m. Aug.[n]). Iidem ib. MDXXXVIII. m. Febr. fol.[o]). — Infortiatum, ib. ap. Hugonem et hered. Aym. a Porta, MDXLI. (v. p. 387. sub fin.) Novellae etc. ib. MDXLVII. et Institutiones ib. MDXLVIII. (v. p. 395.) Codicis no-

---

l) SPANGENBERG *Einl. in d. Röm. Iustinian. Rechtsbuch* p. 928. n. 6., SCHRADERI Prodr. p. 159. n. XLIV.

m) V. infra p. 385., SCHRADERI Prodr. p. 161. num. LXXI. Eiusque splendidam, quae nuper prodiit, Institutionum editionem, primum immensi laboris fructum, praef. p. XIV.

n) Apud SPANGENBERGIUM p. 766. num. 159. d. pro 1536. legendum: 1535. et nota 386. pro 755[b]. ponendum: 755[c].; similiter nota 383. pro 191. scribendum: 791., et nota 384. pro 526. 791. b. corrige: 528. 791. c.

o) Haec editio a SPANGENBERGII indice abest. V. p. 387.

vem libri ib. MDLVIII. fol. et aliae multae iuris Iustinianei (cf. e. g. p. 386.) nec non iuris Anteiustinianei editiones fere omnes, in quibus Cuiaciana a. MDLXXXVI. propterea memorabilis, quod nomen Cuiacii in titulo habet expressum[p]). Deinde Sextus liber Decretalium, cum apparatu Io. Andreae, Venetiis MCCCCLXXXV. Decretales Gregorii IX. In fine: impr. Venetiis imp. et dilig. Thome de Blanco de Alexandria ao. sal. MCCCCLXXXVI. d. VIII. Dec. Constitutiones Clementis V. una cum app. Io. Andreae. Decretales extravagantes ib. eod. anno. 4. Speculum Saxonicum, ex rec. Theod. de Boxdorff, Aug. Vindel. MCCCCLXXXI. fol. — Hos igitur thesauros emtione acquisitos nunc tenet bibliotheca Academiae Petroburgensis, ante paucos annos constitutae. —

Superest, ut librorum a Nostro editorum indicem adiiciamus. Sunt autem hi:

1. Divus Pius sive ad leges Imp. Titi Aelii Antonini Pii A. Commentarius. Spec. I. Praeside Christiano Gottlieb Hauboldo Lipsiae a. d. XX. Sept. a. MDCCCIV. defensum. 91 pagg. 4. (Praecedit carmen gratulatorium ad patrem.)
2. Divus Pius sive ad leges Imp. Titi Aelii Antonini Pii A. Commentarius. Libellus II. quem

---

p) Ipse hoc observat WENCKIUS in Ephem. lit. Lips. 1824. num. 239. vol. II. p. 1911. nota*) his verbis: *Bei dieser Gelegenheit bemerkt Rec., dass sein Exemplar der Pariser Ausgabe von* 1586. *den Namen des Cuias deutlich auf dem Titel hat. Hinter den Worten nämlich: Omnia ex veteribus libris auctiora aut emendatiora, womit bei Hugo (Index edd. fontium Corp. iur. civ. p.* 163. *der Ausg. des Paulus) und Haubold* (*Institutt. iur. Rom. lit. p.* 239.) *der Titel schliesst, stehen in einer eignen kürzern Zeile noch deutlich die Worte gedruckt: curante Iac. Cuiacio. Es muss aber dieser ursprüngliche Titel nachher mit Weglassung der kleinen Zeile umgedruckt worden sein, weil Cuias, aus unbekannten Gründen, seinen Antheil an dieser Ausgabe verheimlichen wollte, worauf auch andere Umstände, die Hugo (a. a. O. p.* 164.) *anführt, hindeuten.*

Ampl. Philosophorum Ordinis auctoritate a. d
XXI. Sept. MDCCCV. socio Carolo Friderico Guen
thero defendit. 86 pagg. 4.

3. De traditione inter possessionis et proprietati
transferendae modum fluctuante. Exercitati
iuris civilis, pro summis in utroque iure hono
ribus rite capessendis pridie Kalendas Febr
a. MDCCCIX. defensa. 65 pagg. 4. — (Cf. Savig
nii *Recht des Besitzes* ed. IV. p. XXXVIII. sq
num. 39., *Heidelberg. Iahrbb. der Lit. Abth. II
Für Iurisprud. u. Staatswiss. Iahrg.* 3. (1810.
p. 331—334. et Auctor in Ephem. lit. Lips
1811. Intell. Blatt num. 3. p. 40—43.)

4. *Lehrbuch der Encyclopädie und Methodologi
der Rechtswissenschaft. Leipzig* 1810. XIV
et 362 pagg. 8. — (Cf. *Heidelb. Iahrbb.* l. l
p. 289—395. et Auctoris *Bemerkungen gegen
die Recensionen meines Lehrbuchs der En
cycl. der Rechtswiss. und meiner Abhandl. de
traditione*, etc. in Ephem. lit. Lips. 1811. In
tell. Blatt num. 3. p. 32—40.)

5. Indicum Corporis iuris civilis supplementum
Ad indicendas commilitonum humaniss. supe
capitibus iuris controversi disputationes Ill
ICtorum Ordinis auctoritate se praeside ha
bendas scripsit etc. Lipsiae MDCCCXI. 60 pagg
8. min. — (Cf. Hugo in *Gött. Gel. Anz.* 1813
num. 148. p. 1487. sq. et in Eius *Beiträgen
zur civilist. Bücherkenntniss der letzten vier
zig Iahre* Vol. II. p. 166. sq.) q).

---

q) Iocosi libelli: *Speculum Iacoborum, zu Deutsch: Der Iacobsspiegel, sive de claris Iacobis Iureconsultis brevis narratio, qua Ioa. Iacobo Keesio summos in utroque iure honores a. d.* XV. *Aug.* CIƆIƆCCCXI. *rite cappessendos gratulantur Christ. Frid. Eberhard I. U. D., Carolus Frid. Christ Wenck, I. U. D., Carolus Henr Haase, I. U. D. Lipsiae, impressit Carolus Tauchnitz*, 8. auctor est CAR. HENRICUS HAASE, idem cuius iam antea memini.

6. Bernhardi Henrici Guilielmi Wenck de dominio partium metallicarum exercitationis iuris metallici Saxonici pars I. cathedrae iuridicae destinata. Post obitum auctoris brevi epilogo instructa a fratre C. F. C. Wenck. Lipsiae, prostat ap. Car. Tauchnitz. MDCCCXIV. x et 84 pagg. 4. (Editoris est: Ode ad Fratrem p. IX. sq. et ad Virum Ill. Abrahamum Gottlob Werner epilogus p. 73—84., vitam fratris continens.)[r]
7. De verborum significatione Tituli Pandectarum et Codicis. In usum praelectionum quam fieri potuit emendatissime editi. Lipsiae MDCCCXV. 43 pagg. 8.[r]).
8. Magister Vacarius, primus iuris Romani in Anglia Professor. Exercitatio historico-iuridica, qua orationem aditialem professionis iuris extraordinariae causa d. XXIV. m. Martii a. MDCCCXIX. habendam indicit etc. Lipsiae 52 pagg. (Est sequentis operis pars.)
9. Magister Vacarius, primus iuris Romani in Anglia Professor, ex annalium monumentis et opere accurate descripto illustratus, iuris Romani in Bononiensis scholae initiis fortunam illustrans, emendationem, interpretationem hodiernam iuvans. Lipsiae MDCCCXX. 338 pagg. 8. — (Cf. Chr. Dan. Beckii *Allgem. Repert. der Lit.* 1821. vol. I. p. 401. sq.[s]) E. Spangenberg in *Gött. Gel. Anz.* 1821. num. 102. p. 1009 —1012. Add. Savigny *Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter*, vol. IV. p. 348.)
10. Oratio de iuris naturae in studio iuris civilis usu nunc sine ratione spreto, habita d. XXIV. m. Martii a. MDCCCXIX., nunc excursibus quibus-

r) Hic libellus publice venditus non est, quare nec in SPANGENBERGII et BECKII indicibus commemoratur.

s) Falso ibi *Summam* appellari Vacarii opus, auctor in suo libro notavit.

dam aucta. Lipsiae MDCCCXXI. 113. pagg. 8
(Excursus I. De restauratione politices a Car
Lud. de Haller tentata. II. De iuris natura
notione et ambitu. III. De civitate quatenu
conventione nitatur.)

11. *Festrede bei der Feier des 600jährigen Jubel festes der Thomasschule zu Leipzig*, in *Friedr Wilh. Ehrenfr.* ***Rost*** *die Feier des 600jähri gen Bestehens der Thomasschule zu Leipzig veranstaltet durch eine Vereinigung ehemalige Zöglinge derselben am* 7. *Mai* 1822. *Leipzi* 1822. 4. S. 15—26.

12. *Die Criminalprocedur, wie sie nicht seyn sol In einer streng chronologischen Darstellun des sechsjährigen Verfahrens gegen Peter An ton Fonk nachgewiesen von Dr. C. F. C. Wenck Nebst einem Anhange über den Thatbestand i einem Sendschreiben an den Herausgeber, vo Dr. I. C. A. Clarus. Leipzig* 1823. L et 282 pp. 8 (Cf. Beckii Repert. 1824. vol. I. pag. 81. sq.)

13. *Anrede an seine Zuhörer in den Vorträgen übe die Geschichte des Römischen Rechts am Tag nach Haubolds Tode, dem* 15. *März* 182 *gehalten von* etc. *Beigefügt ist ein Verzeich niss der Hauboldschen Schriften. Leipzig* 182 32 pagg. 8. (Cf. Eius *Literarische Bemerkun gen über Haubold's Schriften*, in Ephem. li Lips. 1824. num. 106. vol. I. p. 843 — 84 Hugo in d. *Gött. Gel. Anz.* 1824. num. 57 p. 566—568. et in *Beiträgen zur civilist. Bu cherkenntn.* vol. II. p. 601—603.)

14. Codicis Theodosiani Libri V priores, recogno vit, additamentis insignibus a Walthero Fr derico Clossio et Amedeo Peyron repertis aliis que auxit, notis subitaneis tum criticis tu exegeticis nec non quadruplici appendice in struxit etc. Lipsiae MDCCCXXV. XXVIII et 41

pagg. 8. — (Cf. *Hall. A. L. Z.* 1826. *Erg. Bl.* num. 55. p. 439. sq., E. Spangenberg in *Gött. Gel. Anz.* 1826. num. 24. p. 161—163., Schrader *Krit. Zeitschr. f. Rechtswiss.* vol. I. p. 146—151. et inprimis Aug. Guil. de Schroeter in libro: *Hermes oder krit. Iahrb. der Literatur*, vol. XXV. p. 345—359., adversus quem sese defendit auctor in Ephem. lit. Lips. 1826. num. 61. p. 484—486. et num. 136. p. 1081—1087. vol. I.)

15. Christian Gottlieb Haubold Opuscula Academica, ad exempla a defuncto recognita partim emendavit, partim auxit orationesque selectas nondum editas adiecit etc. vol. I. Lipsiae MDCCCXXV. LXXI et 717 pagg. — vol. II. ibid. MDCCCXXIX. CLXXII et 972 pagg. 8. cum tribus tabb. — (Cf. *Hall. A. L. Z.* 1826. *Erg. Bl.* num. 83. p. 663. sq. et 1830. num. 165. vol. III. p. 36—39., Schunckii *Iahrbb. der gesammten deutschen jurist. Lit.* vol. I. p. 257—263.)

16. Observationum ad iurisprudentiam elegantiorem facientium triga. Diss. pro loco in Ill. Ordine ICtorum obtinendo, socio Car. Lud. Kohlschuettero a. d. XXII. m. Sept. a. MDCCCXXV. defensa. 29 pagg. 4.

17. Ad historiam Constitutionum Augusti Electoris Saxoniae symbolae. Progr. professioni iuris patrii a. d. XXIV. m. Sept. a. MDCCCXV. solemni oratione adeundae editum. 18 pagg. 4.

18. Ad Constitutiones Saxonicas XVI. et XXXII. P. III. Observationes. Progr. ad indicenda solemnia inauguralia Caroli Gustavi Ulbricht a. d. XXV. m. Iul. a. MDCCCXXVI. editum. 16 pagg. 4.

19. *Festrede bei der funfzigjährigen Stiftungsfeier der Harmonie*, *am* 3. *Decbr.* 1826. *gehalten* etc. *Manuscript für Freunde. Leipzig* 1826. 12 pagg. 4.

20. Observationum ad elegantiorem iurisprudentiam facientium caput IV. De pia causa in eodem testamento et constituta et ad hereditatem vocata. Progr. indicendis solemnibus inauguralibus Caroli Godofr. Ludov. Mertens a. d. XXI. m. Aug. a. MDCCCXXVII. editum. 20 pagg. 4.
21. *Beitrag zur rechtlichen Beurtheilung des Städelschen Beerbungsfalles. Leipzig* 1828. 50 pagg. 8.

His accedunt orationes quatuor, quae nunc primum prodeunt:

22. De mysticismo Iurisconsultorum. Oratio adeundae professioni iuris patrii ordinariae a. d. XXIV. m. Sept. a. MDCCCXXV. habita.
23. De coniungendis iuris et eloquentiae studiis oratio, habita in solemni inauguratione Franc. Theod. Hauschildi, Dresdani, a. d. XXI. m. Dec. a. MDCCCXXVI.
24. De Ioanne Adamo Gottlieb Kindio, ICto eximio. Oratio habita in solemnibus inauguralibus Caroli Theodori Kindii, illius ex fratre nepotis, a. d. XXXI. m. Iul. a. MDCCCXXVII.
25. De Rege Patrefamilias. Oratio habita in solemnitate inaugurali Frid. Caroli Gust. Stieberi a. d. VIII. m. Nov. a. MDCCCXXVII.

Bachii historiam iuris Romani denuo edendam quum suscepisset, tanto eruditionis et rei literariae apparatu eam exornare coepit, ut insigne exstiturum fuisset Germanicae doctrinae et assiduitatis specimen, nisi, consilio mutato, ab incepto isto discessisset, ita ut septem tantum plagulae typis excusae sint. Denique schedae, quae in Indicum Corporis iur. civ. supplemento p. 35. (nobis p. 204.) commemorantur, nec editae unquam sunt, nec inter reliquias inventae.

Praeterea autem non paucas scripsit librorum tum ab aliis, tum vero etiam a se ipse ditorumo

censuras, in annalibus literariis dispersas, quarum pleraeque in Ephemeride literaria Lipsiensi continentur; eminet autem inter omnes ea, quam de Spangenbergii libro: *Einleitung in das Römisch-Iustinianeische Rechtsbuch* etc. Novellis literariis Ienensibus inseruit, in quibus num plura sint ab eo scripta, quamvis sciscitatus, comperire tamen non potui. — Quae quidem censurae quum non tantum indices librorum, ut saepe fit, referant, sed proprias et egregias de diversis rebus observationes comprehendant, oblivioni eximendas esse ratus sum. Itaque investigandis iis operam dedi, quarum series, quatenus eas indagare potui, continuatis numeris, haec est:

26. *Ioh. Chr. Friedr. Meister Vorerkenntnisse und Institutionen des positiven Privatrechts. Züllichau* 1810. 8. in Ephemeride literaria Lipsiensi a. 1810. num. 97. vol. III. p. 1537—1547. (Cf. Meisteri *Nicht Antikritik, sondern Bekenntniss eines Versehens u. Anzeige einiger Druckfehler*, ibid. 1811. Intell. Bl. num. 7. p. 97. sq.)
27. *Ioh. Chr. Friedr. Meister Ueber den Eid nach reinen Vernunftbegriffen; eine ... gekrönte Preisschrift. Leipzig u. Züllichau* 1810. 4. — Ibid. 1811. num. 5. vol. I. p. 75—80.
28. 1) *Georg Henrici Ideen zu einer wissenschaftlichen Begründung der Rechtslehre. Hannover u. Pyrmont* 1810. 8. 1r *u.* 2r *Th.* 2) *Ioh. Gebhard Ehrenr. Maas Grundriss des Naturrechts zum Gebr. bei Vorlesungen. Leipzig* 1808. 8. 3) *Ioh. Chr. Fr. Meister Lehrbuch des Naturrechts. Frankf. a. d. O.* 1809. 8. in Ephem. lit. Lips. 1811. num. 31—34. vol. I. p. 481—536.
29. *Theod. Max. Zachariae Versuch einer Geschichte des Röm. Rechts. Hannover u. Leipzig* 1814. 8. —Ib. 1814. n. 84. vol. I. p. 665—672.

30. *Gottlob Ernst Schulze Leitfaden der Entwickelung der philos. Principien des bürgerl. und peinl. Rechts. Göttingen* 1813. 8. — Ibid. 1814. num. 142. 143. vol. I. p. 1129 — 1143.
31. *Ignaz Rudhart Encyclopädie und Methodologie der Rechtswissenschaft. Würzburg* 1812. 8. — Ibid. 1814. num. 195. vol. II. p. 1553 — 1560.
32. *Ernst Spangenberg Einleitung in das Römisch-Iustinianeische Rechtsbuch oder Corpus iuris civ. Romani* etc. *Hannover* 1817. 8. in Ephem. lit. Ienensi 1818. num. 6 — 11. vol. I. p. 41 — 83. subiectis siglis: A — s. V — s.
33. *Ioh. Adam Gottlieb Kind Ueber die Bildung juristischer Staatsdiener. Leipzig* 1818. 8. in Ephem. lit. Lips. 1818. num. 94. vol. I. p. 745 — 750.
34. *Ioh. Friedr. Eusebius Lotz Civilistische Abhandlungen zur Berichtigung einiger Punkte der Processtheorie und Gesetzgebung. Coburg u. Leipzig* 1820. 8. — Ibid. 1821. num. 170. vol. II. p. 1353 — 1359.
35. Magister Vacarius, primus iuris Romani in Anglia Professor...... studiis Car. Frid. Chr. Wenck. Lipsiae 1820. 8. — Ibid. 1821. num. 273. 274. vol. II. p. 2180 — 2190.
36. Rogerii Beneventani de dissensionibus Dominorum sive de controversiis veterum iuris Rom. interpretum, qui Glossatores vocantur, opusculum. Emendatius edidit etc. D. Christ. Gottlieb Haubold. Lipsiae 1821. 8. — Ibid. 1821. num. 274. vol. II. p. 2190 — 2192.
37. *Albrecht Schweppe Römische Rechtsgeschichte und Rechtsalterthümer, mit erster vollständ. Rücksicht auf Gaius. Göttingen* 1822. 8. — Ibid. 1823. num. 24 — 26. vol. I. p. 185 — 204. (Cf. Schweppii *Erklärung* ibid. num. 121. vol. I. p. 965. [etiam in Ephem. lit. Hal. num.

95. vol. I. p. 760. et Ien. Intell. Bl. num. 22. p. 174. sq.] et Nostri *Gegenerklärung* ibid. p. 965. sq.)

38. Io. Ernesti a Globig Censura rei iudicialis Europae liberae, praesertim Germaniae, novis legum exemplis illustrata. Pars I. generalis, Lipsiae 1820. 8. Pars II. specialis, Dresenae 1822. — Ibid. 1824. num. 127. 128. vol. I. p. 1009—1019.

39. *Neue Quellen des Römischen Rechts*: 1) Iuris civilis Anteiustinianei reliquiae ineditae etc. curante Ang. Maio. Romae 1823. 8. 2) Vaticana iuris Romani fragmenta, Romae nuper ab Ang. Maio detecta et edita etc. Parisiis 1823. 8. 3) Iuris civ. Anteiust. fragmenta Vaticana. E cod. palimps. eruit A. Maius. Romae et Berolini 1824. 8. — Ibid. 1824. num. 173. 174. vol. I. p. 1377—1392.

40. Alex. Aug. de Buchholtz Diss. inaug. ad Orat. Divi Severi de potioribus nominandis, Regiomonti 1824. 8. et Henr. Eduard. Dirksen Progr. Commentatio de vi ac potestate verbi Veteres in iure Romano. Regiomonti 1824. 4. — Ibid. 1824. num. 174. vol. I. p. 1390—1392.

41. *Neue Quellen des Römischen Rechts*: 1) Codicis Theodosiani fragmenta inedita, ex cod. palimps. bibl. Reg. Taurin. Athenaei in lucem protulit atque illustr. Amedeus Peyron. Augustae Taurinorum 1824. 4. 2) Theodosiani Codicis genuini fragmenta. Ex membranis bibl. Ambros. Mediol. nunc primum edidit Walterus Frid. Clossius. Tubingae 1824. 8. — Ibid. 1824. num. 236. 237. 238. 239. vol. II. p. 1881—1912.

42. *Ultra-Literatur über Römische Geschichte (Histoire Romaine, par A. E. de Zinserling,*

T. I. à Varsovie 1824. 8.) — Ibid. 1825. num. 7. 8. vol. I. p. 49 — 59.

43. Codicis Theodosiani libri V priores. Recogn. etc. Car. Frid. Chr. Wenck. Lipsiae 1825. 8. — Ibid. 1826. num. 136. vol. I. p. 1081 — 1087.

44. *C. A. den Tex en I. van Hall, Bydragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving, voor den Iare* 1826. *Amsterdam* 1826. 8. — Ibid. 1826. num. 136. 137. vol. I. p. 1087 — 1095.

Accedimus nunc ad singula, quae hoc volumine continentur, recensenda. Recepta autem sunt inprimis ea, quae academicam habent originem, h. e. dissertationes, programmata et orationes academicae, omissis tamen, quae aut apud librarios venduntur, velut oratio *de iuris naturae in studio iuris civilis usu nunc sine ratione spreto* (num. 10.), aut maioris operis partem constituunt, in quo numero est programma: Magister Vacarius etc. (num. 8.). Quum vero, ut dixi, non contemnendum sit illud a Nostro scriptorum genus, quod in censendis tum aliorum, tum suis ipsius libris versatur, in annalibus rei literariae quasi sepultum, ex hoc quoque genere nonnulla, inprimis ea, quae ad iuris Romani historiam literariam et fontes recens inventos spectant, una cum supplementis quibusdam ad Vacarium, ab auctore suo exemplo adscriptis, in huius libri appendice collocanda curavi. Constitueram ab initio etiam libellum recipere, quem supra (p. x.) dixi interpretationem et commentarium ad elegiam Propertianam ultimam exhibere; sed quum non omnibus numeris absolutum sit hoc opusculum, et metuendum esset, ne in nimiam molem liber excresceret, ab hoc consilio discessi. Ceterum quae hic illic a me sunt adnotata, uncinis inclusa facile dignoscuntur. Denique commodo lectorum, qui in aliis libris ex his Nostri scriptis aliquid allegatum invenirent, ut prospicerem, in iis,

quae iam antea edita fuerunt, paginarum primae editionis numeros interiori margini adscribendos curavi, indices quoque legum et rerum adieci.

Primum igitur et secundum locum obtinet *Divus Pius* sive ad leges Imp. Titi Aelii Antonini Pii Commentarius, cuius duae tantum, quod magnopere dolendum, particulae prodierunt, eas Antonini Pii leges, quae ad servos spectant, illustrantes. Difficillimam rem aggressus est auctor in doctissima illa, quae ipsi commentario praemissa est, dissertatione *de nominibus Antoninorum in iure civili obviis, et praesertim de ratione, qua Antoninus Pius a reliquis distingui possit*, quod argumentum postea ex professo tractavit Frid. Kaemmerer [a]), tetigerunt etiam Guil. Ant. Henr. Dittmar [b]) et Sigism. Guil. Zimmern [c]). In qua quidem re quum alia ab ipso auctore in *Indicum Corporis iuris civilis supplemento*, quo Kaemmerer usus non est [d]), alia ab hoc et Dittmaro Zimmernioque accuratius definita sint, ea partim suis locis adnotavimus, partim paulo uberius hic disputanda nobis reservavimus. Est autem haec, quae in discernendis plurium Imperatorum, qui Antonini nomine usi sunt, constitutionibus versatur, disputatio inter difficillimas historiae iuris Romani quaestiones. Veteres enim ICti quamvis plerumque in discernendis legum auctoribus summam diligentiam adhibere soleant, nec ullo modo admitti possit, quod censor Kaemmereri statuit [e]), eos in allegandis Imperatorum constitutionibus, quas suis lectoribus satis cognitas scirent, minus accurate versatos esse, quum potius, ne in se

a) *Beiträge zur Geschichte und Theorie des Röm. Rechts. Rostock und Schwerin* 1817. 8. num. I. pag. 1—182. De hoc libro cf. Ephem. lit. Ienens. 1818, num. 117. 118. vol. III. pag. 17—27.

b) Diss. inaug. de nomine, aetate, studiis ac scriptis Gaii ICti Romani. Lips. 1820. 4.

c) *Geschichte des Röm. Privatrechts bis Iustinian. Heidelb.* 1826. 8. vol. I. pag. 184. sq. not. 8. 9.

d) Cf. Praef. libri cit. pag. IX.

e) L. l. pag. 20.

T.
8.
43. Co
et
Il
44. C.
I.
1
1

conti
prin
diss
cae.
dun
civ
ma
est
Qu
N
ru
li
n
I

probrium coniic
rent, tamen compl
us impediti. Ta
doctis tractata
reducta est, ut cogni
cuius constitutioni
definire possimu

en in libris iuris civi
Caracallae tribui con
dam improbat, qui, ubi
Antoninus laudatur, ib
toninus, ibi vel Pium ve
putant; sed nec eos pro
ubi Antonini nomen no
, ad Pium referunt, im
iusque ICti aetatem atqu
anam Divum ille tanqua
eodem tempore regnantem
erit; neque tamen in ho
ICtos, interdum, sed raro
Imperatorem vocantes. M
is libris nusquam, nisi ub
onem esse posse confestin
Antoninum vel Imp. Antoni
Pium, aut Caracallam sub ho
ibris Ulpiani Pium Imp. Anto
telligendum, sed cum fere ubi
Aurelium constanter Divi Marci
ubivis Imp. Antonini nomin
vero, licet mortuum, tamen, n
frequentior repetitio fastidi
simpliciter Imperatorem, et i
ani ex libris ad edictum fragmen
toninum vocari, scriptos enim ess

in possess. legator. XXXVI. 4.

hos libros mortuo Caracalla; reliquos Ulpiani locos, in quibus Divus Antoninus inveniatur, potius Pio esse vindicandos, qua tamen sententia postea mutata Caracallam in his quoque locis intelligi voluit[g]).

Kaemmerer contra, qui singulos Imperatores, quibus Antonini nomen a ICtis tribuitur, diligenter recensuit, circa aetatis cuiusque ICti indagandae necessitatem omnino cum Nostro consentit, sed M. Aurelium nusquam simpliciter Antoninum vel Imp. Antoninum dici et hoc nomen adeo in Papiniani, Pauli et Rufini libris ad Pium esse referendum, prorsus negat, nec concedit, apud Ulpianum Divum Antoninum aut de Pio, aut de Caracalla accipiendum, et Ulpiani ad edictum libros post Caracallae mortem scriptos esse. Ipse autem has regulas proposuit:

1. *Pium* ab iis tantum ICtis, qui eo imperante floruerint, licet ei superstitibus, neque vero ab eorum aliquo, qui postea scripserint, nisi ubi nulla de eo possit dubitatio esse, Antoninum simpliciter appellari, Divum Antoninum nonnisi ab iis, qui ei supervixerint aut qui imperante Marco, non ab iis, qui post Marcum scripserint, nisi rursus de eo dubitari nequeat[h]).

2. *Marcum* non modo ab his ICtis, qui eo imperante, sed ab iis etiam, qui usque ad Septimii Severi obitum, neque vero ab his, qui imperante Caracalla floruerint, nisi ubi res perspicua sit, Antoninum, sive simpliciter, sive Divum, vocari[i]).

3. *Caracallam* apud eos ICtos, qui illo imperante aut posteriori aetate scripserint, nisi alium huius nominis Imperatorem intelligendum esse statim appareat, Antonini nomine significari, eundem

g) Pag. 203. sq.
h) L. l. pag. 11. et 28.
i) Ibid. pag. 75. et 80. sq.

etiam Divum Antoninum audire in libris seriorum ICtorum, certe ubi apud hos, velut Paulum, Callistratum, Macrum, Marcianum et Gaium, illud nomen inveniatur, de Caracalla eos loqui, praesumi oportere [k]).

4. *Elagabalum* denique, ut cuius damnata fuerit memoria, in libris ICtorum nusquam Antoninum dici, sed in aliquo Codicis loco sub hoc nomine latere [l]).

Hasce regulas in universum quidem comprobandas esse censeo, sunt enim ex natura rei ac veterum ICtorum usu et consuetudine haustae. Nihilo secius tamen nonnulla sunt, quae aut novam ex recens inventis iuris civilis libris lucem acceperunt, aut pleniore probatione indigent, aut in quibus Kaemmerero, ex regulis illis singulos veterum locos interpretanti, assentiri non possumus. Ac primum quidem monendum, eum in *Gaii* aetate ad Antonini Caracallae tempora usque protrahenda cum Wenckio consentire; quod hodie vix quemquam approbaturum esse arbitror, qui tum argumenta a Dittmaro [m]) proposita, tum ea recte perpenderit, quae e genuinis Gaii Institutionum commentariis cognoscuntur [n]). Hos enim apparet extremo Antonini Pii tempore coeptos, sed post mortem eius demum absolutos esse, uti Frid. Adolphus Schilling primus, ni fallor, observavit [o]). Hinc patet, in iis omnibus locis, ubi ille *Divi Antonini* meminit [p]), Pium esse intelligendum, nam si post

---

k) Ibid. pag. 110. et 138.

l) Vid. infra pag. 6. not *.

m) Diss. cit. cap. II. pag. 50. sqq. inprimis pag. 124—148.

n) Cf. comm. II. §. 195. cum comm. I. §. 53. 102. (iuncta L. 8. §. 15. D. de inoff. test. V. 2.) §. 120. et II. §. 126. 151.

o) Diss. crit. de fragmento iuris Rom. Dositheano P. I. Lips. 1819. 8. pag. 42. Add. Zimmern l. l. pag. 342. sqq.

p) Ex libro I. de fideicommissis: L. 90. D. de conditt. xxxv. 1.; ex lib. II.: L. 96. D. de legatis III. et L. 63. §. 5. D. ad SC. Trebell. xxxvi. 1.; ex libro XIV. ad L. Iul. et Pap.: L. 56. D. de

Marcum scripsisset, accuratius utrumque distinguere debuisset. Alius est locus ex Gaii libro singulari ad SC. Orphitianum[q]), ubi *sacratissimi Principis nostri* orationem commemorat, qui, quum illud SC. imperante Philosopho factum sit, non potest non Marcus esse[r]). Sed in aliis locis, in quibus de Imperatore Antonino vivente loquitur, etiam hodie incertum videri potest, Piumne an Marcum intellexerit. Huc pertinent fragmenta ex eius libris ad edictum provinciale[s]) et ad edictum Praetoris[t]), quae Wenckius et Kaemmerer ad Caracallam referunt[u]). Eorum unum Dittmar[v]) ad Pium, sed rectius, ut mihi videtur, Zimmern[w]) et hoc et reliqua ad Marcum Aurelium refert; veri enim similius est, libros ad edictum, ut quibus componendis maiori opus erat usu et experientia fori, scriptos esse post Institutionum commentarios, id est imperante Marco.

Quod autem Kaemmerer ait, etiam Marcum omnino apud eos auctores, qui post illum usque ad Septimium Severum, non autem ab his, qui imperante Caracalla vel post hunc floruerint, nisi contrarium doceatur, Divum Antoninum dictum esse, ei per se nihil obstare videtur. Sed Dittmar[x]), hoc nomen cum Wenckio modo de Pio, modo de Caracalla accipiendum esse ratus, Marcum sub eo nunquam latere contendit, nisi ubi de nemine alio sermonem esse posse statim appareat[y]); unicum enim

---

legatis II. Wenckius p. 27. not. c. hos locos recte Pio tribuit.

q) L. 9. D. ad SC. Tertull. xxxviii. 17.

r) Cf. Dittmar l. l. pag. 138 — 141.

s) Ex lib. I.: L. 11. pr. D. de iurisdict. II. 1.; ex lib. XI.: L. 42. D. de donatt. int. v. et ux. xxiv. 1.

t) Ex lib. III.: L. 73. §. 1. D. de legat. I.

u) Ille pag. 8. not. c. et pag. 27. not. *d. e. f.*, hic l. l. pag. 117. 118. sq. 125 — 127.

v) Scil. L. 42. crit. l. l. pag. 67. 91 — 93.

w) Vol. I. pag. 345.

x) Diss. cit. pag. 65.

y) Velut apud Marcellum in L. 3. D. de his quae in test. debent. xxviii. 4. et L. 48. de conditt. et demonstr. xxxv. 1.

Modestini locum, quo illa sententia fulciri videatur[z]), ubi *Divus Antoninus et Pertinax* laudantur, non ad Caracallam quidem cum Raevardo, neque vero ad Marcum cum Spanhemio et Kaemmerero, sed potius cum Ant. Augustino ad Pium referendum esse, propterea, quod etiam in alio quodam loco[a]) Pium Modestinus Divum Antoninum appellaverit. In quo posteriore fragmento licet Pium intelligendum esse non modo Kaemmerer non neget[b]), sed etiam ex Vaticanis fragmentis probetur[c]), tamen admonendi sumus, non Modestini in hoc loco verba esse, sed Pauli, ab illo relata, a Paulo autem ad Modestinum coniecturam fieri vix posse. Sed nec video, quid impedimento fuisse dicatur, quo minus Marcum Aurelium defunctum ICti Divum Antoninum appellarent; poterant enim, ne cum Pio confunderetur, hunc, ut solent, Divi Pii nomine satis ab illo discernere. Sane in libris post Caracallam scriptis Divus Antoninus Caracallam significare praesumitur; at in priore illo Modestini loco Imperator Antoninus, i. e. Caracalla, paulo ante tanquam vivus commemoratur; deinde, si idem Caracalla etiam sub Divo isto lateret, non debuisset ante, sed post Pertinacem poni. In tali autem ambiguitate M. Aurelium, nisi de Pio agi aliunde probetur[d]), intelligere maluerim; nam quo remotior aetate Pius erat, eo rarius haud dubie Antoni-

---

z) Modestinus lib. sing. de manumiss. L. 12. §. 2. D. de fideic. libert. xl. 5.

a) Idem lib. II. excusatt. L. 6. §. 19. D. de excusatt. xxvii. 1. ... *Scribit Paulus ita: Mediocritas et rusticitas interdum excusationem praebent, secundum epistolas Divorum Hadriani et Antonini.*

b) L. l. pag. 34. inprimis ob §. 8. I. de excusatt. I. 25.

c) §. 244.: *Paulus libro sing. de off. Praetoris tut. Mediocritas et rusticitas et domesticae lites interdum excusationes merentur, ex epistolis Divi Hadriani et Antonini, et Fratrum ad Caerellium Priscum, Praetorem tutelarem.*

d) Veluti apud Ulpianum Fragm. tit. viii. §. 5. (cf. L. 8. §. 15. D. de inoff. test. v. 2. et infra pag. 11. not. u.) et L. 1. §. 5. D. de quaest. xlviii. 18. (cf. pag. 12. not. y.)

ni nomine, ut quod Marco tribui coeperat, indicabatur. Itaque Kaemmerero assentior, qui Marcum in isto loco mavult, quam Pium intelligere, nec Dittmari rationes, longissime repetitae, ut ab hac sententia discedam, efficiunt. Neque alii desunt loci, in quibus nomen illud Marco tribuitur, licet in his cum alio Imperatore, ita ut nulla de eo dubitatio sit, coniungatur. — Recte etiam, opinor, Kaemmerer [e]) fragmentum aliquod Pauli *ad orationem Divi Severi et Commodi* [f]) cum Ant. Augustino ita emendandum esse censet, ut legatur: *Divorum Antonini et Commodi*, quod eo facilius ab imperito librario in *Severi* poterat mutari, quum non tantum in eodem [g]) et praecedente loco Severi et Antonini rescripta allegentur, sed etiam ex aliquo Pauli ad orationem Divi Severi libello quaedam fragmenta in Digestis occurrant [h]). Orationem autem D. Antonini (Marci) et Commodi a Paulo esse commentario illustratam, tum ex Florentino indice, qui inter illius libros singulares hunc habet: *Ad orationem Divi Marci* [i]), tum alio Digestorum loco probatur, qui ex eodem Pauli libro sumtus est [k]). Contra, quod praeterea Kaemmerer ad Marcum refert Ulpiani fragmentum [l]), in eo ab illius sententia discedendum mihi est; sed hoc infra proponam. Ceterum in ea sum opinione, in multis eorum ICtorum fragmentis, qui imperante Marco vel post eum usque ad Caracallam floruerunt, illum vel Imperatorem Antoninum vel Divum Antoninum dictum

---

e) L. l. pag. 81—84.

f) L. 20. D. de ritu nupt. XXIII. 2.

g) Idem monet censor in Ephem. lit. Ien. l. l. pag. 19.

h) Cf. WIELINGII Iurisprud. restit. pag. 210.

i) HALOANDER addit: *et Commodi.*

k) L. 60. D. de ritu nupt. XXIII. 2. — Cf. L. 16. eod. et L. 16. D. de sponsal. XXIII. 1. nec non L. 17. C. de excusatt. V. 62., in quibus tamen locis num eadem oratio intelligenda sit, non satis constat, recte monente censore in Ephem. lit. Ien. l. l. pag. 19.

l) L. 15. §. 5. D. loc. cond. XIX. 2.

fuisse, sed Pandectarum auctores Divi Marci nome substituisse, quod similiter in Pii nomine accidiss vidimus [m]).

At non tantum Divi Antonini, sed etiam *Imperatoris Antonini* nomine certe Pium vel apu posteriores ICtos, licet rarissime, inveniri, nega vix potest. Ipse Kaemmerer concedit, mortuo Principes interdum ita, quasi viventes, dictos ess quod tum maxime factum censeo, quum antiquio ris alicuius auctoris actorumve publicorum verb referuntur. Ita Paulus [n]) *Quaesitum est*, inqui *an is, qui maiestatis crimine reus factus sit, ma numittere possit, quoniam ante damnationem do minus est. Et Imperator Antoninus Cal purnio Critoni rescripsit, ex eo tempor quo quis propter facinorum suorum cogitatione iam de poena sua certus esse poterat, multo priu conscientia delictorum, quam damnatione ius da tae libertatis eum amisisse*, ubi Pium intelligendu esse docemur a Marciano [o]) his verbis: *Divu quoque Pius Calpurnio rescripsit, liber tates ab eo, qui iam lege Cornelia damnatus esse vel eum futurum prospiceret, ut damnaretur, ser vis datas non competere.* Nihilominus tamen Ca racallam Kaemmerer intelligit [p]): solitos enim ess Imperatores antecessorum rescripta iisdem ade verbis repetere. Quem morem nolo quidem diffi teri, exstant enim satis multa exempla, sed neg hic de repetito rescripto cogitari posse, quum iden ab utroque ICto allegari, ex nomine eius, cui da tum est, appareat; neque enim credibile est, Cal purnium, sive magistratus, sive privatus homo i

---

m) Cf. §. 2. I. de his qui sui I. 8. ed. Goesch. cum Gaii comm. I. §. 53.

n) Paulus lib. I. ad legem Iuliam; L. 15. pr. D. qui et a quib. manumissi, XL. 9.

o) Marcianus lib. XIII. Institutionum: L. 8. §. 2. D. de manumiss. XL, 1.

p) L. l. pag. 18 — 24.

fuerit, de eadem re, de qua Pius ei rescripserat, Caracallam quinquaginta imo pluribus annis post consuluisse; sed nec diversos Calpurnios esse veri speciem habet. Accedit, quod, si quid saepius ab Imperatoribus est rescriptum, veteres ICti plerumque aut nominant Imperatores, aut Principalibus constitutionibus rescriptisve id statutum esse dicunt [q]). Recte igitur, meo iudicio, Wenckius in illo Pauli fragmento Imperatoris Antonini nomine Pium significari censet [r]), et putaverim Paulum, quum ex antiquiore ICto, fortasse Iuliano, quem in sequentibus loquentem inducit, quemque imperante Pio scripsisse constat [s]), sua hauriret, in allegando rescripto iisdem, quibus illum, verbis usum esse.

Secus in alio Pauli loco [t]), ubi haec referuntur: *Cum tacitum fideicommissum is, cui datum erat, capere se nihil posse detulisset, in quaestionem venit, dodrantis an totius assis partem dimidiam ex beneficio D. Traiani recipere debeat; de qua re exstat rescriptum Imperatoris Antonini in haec verba: Imperator Antoninus Rufo* etc. Wenckius hoc quoque rescriptum Pio tribuit propter verba Modestini [u]): *Praeterea qui non capienti rogatus est restituere hereditatem, SCto Planciano non conceditur quartam retinere, sed ea quarta, quam non retinuit, ad fiscum pertinet ex rescripto Divi Pii.* Sed malim Caracallam apud Paulum intelligere, non quo cum Kaemmerero censeam, repetitum esse ab eo illud D. Pii rescriptum, cuius Modestinus meminit, sed quia de rebus omnino diversis rescripse-

q) Hoc etiam in Ephem. lit. Ien. l. l. pag. 17. sq. observatum esse video.

r) Pag. 111.

s) L. 4. D. quod met. causa IV. 2.: *Imp. Titus Antoninus rescripsit.*

t) Paulus libro singulari de tacitis fideicommissis; L. 49. D. de iure fisci. XLIX. 14.

u) Modestinus lib. IX. Pandectarum: L. 59. §. 1. D. ad L. Falcid. XXXV. 2.

runt Imperatores. Etenim SCto Planciano imperante Vespasiano constitutum erat, ut, si quis tacitam fidem in fraudem accommodasset et fideicommissum ei, cui non liceret capere, restituisset, quadrantem ex SCto Pegasiano non retineret [v]). Ex Traiani autem beneficio is, cui tacitum fideicommissum datum erat, si ipse, priusquam causa eius ad aerarium deferretur, capere se nihil posse professus erat, partem dimidiam recipiebat [x]). Quaesitum autem est primo: quis acciperet quartam, quam heres fiduciarius ex SCto Planciano non retineret. Hanc ad fiscum pertinere Divus Pius rescripsit, ut Modestinus in L. 59. §. 1. cit. docet. Deinde quaesitum: num ex beneficio Traiani fideicommissarius, qui se capere nihil posse ipse detulisset, dimidiam partem totius hereditatis, an dodrantis reciperet. Nam quum nec quadrantem fiduciario, nec dodrantem fideicommissario liceret retinere, videri poterat is, qui se ipse detulit, totius hereditatis semissem iure suo petere. Sed quadrantem integrum ad fiscum transferri, et eum, qui se detulit, dodrantis semissem solum capere iussit Imp. Antoninus, referente Paulo in L. 49. cit. Nihil igitur nos cogit, ut hic quoque Pium intelligamus, imo regulam secuti Caracallam id rescripsisse putamus.

Denique sunt quidam loci ex Ulpiano et Paulo difficillimi, in quibus explicandis interpretes magnopere desudarunt. Ulpianus enim libro XXXII. ad edictum [y]), postquam Divi Antonini rescriptum commemoravit, statim deinde ab Antonino Augusto, quasi vivente, rescriptum esse refert. Verba ipsa adscribam. §. 5. *Cum quidam de fructuum*

---

v) Ulpianus Fragm. tit. XXV. §. 17. Modestinus l. l.

x) Paulus L. 13. pr. et §. 1. D. de iure fisci XLIX. 14. Cf. Io. Aug. Bachii Traianus pag. 41 — 69.

y) L. 15. §. 5. et §. 6. D. loc. cond. XIX. 2.

exiguitate quereretur, non esse rationem eius habendam, rescripto Divi Antonini continetur.... §. 6. Item cum quidam nave amissa vecturam, quam pro mutua acceperat, repeteretur, rescriptum est ab Antonino Augusto, non immerito etc. Priore loco Marcum Kaemmerer, sed Wenckius olim Pium, postea Caracallam, in altero autem loco uterque Caracallam intellexit [z]. Similiter Ulpianus libro LII. ad edictum [a]) *Imperatoris Antonini Augusti* rescriptum de legatariis et fideicommissariis certis ex causis in propria bona heredis mittendis retulit, quod Antonini Caracallae esse, tum ex his verbis, tum ex Imp. Alexandri constitutione [b]) cognoscimus; nihilo secius paulo post [c]): *Constitutio autem Divi Antonini*, inquit, *pertinet ad eos, a quibus utiliter fideicommissum relictum est, quamvis heredes non sint, par enim utilitas est.* Quid igitur? Si haec ab Ulpiano vivente Caracalla scripta sunt, non poterat eum Divum appellare; sin illo mortuo, priore loco haud dubie eius non tanquam viventis meminisset. Hoc tamen quum facilius explicari posse videretur, Wenckius noster eo adductus est, ut crederet Ulpianum omnes ad edictum libros imperante Severo Alexandro composuisse, et, ubi in referendo rescripto verba actorum publicorum et inscriptionem in iis positam sequeretur, Caracallam Imperatorem et Augustum vocasse, quem suis usus verbis recte Divum appellaverit. Sed haec sententia comprobari nullo modo potest. Quamvis enim in Vaticanis fragmentis ab A. Maio repertis [d]) Ulpianus Ale

---

z) Wenckius pag. 11. et 204., Kaemmerer l. l. pag. 30 — 33.

a) L. 5. §. 16. D. ut in poss. legat. XXXVI. 4.

b) L. 6. C. eod. VI. 14.: *secundum Divi Antonini patris mei constitutionem.*

c) L. 5. §. 25. D. eod.

d) §. 266.: *Ulpianus lib. 1. ad edictum de reb. cred. ... Imperator noster rescripsit in haec verba: (Greg. lib. XIII. tit...) Imp. Alexander Flavio Menandro.*

xandri Severi constitutionem proponere, itaque post Caracallam quosdam libros composuisse videri possit, tamen ipse Wenckius[e]) aliique[f]) vitiosum hunc locum esse diu viderunt. Imo eos ad edictum libros, e quibus isti, quos diximus, loci depromti sunt, scripsit Ulpianus vivente Caracalla. Cui rei probandae non sufficiunt quidem ii loci, ad quos provocat Schultingius[g]), quippe ex anterioribus ad edictum libris sunt, nec is, quem Kaemmerer ex libro LVII. affert[h]), ex quo, quum non appareat, quisnam sit ille *Imperator noster*, non potest de aetate eius libri quidquam definiri, potius versa vice prius aetatem libri nosse debemus, ut, quis ille sit, dicamus. Sed exstant complures alii loci, tum ex ipso libro XXXII.[i]), tum ex libro LXVIII.[k]), in quibus Ulpianus Imperatorem Antoninum, aut cum patre (Divo Severo), aut solum rescripsisse narrat, duo etiam ex libro LXIV.[l]) et LXXIII.[m]), ubi quum ab *Impp. Severo et Antonino* rescriptum esse referat, id accidisse videtur, quod saepius factum, ut mortuus Princeps (Severus) simpliciter Imperator dicatur; ex iis autem ad edictum libris, qui tertio et septuagesimo posteriores sunt, nullum mihi innotuit fragmentum, in quo Imperatoris Antonini vel Divi Antonini mentio fiat. Hoc igitur constat, librum LXVIII. adhuc imperante Caracalla compositum esse. Iam quum in duobus istis, quae ex libris XXXII. et LII. proposita sunt,

---

e) In praefat. ad Hauboldi Opusc. Acad. vol. I. pag. XLVI.

f) Zimmern l. l. pag. 371. not. 1. Al. de Buchholtz ad Vat. fr. pag. 218. sq. not. et pag. 319. not. 146. Schilling *Bemerkk. über Röm. Rechtsgesch.* pag. 294. sq.

g) Iurispr. Anteiust. p. 547. not. b.

h) L. l. pag. 148. Est L. 7. §. 6. D. de iniuriis XLVII. 10.: *posse hodie de omni iniuria, sed et de atroci, civiliter agi, Imperator noster rescripsit.*

i) L. 9. §. 1. 4. et L. 19. §. 9. D. loc. cond. XIX. 2.

k) L. 3. §. 1. D. ne vis fiat ei qui in poss. XLIII. 4.

l) L. 1. §. 3. D. de separatt. XLII. 6.

m) L. 10. §. 1. D. de his quae in fraud. cred. XLII. 8.

fragmentis non potuerit Caracalla Divus appellari, videri potest nihil superesse, nisi ut aut sub Divo Antonino Pium vel Marcum latere, aut vitiosam esse lectionem statuamus. Kaemmerer in priore loco (L. 15. §. 5. D. loc. cond.) illam, in altero (L. 5. §. 25. D. ut in poss. leg.) hanc sententiam amplexus, Divum Antoninum in L. 15. §. 5. putat Marcum esse [n]), et pro *Divi* in L. 5. §. 25. emendandum censet: *Domini* [o]). Sed illud ipsius regulae adversari videtur, apud eos ICtos, qui imperante Caracalla vel post eum scripserint, Antonini nomine Marcum, nisi ubi de eo nulla dubitatio esse queat, non intelligendum esse; hoc autem, nisi codicum auctoritate confirmetur, admitti non facile debet. Itaque alia via incedendum est. Sed ante quam meam qualemcunque de hac re coniecturam profero, de Pauli quoque loco dispiciamus.

Paulus libro II. de censibus, ex quo opere unicus in Digestis superest locus [p]), Tyriorum civitatem refert iuris Italici factam esse a *Divis Severo et Antonino* [q]), item *Divum Antoninum Antiochenses colonos fecisse salvis tributis* [r]); deinde sic pergit: *Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam et iuris Italici fecit* [s]), denique rursus: In Africa Carthaginem, Uticam, Leptin magnam a *Divis Severo et Antonino* iuris Italici factas esse [t]). Quum igitur Caracalla hic Divus nominetur, *Imperatorem nostrum* neminem alium, quam Elagabalum esse multi putarunt [u]). Quae sententia comprobari nullo modo potest, imo Caracallam esse

---

n) L. l. pag. 30 — 33.
o) Ibid. pag. 146 — 151.
p) L. 8. D. de censibus, L. 15.
q) L. 8. cit. §. 4.
r) L. 8. cit. §. 5.
s) L. 8. cit. §. 6.
t) L. 8. cit. §. 11.
u) Sam. Petitus Obss.. lib. II. cap. VI. Guil. Grotius de vitis ICtorum lib. II. cap. X. §. 12. ap. Schultingium Iurispr. Anteiust. pag. 207. et ipse Schultingius pag. 208. not. 1. de Savigny *Zeitschr. f. gesch. Rechtsw.* vol. V. pag. 264. sq. Zimmern l. l. pag. 376.

intelligendum, verba Ulpiani demonstrant[v]): *Sed et Emisenae civitati Phoenices Imperator noster ius coloniae dedit iurisque Italici eam fecit*, e quibus, licet non per se, ut Kaemmerero[x]) visum, (nam *Imperator noster* per se posset de Elagabalo accipi), tamen si cum antecedentibus coniunguntur, ubi *Imperator noster* cum Divo Severo rescripsisse dicitur, apparet, Antoninum Caracallam fuisse beneficii Emisenae civitati concessi auctorem, atque eundem etiam apud Paulum intelligi oportere, quum de repetito eodem beneficio cogitari nequeat. Itaque in hoc, de quo agimus, Pauli loco iam Herm. Cannegieter[y]) et Wenckius[z]) §. 4. et 11. pro *a Divis Severo et Antonino* emendarunt: *a Divo Severo et Antonino*. Atque hoc etiam Kaemmerero placuit, vidit tamen superesse aliam difficultatem in *Divo Antonino*, cuius §. 5. facta est mentio, quem Cannegieterus silentio praeteriit, Wenckius de Pio interpretatur. Quod recte fieri quum negaret Kaemmerer, hunc quoque locum emendandum esse putavit[a]) ex Rhedigeri codice, ut §. 5. quoque legatur: *Divus Severus et Antoninus*. Sed quamvis in §§. 4. et 11. emendandis non contradicturus sim, tamen id in §. 5. non modo necessarium esse, sed ne admitti quidem posse arbitror. Etenim Paulus §. 5. Antiochenses a Divo Antonino colonos salvis tributis factos esse refert. Ulpianus autem, qui in L. 1. multus est in enumerandis iis Syriae, unde ipsi origo, civitatibus, quibus ius coloniae, sive cum iure Italico, sive absque hoc, datum sit, Antiochiam, nobilissimam totius Syriae urbem, silentio haud praeteriturus fuisset, si ea ius coloniae a *Severo* et Antonino, ut Kaemmerero placet, impetrasset; nec ille libros de censibus fortasse antea, quam id a Se-

---

v) Lib. I. de censibus: L. 1. §. 4. D. eod.
x) L. l. pag. 172.
y) Obss. lib. II. cap. 1.
z) Pag. 6.
a) Ibid. pag. 174 — 176.

vero constitutum esset, edidisse recte dicetur, scripsit enim hos libros defuncto Severo, quem saepius Divum appellat[b]). Hinc plus quam veri simile est, Antiochensibus post mortem Severi demum ius coloniae esse datum. Simul autem ex his apparet, sub Divo Antonino, cui Antiochenses hoc beneficium debere Paulus ait, nec Pium, nec Marcum (id quod Kaemmerero non omnino displicuit[c]),) latere, sed neminem nisi Caracallam intelligi posse. Deinde hoc quoque consequitur: scriptam esse §. 5. mortuo Caracalla. Quod cum non conveniat cum §. 6., ubi eundem Caracallam *Imperatorem nostrum*, quasi viventem, appellat Paulus, explicandum iam est, qua ratione id fieri potuerit. Dicere quis possit, Paulum hic, ut saepius factum est, mortuum Principem, ne crebrius recurrens Divi appellatio fastidio esset, Imperatorem vocasse; sed huic sententiae obstat tum hoc, quod veteres ICti id non magnopere curant, uti multis exemplis probari potest[d]), tum quod vox *noster* defuncto Imperatori nusquam, quod meminerim, tribuitur. Eo igitur delati sumus, ut nihil fere supersit, quam ut statuamus, Ulpiani et Pauli fragmenta proposita[e]) diversis temporibus concinnata esse, ita quidem, ut eos aut librorum, unde illa fragmenta sumta sunt, repetitas praelectiones post Caracallae obitum edidisse, aut, quemadmodum occasio tulerit, supplementa quaedam suis libris adscripsisse dicamus. Solitos enim esse Veteres librorum suorum editionem repetere, non modo pluribus exemplis demonstratur, sed etiam Iustinianus narrat[f]). Ita Pauli sententiarum sive decretorum libros VI. nihil nisi

---

b) L. 1. cit. pr. §. 1. 2. 3. 7. 9.

c) L. l. pag. 173. sq.

d) Velut ULPIANI in L. 1. pr. §. 2. 3. 7. 9. cit.

e) Scil. ULPIANI in L. 15. §. 5. 6. D. loc. cond. XIX. 2. et L. 5. §. 16. et 25. D. ut in poss. legat. XXXVI. 4., PAULI in L. 8. D. de censibus L. 15.

f) Const. *Cordi nobis est* §. 3. sub fin.

secundam editionem librorum III decretorum fuisse, ostenderunt Schultingius[g]) et Bluhmius[h]), et ex Vaticanis fragmentis[i]) Paulum libros de iurisdictione tutelari denuo edidisse cognovimus. Etiam Ulpiani de excusationibus libelli repetitam praelectionem Alex. Aug. de Buchholtz in libro de officio praetoris tutelaris reperisse sibi videtur[k]). At in nostris locis de secunda editione cogitare noluerim, in ea enim, si post Caracallae mortem ab Ulpiano et Paulo facta esset, recentiori tempori eam accommodantes, pro *Imperator Antoninus* et *Imperator noster* haud dubie scripturi fuissent: *Divus Antoninus.* Itaque magis mihi arridet altera illa coniectura, eos in libris suis paulatim et ferente occasione ea adnotasse, quae in aliorum ICtorum libris invenissent, quaeve ab Imperatoribus recens constituta vel decisa essent. Id enim vel hodie a diligente scriptore fieri solet et a veteribus factum esse eo facilius concedendum, quo magis eos etiam aliorum operibus notas adscribere consuevisse constat. Eiusmodi igitur libros fortasse Digestorum auctores in componendo opere adhibuerunt, quumque non animadverterent, tenorem libri cum notis adscriptis in nominandorum Imperatorum ratione non recte convenire, factum est, ut veteres ICti eundem Imperatorem modo tanquam mortuum, modo tanquam viventem allegare videantur.

Sed haec de Antonini nomine sufficiant. Sequitur *Hadriani* nomen, sub quo interdum Antoninum Pium latere Wenckius cum Cuiacio aliisque putat[l]). Quod, nisi omnes regulas distinguendis Imperatorum constitutionibus propositas evertere

---

g) Iurisprud. Anteiust. pag. 212.

h) *Zeitschr. für gesch. Rechtsw.* vol. IV. pag. 314. sqq. not. 30.

i) §. 247.: *Paulus libro I. editionis secundae de iurisdictione tutelari.*

k) Ad Vat. Fr. excurs. I. pag. 311—313.

l) Pag. 13. sqq.

omniaque confundere velis, nulla ratione concedi potest. Quid enim impedimento erit, quo minus, hoc admisso, etiam in ceteris locis, ubi D. Hadrianus commemoratur, simile quid alicui suboleat aut Antonini Pii vel Marci Aurelii nominibus Caracalla intelligendus videatur, quem his nominibus usum esse ex inscriptionibus [m]) omnino constat? Neque vero credibile est, veteres ICtos, qui, ut antea monuimus, accuratissimi esse solent in distinguendis Imperatorum nominibus, tantae licentiae in hoc uno Imperatore sese dedidisse. Ut igitur haec sententia in se ipsa parum commendationis habet, ita tum maxime omni veritatis specie destituta est, quum in duobus vel pluribus fragmentis, a diversis ICtis, imo ab ipsis Imperatoribus, eadem constitutio eidem Hadriano tribuitur, ut, si quo alio loco eadem vel similis constitutio Pium auctorem habere dicatur, non tam hunc etiam Hadrianum vocari statuendum, quam potius alia ratione id explicandum sit. Kaemmerer [n]) errore interdum accidisse putat, ut pro Pio scriberetur Hadrianus, in quam sententiam, exceptis tamen fragmentis Gaii, quippe qui sub Hadriano interdum re vera Pium intellexerit, et ipse Wenckius inclinat [o]). Sed non videtur id necessarium esse. Inter ea enim exempla, ad quae illius sententiae defensores provocant, alia, deficiente directo, quo Pio tribuantur, testimonio, omnino iniuria huc trahuntur, alia ex consuetudine Imperatorum repetendi antecessorum suorum rescripta commodam lucem accipiunt, pauca denique sunt, quae dubitationem aliquam relinquant. Et ad illa quidem, quae iniuria huc trahuntur, refero non tantum Modestini locum, in quo nec Wenckius Cuiacii sententiam probat [p]), sed etiam

m) E. g. apud ORELLIUM Inscr. vol. I. num. 924. sqq.
n) L. l. pag. 60.
o) Pag. 21. sq.
p) Pag. 117.

Institutionum et Callistrati fragmenta, secundo et septimo loco apud Nostrum posita[q]). Etenim SCtum Tertullianum non Pii, sed Hadriani temporibus factum esse, post alios iure nuper defendit Schillingus[r]), ut uberiori de hac re disputatione supersedere possim. Tamen Hugo in novissima historiae iuris Romani editione hoc SCtum imperante Pio factum esse etiamnunc contendit[s]). Quod si quis hoc forte argumento utatur, Gaium, ubi de successione matris loquitur[t]), de SCto Tertulliano tacere, is admonendus erit, nimium eo probari; nam quum tertius Gaii commentarius, quo illa doctrina tractatur, scriptus sit imperante Marco[u]), SCtum illud, etiam si tempore Antonini Pii factum esset, silentio praeteriri non debuit; accedit, quod Gaius ibi ius XII tabularum exponit[v]), ille vero locus, ubi praemisso iure antiquo et Praetorio ius novum tradidisse videtur[x]), lacunosus est. — Callistrati autem verba[y]) ut de Pio accipiamus, non movemur eo, quod ex Capitolino et Fastis[z]) eosdem, ad quos ille ICtus Hadrianum rescripsisse ait, imperante Pio floruisse et in magistratu fuisse cognoscimus; illos enim viros iam Hadriano imperante magistratus gerere potuisse per se patet.

Alterum genus, ut dixi, est eorum locorum, qui de repetitis et confirmatis a Pio Hadriani rescriptis commode accipi possunt. Negat quidem Wenckius, tam crebra legum Hadriani repetitione opus fuisse. Sed egregie demonstravit Noordkerkius[a]), fieri id adeo debuisse, quoniam rescripta ei tantum causae, cui data essent, ius constituerint,

---

q) Pag. 16.
r) *Bemerkungen üb. Röm. Rechtsgesch.* pag. 327. sq. not. 894.
s) Ed. XI. pag. 786. v. 24. sqq.
t) Institutt. Comm. III. §. 14. 24.
u) V. supra p. XXVIII. not. *n. o.*
v) L. l. §. 1. 9. 11. 18. 23.
x) Ibid. §. 33.
y) L. 3. §. 1 — 4. et 6. D. de testib. XXII. 5.
z) Vid. pag. 16. not. y.
a) In Observatt. Decade cap. V. pag. 98 — 101.

et conciliari hoc modo posse Papinianum [b]), qui libro XX. Quaestionum et libro IX. Responsorum ab Hadriano constitutum esse ait, ut heres, accepta pecunia hereditatem restituere rogatus, eam pecuniam in quartam Falcidiam imputaret, cum Marciano, lib. XIII. Institutionum a Pio id rescriptum esse narrante [c]). Eodem modo componi potest, quod de auctore constitutionis: ne mortui in civitatibus sepelirentur, Ulpianum [d]) et Capitolinum [e]) intercedit dissidium, (nisi malueris cum Schultingio [f]) statuere, Capitolinum id perperam Pio adscripsisse,) nec non illud, quod est inter Callistratum [g]), qui D. Hadrianum de his, qui naufragia diriperent, edixisse, et Marcianum [h]), qui referunt Divum Pium nullam vim nautis fieri debere rescripsisse, (nam Pauli locus a Nostro allatus [i]), quum non ad Pium, sed ad Caracallam pertineat, per se nihil efficere potest). Quantopere enim haec res occupaverit Senatum et Principes, compluribus aliis fragmentis docemur [k]).

Noluerim autem cum Noordkerkio [l]) eandem interpretationem in ceteris exemplis adhibere. Nam ubi de rebus omnino diversis Hadrianum et Pium rescripsisse apparet, ibi nulla est utriusque rescripti ad Pium referendi causa. Itaque fides eorum fragmentorum, quae a Nostro primo loco po-

---

b) L. 93. D. ad L. Falcid. XXXV. 2. et L. 58. §. 3. D. ad SC. Trebell. XXXVI. 1.

c) L. 91. D. ad L. Falcid. Gaius in L. 63. §. 5. ad SC. Trebell. plane diversam speciem tractat.

d) L. 3. §. 5. D. de sepulcro viol. XLVII. 12.

e) In vita Ant. Pii cap. 12.: *Intra urbes sepeliri mortuos vetuit.*

f) Iurispr. Anteiust. pag. 262. not. 11.

g) L. 7. D. de incendio, ruina, naufr. XLVII. 9.

h) L. 1. §. 2. D. ad L. Iul. de vi priv. XLVIII. 7.

i) L. 4. §. 1. D. de incend. ruina, naufr.: *Divus Antoninus de his, qui praedam ex naufragio diripuissent, ita rescripsit.*

k) L. 3. §. 8., L. 4. §. 1., L. 12. pr. D. eod. L. 1. §. 2. D. cit.: *Ex constitutionibus Principum extra ordinem, qui de naufragiis aliquid diripuerint, puniuntur.*

l) L. l. pag. 103 — 106.

sita sunt, quibusque beneficium divisionis, quod dici solet, Divo Hadriano deberi continetur[m]), etiam si ex Gaii Institutionibus perspectum non haberemus, de Pio hic non esse cogitandum, non frangeretur tamen Papiniani testimonio[n]), quoniam epistola D. Pii, cuius hic meminit, non illud beneficium fideiussoribus dedisse dicitur, sed in singulari quadam causa et accommodanda ei D. Hadriani epistola versatur; Mureti autem emendatio, qui apud Paulum pro *ex edicto Praetoris* legendum suasit: *ex epistola Divi Pii*[o]), diu explosa est. Hinc ipse Wenckius non ita firmam esse suam de his locis sententiam, ut ei insisteret, postea confessus est[p]). — Deinde nec notissimas illas ICtorum nostrorum[q]) et Capitolini[r]) de muliere quinque liberos uno partu enixa narrationes, de quibus Wenckius doctissime disseruit[s]), cum Bynkershoekio et Noordkerkio de duplici, sed cum Nostro de uno casu accipere placet, modo ne dicamus Gaium et Paulum, sive Laelium, cuius verba Paulus refert, errasse aut Hadriani nomine Pium intellexisse, quum Capitolinus potius erroris arguendus esse videatur. ICtos enim quum sciamus Pium ab Hadriano diligenter distinxisse, et, quod ad Gaium attinet, nuper ex eius Institutionum commentariis denuo id cognoverimus, Gaio et Laelio et Iuliano, qui eodem tempore vixerunt, quo mulier illa Romam perducta est, profecto maiorem fidem habendam esse apparet, quam Capitolino, qui pro sui aevi superstitione inter alia portenta et miracula, quae temporibus Pii accidisse

---

m) L. 4. I. de fidejussor. III. 21. L. 26. D. eod. XLVI. 1. et L. ult. C. de const. pec. IV. 18.

n) L. 49. §. 1. in fin. D. de fideiussor. XLVI. 1.

o) Vid. pag. 16. not. r. Cf. OTTO ad §. 4. I. cit.

p) Pag. 194.

q) GAII in L. 7. pr. D. de reb. dub. XXXIV. 5. et PAULI in L. 3. D. si pars hered. pet. V. 4. Cf. IULIANUS L. 36. D. de solutt. et liberatt. XLVI. 3.

r) In vita Ant. Pii c. 9.

s) Pag. 16 — 24.

dicit, hoc quoque profert, uno partu mulieris quinque pueros editos esse.

Itaque unicum superest Callistrati fragmentum, quod ita audit[t]): *Si de vi et possessione quaeratur, prius cognoscendum de vi, quam de proprietate rei, Divus Hadrianus* τῷ κοινῷ τῶν Θεσσάλων, *id est, communi seu rei publicae Thessalorum, graece rescripsit.* Marcianus autem ita[u]): *Si de vi et possessione vel de dominio quaeratur, ante cognoscendum de vi, quam de proprietate rei, D. Pius* τῷ κοινῷ τῶν Θεσσάλων, *id est, universitati Thessalorum, graece rescripsit, sed et decrevit, ut prius de vi quaeratur, quam de iure dominii sive possessionis.* Noordkerk[v]) hic quoque repetitum et confirmatum a Pio esse Hadriani rescriptum censet. Sed fateor, mihi tum propter mirabilem verborum concentum, tum quia eadem civitas ab utroque ICto nominatur, videri unum idemque rescriptum apud utrumque laudari. Kaemmerer, ut dixi, errorem alterutrius ICti, quam Hadriani nomine Pium significari, statuere mavult, sed magis mihi placet Schroeteri sententia ab eo allegata[x]): Pium, non modo adoptatum ab Hadriano, sed etiam summae potestatis socium factum, dum Hadrianus Baias reficiendae valetudinis causa petiisset, Romae imperii gubernacula tenuisse; hinc fieri, ut quaedam constitutiones modo Hadriano, modo Pio tribuantur. Haec sententia non omni caret ex historia subsidio. Nam Aelius Spartianus[y]) testatur, Hadrianum Baias petiisse, Antonino Romae ad imperandum relicto. Quanquam autem breve hoc tempus fuerit, ut recte monuit Dittmar[z]), adoptio enim facta est quinto Kal. Martias die, obiit autem Hadrianus

t) L. 37. D. de iudiciis v. 1.
u) L. 5. §. 1. D. ad L. Iul. de vi publ. XLVIII. 6.
v) L. l. pag. 101.
x) In libro saepius cit. pag. 60. seq.
y) In vita Hadriani cap. 25.
z) Diss. cit. pag. 129. not. 16.

die sexto Iduum Iuliarum[a]), tamen in tam vasto imperio multa rescripta vel brevi illo tempore edita iisque, licet Hadriani auctoritate et nomine munitis, tamen a Pio subscriptum esse, intellectu difficile non est, ita ut facili ratione ab aliis Hadriano, ab aliis Pio, imo ab aliis utrique adscribi potuerint. Et fortasse huiusmodi exemplum superest in illo Ulpiani loco[b]), quo *Divus Antoninus et Divus Hadrianus* Sennio Sabino rescripsisse dicuntur, ubi vel hoc mirum est, Antoninum ante Hadrianum nominari, quod fortasse eo consilio factum, ne ille denuo idem, sed uterque coniunctim rescripsisse intelligeretur.

Denique suae sententiae novum pondus Noster[c]) accessurum esse putavit a simili exemplo, Neronis videlicet, qui, a Divo Claudio adoptatus, et ipse in quibusdam Dig. et Cod. locis Claudii nomine dictus sit. Libri enim XXIX. D. titulo V. inscriptionem esse hanc: *Ad SC. Silanianum et Claudianum, quorum testamenta ne aperiantur;* at in ipso titulo non de SC. Claudiano, sed de Pisoniano verba fieri, hoc autem factum esse imperante Nerone et apud Paulum Neronianum audire, ita ut idem SCtum et Claudiani et Pisoniani et Neroniani nomine veniat. Sed recte Bachius[d]) monuit, nullam exstare necessitatem statuendi, idem esse Claudianum et Neronianum SCtum, recte etiam Hauboldus Pisonianum seu Neronianum vocat SC., quod factum est ad SC. Silanianum, et distinguit illud a Claudiano[e]). Ut vero largiamur, idem esse, meminisse tamen oportet, titulorum in Digestis inscriptiones originem habere non a veteribus ICtis, sed a Digestorum

---

a) CAPITOLINUS in v. Ant. Pii cap. 4. et SPARTIANUS l. l.

b) L. 1. §. 5. D. de quaest. XLVIII. 18. Verba habes p. 77. adscripta.

c) Pag. 24—26. Add. p. 88. 191.

d) Hist. iurisprud. Rom. lib. III. cap. 1. §. 25. not. 5. pag. 354. ed. nov.

e) Institutt. hist. dogm. lineamenta, ed. CAR. ED. OTTO §. 638. p. 359. Add. tabb. chronolog. p. 55.

compilatoribus, qui quanta negligentia in iis componendis usi sint, multis exemplis edocemur; quare veri multo similius esse arbitror, eos in huius SC. nomine errasse, quemadmodum ipse Iustinianus, interdum Pio tribuens, quae Caracallae debentur, vel invicem[f]), erravit. Neque magis in altero exemplo, ubi et Paulus[g]) et Callistratus[h]) et Imp. Alexander[i]) uno ore Divum Claudium eius edicti, quo SCtum Libonianum suppletum esse fertur, auctorem praedicant, Neronem intelligendum esse putaverim. Quanquam enim Suetonius[k]) imperante Nerone cautum esse narret: *ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet*, tamen in rebus iuridicis maiorem ICtorum, quam Historicorum fidem esse nemo non videt; quid, quod ipse Wenckius paulo inferius[l]), ubi ne ICti quidem, sed alius historici scriptoris testimonium Suetonio obstat, valde sublestam esse huius auctoritatem concedit? Itaque Brummeri sententiam: Suetonium, nominum similitudine deceptum, dedisse Neroni Claudio, quod Tiberii Claudii sit, probare malo, quam Divi Claudii nomen apud ICtos et Imp. Alexandrum de Nerone accipere; ac vel hoc unum suspicionem movere debebat, quod Nero non poterat Divus appellari, quod quo successu Noster explicaverit, ipsis lecturis iudicandum relinquo.

Sed transeundum est ad reliquas huius voluminis commentationes. Tertium locum occupat inauguralis dissertatio *de traditione inter possessionis et proprietatis transferendae modum fluctuante*, cui nec ipse Savignius, cuius de traditione doctrinam illa impugnat, iustam summae eru-

---

f) Vid. pag. 4. not. d., Kaemmerer l. l. pag. 114. sq. et Zimmern pag. 185. not. 8. in fin.

g) L. 14. §. 2. D. de L. Cornel. de falsis, XLVII. 10.

h) L. 15. pr. D. eod.

i) L. 3. C. de his qui sibi adscrib. IX. 23.

k) In vita Neronis c. 17.

l) Pag. 31. sq.

ditionis ac diligentiae laudem denegavit. Quod autem Heidelbergensis huius dissertationis censor ait[m]), principalem auctoris sententiam hanc esse: traditione solum dominium, non possessionem in accipientem transferri, falsissimum est, imo contrarium dicit Noster: traditione pro natura sua nihil nisi possessionem atque ex lege Iustiniani demum etiam dominium transferri, posse tamen *interdum* fieri, ut sine possessione solum dominium tradatur, videlicet ubi dominus ipse non possideat, sed claves vel documentum aliudve symbolum ita tradat, ut omne suum ius in alterum transmitti declaret; quam sententiam cum ex rei natura, tum e veteris mancipationis rationibus, tum e scriptis legibus probare conatus est[n]). Sed quum adversus istam aliamque eiusdem censoris iniuriam se ipse fortiter defenderit auctor[o]) et integer libellus mihi scribendus esset, si vellem penitius omnem hanc rem perscrutari, abstinendum esse intelligo ab uberiori disputatione, unum hoc monuisse contentus, Savigniani operis locos ex recentioribus editionibus, sive aliquid in his mutatum esset, sive non, facilioris comparationis causa a me adnotatos esse.

Sequitur *Indicum Corporis iuris civilis supplementum*, sistens indicem earum Codicis Iustinianei constitutionum, in quibus Imperatores Romani antecessorum suorum constitutiones et sententias additis auctorum nominibus commemorant, a Wielingio et qui ante eum eiusmodi indices confecerunt, omissarum, in quo opusculo nonnulla, quae in *Divo Pio* dicta sunt, ab auctore esse retractata et emendata, suis locis observavimus.

Eleganter omnino scriptae sunt *Observationes ad iurisprudentiam elegantiorem facientes*,

m) Vid. supra pag. XVI. ad num. 3.

n) Pag. 144—158.

o) Vid. pag. XVI. cit.

quarum primum caput: *de iure edendi scriptores antiquos recens inventos*, originem habet a controversia de Lipsiensi Gaianarum Institutionum editione, quae prodiit anno MDCCCXXV., exorta. Ostendit autem Noster, veterum auctorum verba probe discernenda esse ab iis, quae editor de suo forte adiecerit, notis videlicet, commentariis similibusque; in illis editori dominium aliquod esse penitus negat, huic enim tum ipsius rei naturam, tum literarum utilitatem, tum constantem inde ab inventa arte typographica usum, denique scriptas etiam leges adversari. Itaque veteres auctores dēnuo edere cuilibet licere, modo abstineat ab iis, quae alius editoris propria sint. Quae quam vere disputata sint, nemo non videt; quare fieri non potuit, quin controversia illa, quam dixi huic commentationi ansam dedisse, omnino ex Nostri sententia a Summo Provocationum Senatu Dresdensi anno MDCCCXXIX. decideretur [p]).

Alterum trigae caput testimonio est singularis illius, quod in Wenckio perpetuum erat, veterum scriptorum, poetarum maxime, studii. Continet enim hoc caput *Propertii aliquot loca e iure Romano illustrata.* Neque vero Propertio tantum ex iure Romano lumen intulit, sed huius simul historiam egregie illustravit. Nam Legem Iuliam de maritandis ordinibus, quum iam anno Urbis DCCXXVI. ab Augusto frustra rogata esset, ut ex Propertio et Suetonio docet, non anno DCCLVII. demum, quod plerisque placuit, sed iam anno DCCXXXVI., praemiis auctis, poenis imminutis, ac triennii primum, deinde rursus biennii vacatione concessa, perlatam esse, ex Cassio Dione et Horatio probat. Ceterum silentio hic non praetereundum, Godofredi Hermanni

p) Cf. FRID. ALBERTI DE LANGENN commentatio p. 231. not. *) allegata. Dissentit tamen censor huius commentationis in Ephem. lit. Lips. 1833. num. 208. vol. II. p. 1659—1662.

emendationes, quibus, quum publice de hoc libello disputaretur, quosdam Propertii versus sanavit, concedente viro incomparabili, suis locis a me adnotatas esse.

Tertio capite Wenckius ingeniosam coniecturam, in sua librorum V priorum Theodosiani Codicis editione propositam, uberius defendit et accuratius definit. Etenim quum in verbis L. 11. Th. C. de scenicis (xv. 7.): *His quoque vestibus noverint* (mimae) *abstinendum*, *quas Graeco nomine a latino crustas vocant*, Graecum nomen desiderari intellexisset, et in palimpsesto Vaticano, olim Bobiensi, *aletino* reperiri legisset, reponendum putaverat ἀληθινόχρωστας, quod nunc ita corrigit, ut scribatur ἀληθινόχρωτας, rectius omnino, si verbi formam spectas. In qua quidem coniectura hoc verissimum est, pro latino verbo Graecum exigi, id quod adeo certum et praecedentibus verbis *Graeco nomine* conveniens est, ut iure mireris, antea id nemini suboluisse. Sed ipsa, quam substituit, vox Graeca non modo a literarum vestigiis nimium recedit, sed nec sensui satisfacit. Vestis enim ἀληθινόχρως est, quae vero colore tincta est, purpurea, nihil aliud igitur, quam holovera. At in nostro loco non de holoveris, sed de iis vestibus agitur, *in quibus alii admixtus colori puri rubor muricis inardescit*. Itaque Carolus Beierus eadem, quam paulo ante dixi, publica disputatione censebat legendum ἀληθινοκρόκας, h. e. quae ἀληθινὴν κρόκην, purpureum subtemen habent. Sensus omnino bonus atque talis, qui propter sequentia verba unice ferri potest. Sed haec coniectura etiam magis a literarum vestigiis recedit. Mihi igitur, retenta scriptura, restitutis tantum literis Graecis, legendum videtur: ἀληθινοκρούστας. Nam κρούειν, pulsare, pellere, etiam texere significat, quod quamvis in Lexicis linguae

Graecae, quin etiam apud H. Stephanum [q]) frustra quaeratur, tamen ex aliquo Anthologiae Graecae [r]) et duobus Hesychii locis [s]), quos iam Salmasius [t]) excitavit, apparet. Etiam ἀνάκρουστος [u]) et σύγκρουστος [v]) et similiter latina lingua *percutere*, *concutere*, et *concus*, radius sive pecten [w]), apud nos *einschlagen*, *Einschlag*, in re textoria inveniuntur. Non male igitur, meo iudicio, Salmasius κρουστὰς vestes explicat bene percussas pectine seu radio; quod autem addit: in crustis illis stamen fuisse coloris cuiuslibet, tramam vero sive subtemen purpureo colore tinctum [x]), id certe non sola κρουστῶν appellatione continetur. At vestes ἀληθινόκρουσται omnino sunt, quarum stamen percussum est pectine purpureum filum trahente, sive quae subtemen habent vero colore tinctum, quum stamen sit alius coloris, rubri quidem, opinor, sed non purpurei. Nam quum nimis pretiosae essent vestes holoverae, admiscebant fila alio rubri coloris genere tincta, subtemen

---

q) Etiam in nova edit. Londin. 1823. fol. vol. V. sub v. κρούω nihil ea de re invenitur, licet κρουστός huiusque composita adnotata sint.

r) Ἐπιγραμμάτων ἀδεσπότων num. LXXXII. v. 3. vol. III. pag. 166. ed. Brunck.: Μίσθια νῦν... πηνίσματα κρούει, quod Frid. Iacobs in Anthol. Gr. vol. XI. seu Commentarii vol. III. part. I. (Lips. 1802. 8.) p. 334. his verbis: *mercede conducta telam texit*, reddere non dubitat additque: *Proprium in hac re* κρούειν.

s) Hesychius: σπαθατὸν· τὸ ὀρθὸν ὕφος, σπάθῃ κεκρουσμένον, οὐ κτενί. Idem: σπάθημα· πύκνωμα, ἀπὸ τῶν ταῖς σπάθαις κατακρουόντων τὰ ὕφη.

t) Salmasius ad Trebellii Pollionis Claudium cap. 17. in f. vol. II. pag. 410. sq. ed. Hackianae.

u) Ἀνάκρουστον ὑφαινόμενον ἱμάτιον apud Isidor. Pelus. Cf. Salmasius ad Flav. Vopisci v. Aureliani c. 46. vol. II. p. 564. ed. Hack.

v) Σύγκρουστον ἱμάτιον apud Hesychium: οὗ ἡ κροκὶς ἀνατέτριπται. Salmas. ad Treb. Poll. l. c.

w) *Concus*: κερκίστρα, ex veteribus Glossis affert Salmasius ib.

x) Pag. 242. v. 22. pro *subtemen* haud dubie auctor scribere voluit *stamen*, ita enim Salmasius. Sane *tramam* non idem esse, quod *subtemen*, docuit Gesnerus in Thes. L. L. v. *Trama*; sed nec idem ac *stamen* esse, ostendit Jo. Gottlob Schneider in Indice ad Scr. rei rust. p. 369.

autem verum, *κρόκην ἀληθινήν,* inserebant. Tales autem vestes similes erant holoveris, quare usus earum, licet non omnibus, mimis tamen interdictus, fortasse propterea, quod in spectaculis regias personas agere solebant. Cum his ea, quae in lege nostra sequuntur, optime conveniunt. Nam quum dicitur, *in quibus alii admixtus colori puri rubor muricis inardescit*, purpuram non alio colore mixtam ac depravatam, sed fila puro murice infecta stamini viliore colore tincto intexta esse patet. Ita vero omnia bene procedunt. Neque hoc dubitationem nobis movere debet, quod verbum adiectivum *ἀληθινόκρουστος* generis communis est, ut pro *ἀληθινοκρούστας* scribendum fuerit *ἀληθινοκρούστους*. Hunc enim usum non esse perpetuum, sed huiusmodi adiectiva haud raro etiam feminini generis terminatione praedita inveniri, Grammatici docent [y]).

Duo, quae sequuntur, programmata ad ius Saxonicum spectant. Eorum alterum *ad historiam Constitutionum Augusti Electoris Saxoniae symbolas*, alterum *ad Constitutiones Saxonicas XVI. et XXXII. Part. III. observationes* praebet. Symbolae illae continent memorabile Augusti Electoris de vi nonnullarum constitutionum retro trahenda rescriptum, antea non editum, quod invenerat auctor in suo libro manu scripto, cui Consultationes Constitutionum inerant. Altero programmate bene meritus est de iuris Saxonici circa fructus praedii inter heredem eumque, ad quem res ipsa redit, velut inter heredem allodialem et feudalem viduamve dividundos doctrina. Falsam enim esse demonstrat plerorumque iuris

---

y) Cf. Buttmanni *Ausführliche Griech. Sprachlehre*, 1. *Bd. Berlin* 1819. 8. §. 60. not. 2. num. 1. pag. 246. Matthiae *Ausführliche griech. Grammatik* 2. *Aufl.* 1. *Th. Leipzig* 1825. 8. §. 116. p. 233. sq., inprimis autem Passow *Ueber Zweck, Anlage und Ergänzung Griechischer Wörterbücher, Berlin* 1812, 8. pag. 50. sq. et 103—106.

Saxonici interpretum sententiam, qui, constitutioni XXXII. exceptionem regulae const. XVI. sancitae inesse rati, fructus civiles inter heredem allodialem et feudalem pro temporis parte dividant; imo dispiciendum esse ait, veneritne dies tempore mortis, an non, ita ut fructus civiles feudi, quorum vivo vasallo dies venerit, allodiali, quorum postea dies venerit, feudali successori cedant, atque hanc potius generalem esse regulam, const. XXXII. confirmatam. Idem iuris esse in fructibus civilibus rei legatae inter heredem et legatarium, nec non finito usufructu inter heredes usufructuarii et proprietarium dividendis, excepta tamen mercede ex locatione conductione debita, ut quae in locum fructuum industrialium et naturalium succedat et pro temporis parte distribuenda sit. In const. XVI. contra de iis tantum praestationibus verba fieri, quae morte penitus exstinguantur; eas igitur solas (praeter mercedem) pro temporis parte dividendas esse. Ita dissidium, quod duas illas constitutiones intercedere diu putabatur, docta utriusque legis interpretatione prorsus sopitur [z]).

Observationum ad elegantiorem iurisprudentiam facientium quarto capite tractatur celeberrima illa nostrae aetatis causa Staedeliana, quae ansam auctori dedit *de pia causa in eodem testamento et constituta et ad hereditatem vocata* disserendi. Defendit talem heredis institutionem eo, quod tacita sive iuris conditio ei inesse videatur, videlicet haec: si pia causa in testamento ipso constituta a Principe vel civitate confirmetur eique personarum iura tribuantur. Eiusmodi enim conditionem ipsi rei inesse, ne-

z) Etiam Carol. Frid. Guenthero in repetita editione libri Hauboldiani: *Lehrbuch des Kön. Sächs. Privatrechts*, §. 183. not. e. pag. 162. haec interpretatio probabilis visa est.

que ea heredis institutionem conditionalem fieri, neque vero opus esse, ut disertis verbis exprimatur. Haec quum graviter impugnasset Muehlenbruchius [a]), uberius ea persecutus est auctor in libello singulari temperantia et modestia scripto: *Beitrag zur rechtlichen Beurtheilung des Städelschen Beerbungsfalles*, brevi ante obitum edito, in quo nonnulla etiam, quae in programmate dixerat, retractavit [b]). Ceterum qui novissime de tota hac causa scripsit, Io. Ludov. Klueber [c]), istam heredis institutionem simplici hac ratione servandam censet, quod pia causa, in eodem testamento et constituta et heres scripta atque vivo testatore iam a Principe confirmata, persona moralis nascitura sive embryo moralis habenda sit, quare nec incerta persona dici, nec legum, quae incertas personas heredes institui vetant, in ea vis aliqua esse possit. Sed etiam si non ante mortem testatoris confirmata esset, tamen valere institutionem, quia tacita sit sive iuris conditio: si pia causa a Principe confirmetur [d]), qua in re cum Wenckio omnino consentit.

Excipiunt hanc commentationem quatuor orationes, nunc primum editae, et rerum praestan-

---

a) *Rechtliche Beurtheilung des Städelschen Beerbungsfalles, Halle* 1828. 8. inprimis pag. 269—273.

b) Conf. e. g. pag. 282. not. Quae in programmate (p. 276.) concessit: *Es muss aber der Erbe, welcher gültig eingesetzt werden soll, wenigstens zur Zeit des Todes des Testators existiren, z. B. ein postumus schon concipirt sein,* ea limitat in libello cit. pag. 28—31. Cf. tamen Kluebkri librum nota seq. allegatum p. 351. not. 1.

c) *Von der Erbeinsetzungsfähigkeit einer in demselben Testamente verordneten Stiftung,* in Eius *Abhandlungen und Beobachtungen für Geschichtkunde, Staats- u. Rechtswissenschaften, Bd.* 1. *Frankf. a. M.* 1830. 8. num. IX. pag. 330—374. Librorum de causa Staedeliana scriptorum recensui (pag. 341. sq.) addendam esse Zimmernii commentationem in Schunckii *Jahrbb. der ges. deutschen jurist. Literatur*, vol. VII. pag. 253—280. comprehensam, observatur ibid. vol. XVI. pag. 156—160.

d) L. l. p. 355.

tia et dictionis elegantia insignes; quarum prima est *de mysticismo Iurisconsultorum*, gravissimo nostra aetate argumento. Quae enim hodie plurimos homines invasit libido, ut sanam rationem, summum, quod a natura habemus, donum, eiurent, ac rerum principia et causas nescio qua divina communicatione sese cognoscere praedicent, eam auctor egregie describit et quantum omni humanarum disciplinarum generi noceat, ostendit. Iurisprudentiae autem triplici ratione damnosam esse docet: in iuris constituti interpretatione, deinde in iure ad facta accommodando, denique in iure constituendo, ubi inprimis de condendis legum codicibus disseritur. Quanquam autem acris illius, qua multi, historicae maxime, quae quibusdam dicitur, Iurisconsultorum scholae sectatores novos legum codices persequuntur, invidiae causam non utique nec apud omnes in mystico iuris Romani amore quaerendam esse puto, verissima tamen sunt, quae de condendorum codicum necessitate disputat. Quod argumentum quum iam antea alibi tetigerit [e]), hunc quoque locum, quippe brevem, quominus adscribam, a me impetrare nequeo. *Der chaotische Zustand unserer Rechtsquellen, so interessante Aufgaben er der Wissenschaft darbietet, ist dennoch für den praktischen Gebrauch ein unerträgliches Uebel; was man gegen neue Gesetzbücher gesagt hat, mag vom Standpunkte des Catheders sich vertheidigen lassen, aus dem höhern staatswissenschaftlichen Gesichtspunkte ist es irrig und einseitig. Denn dass klare und jedermann verständliche Gesetze den Vorschriften vorzuziehen*

---

e) Ephem. lit. Lips. a. 1824. (in censura libri a Io. Ernesto a Globig editi, supra pag. xxiii. ad num. 38. allegata,) num. 127. vol. I. pag. 1016., ubi, quod obiter moneo, illi auctori assentitur, optanti, ut litigatores, procuratorum suorum culpa laesi, etiam non antea excussis procuratoribus in integrum restituantur.

sind, die nur die Gelehrten aus den verschiedenartigsten Quellen zusammensuchen können, (wobei alles auf die besondern Grundsätze, nach welchen dieses geschieht, und auf die Lösung unzähliger kritischer und exegetischer Zweifel ankommt,) dass etwas Vollendetes unter Menschen nicht zu Stande kommt, aber ein unvollkommener Zustand immer besser ist, als ein ganz schlechter, dieses sind so einleuchtende Wahrheiten, dass man sich vergebens bemühen würde, sie durch Sophismen zu verhüllen. Multo etiam tristiore colore chaos istud depinxit Klueberus [f]). Nec potest quemquam, qui vel iudicis vel causarum patroni officio fungitur, latere, quam vere illi disputaverint. Itaque magnopere laetamur, novissime in patria nostra, quum in Ordinum provincialium Curiis de hac re disceptaretur [g]), resuscitata esse de novis legum codicibus scribendis consilia. Neque vero hoc agitur, ut iure peregrino prorsus eliminato et abiecto plane novum ius constituatur, sed ut, in unum collectis, quaecunque in vastis Digestorum et Codicis corporibus ceterisque iuris Iustinianei libris, in Canonici, Longobardici et Germanici iuris codicibus, in legibus Imperatorum Romano-Germanicorum et Principum nostrorum dispersa mixtaque alienis sunt, definitis deinde, exaequatis ac decisis, quae indefinita quaeve opposita sunt diversamve admittunt interpretationem, aliorum denique populorum legibus comparatis et in auxilium vocatis, omnia uno quasi spiritu redigantur atque componantur, iuris Romani autem doctrina scholis relinquatur, qua iuvenum ingenia enutriantur, formentur, atque interpretandis applicandisque legibus exerceantur.

---

f) L. l. pag. 366—374.

g) *Landtags-Acten vom Jahre* 1833. *Abth. III.* vol. I. p. 50. 57. sq. 627—640. *Beilage zur III. Abth.* p. 169—176. deinde *Abth. II.* vol. II. p. 745 — 750. *Beil. z. II. Abth.* p. 451—462.

Altera oratio, *de coniungendis iuris et eloquentiae studiis*, commendanda est omnibus, qui ad iurisprudentiae studium accinguntur. Nam quum serius ocius eventurum sit, ut, certe in levioribus criminibus et causis civilibus minoribus, ad eam iudiciorum formam redeamus, quae et apud veteres Romanos et apud maiores nostros in usu fuit, atque etiamnunc apud nonnullos populos tanti aestimatur, ut eam sibi eripi nullo modo patiantur, qua videlicet causae orantur praesentibus iudicibus, ut litigatores non conscriptis ingentibus actorum voluminibus, post multorum annorum vexationes et innumeras appellationes magnaque impensa, sed post paucos menses, imo post paucos saepe dies, nullo vel parvo sumtu ius suum consequantur, quam iudiciorum rationem nunc quum maxime in Borussia minoribus causis accommodari audimus: sua sponte apparet, unicuique, qui futuro tempore velit aut magistratu, aut causarum patrocinio recte defungi, non modo utilissimam, sed necessariam esse publice dicendi facultatem.

Nostrorum Iurisconsultorum aliquando Veterani vita describitur tertia oratione: *de Ioanne Adamo Gottlieb Kindio, ICto eximio*, in qua componenda usus est auctor tum ipsius Kindii scriptis, tum Klaebii libro [h]), tum vero inprimis egregio, quod Car. Aug. Gottschalkii pietas et in epistola, libello paulo inferius allegando [i]) praemissa, et in Ephemeride literaria Lipsiensi [k]) illi posuit, monumento. Cuius quidem orationis edendae consilium quum cepisset, Gottschalkio, quocum, Syndici Academici munere comitiis regni aliquo-

---

h) Joh. Gottlieb Aug. Klaebe *Neuestes gelehrtes Dresden, oder Nachrichten von jetzt lebenden Dresdner Gelehrten, Schriftstellern* etc., *Leipzig* 1796. 8. p. 74—76.

i) Vid. pag. LX. not. r.

k) *Nekrolog des Dr. J. A. G. Kind* etc. in Ephem. lit. Lips. a. 1826. num. 327. vol. II. p. 2609—2612. unde transiit in Schun-

ties interesse ac propterea Dresdae saepius morari iussus, arctiora amicitiae vincula iunxerat, eam legendam dedit; qui suas observationes et additamenta, quae Wenckio literis brevi ante obitum acceptis miserat, cum lectoribus communicare innata sibi liberalitate permisit. Haec igitur partim in edenda ipsa oratione adhibui, cui, suadente eodem viro eximio, etiam indicem librorum et opusculorum a Kindio editorum, quantum fieri potuit, omnibus numeris absolutum, adieci, partim, quum plura essent, quam quae notis comprehenderentur, huic loco reservavi.

Ac primum quidem monendum [l]), praecepta illa, litibus inter possessores praediorum equestrium et rusticos decidendis scripta [m]), ab ipso Kindio ex regulis apud Summum, quod tum erat, Regimen et Senatum provocationum receptis composita esse, auctoritate videlicet legationis novis legibus ferendis a. MDCCLXXXXI. constitutae, cui ille iam tum adscriptus erat [n]). Praecepta illa usui fori definiendo ac regendo inprimis inserviebant, donec legibus a. d. IV. Oct. MDCCCXXVIII. et a. d. XIII. Aug. MDCCCXXX. latis partim abrogarentur, magnam vero etiam partem legis vigorem obtinerent. — Deinde quae de Kindio, aetate iam confecto, ad Hahnemanni, novae inter medicos scholae coryphaei, colloquium, non tam ut ex eius oraculis sibi salutem quaereret, quam ut ex ipso viri adspectu atque sermone de doctrinae veritate iudicaret, festinante dicta sunt [o]), a

---

CKII *Jahrbb. der ges. deutsch. jurist. Lit. Jahrg. II.* 1827. vol. IV. p. 98—104. et in *Neuen Nekrolog der Deutschen, Jahrg. IV.* 1826. *Ilmenau* 1828. 8. vol. II. num. LX. pag. 666—672.

l) Ad pag. 320. sub fin.

m) *Rechtssätze, auf welche bei Entscheidung der zwischen Obrigkeiten und Unterthanen obschwebenden Streitigkeiten vorzüglich Rücksicht zu nehmen ist*, d. a. 1793. Cf. HAUBOLD *Lehrb. des K. S. Privatr.* §. 192. additam. 1. et §. 464. not. *a*.

n) Cf. p. 321. in fine. Dimissa est haec legatio a. MDCCCXIX.

o) Pag. 323. init.

veritate paululum recedunt. Nam ille quum medicorum opem frustra petiisset, re vera ad homoeopathicam disciplinam ea spe confugit, fore ut bonam valetudinem, aetate assiduoque labore labefactatam, recuperaret. — Tum praeter Reinhardum, cuius in sequentibus verbis, et Gottschalkium, cuius paulo post auctor meminit, inter amicos Kindii commemorari merentur Petrus Carolus Guilielmus Comes ab Hohenthal, qui in Academia Lipsiensi privata Kindii institutione usus erat, postea multis modis de patria meritus et ipse boni inter scriptores nominis [p]), atque Ioannes Christophorus Adelung, olim bibliothecae regiae praefectus. Coniugem quoque tertiam silentio praeteriit Wenckius, Mariam Henricam ex gente Bourgeois, Fregii, argentarii Massiliensis, postea Lipsiensis, viduam, quam anno praeteriti seculi nonagesimo octavo in matrimonium Kindius duxerat. Haec ei superstes paucis abhinc annis Lausanae extremum diem obiit.

Denique summorum in philosophia et utroque iure honorum ante decem lustra impetratorum memoria quo modo solemniter celebrata sit, paucis exponere iuvat. Ac philosophorum quidem Ordo amplissimus anno huius seculi vigesimo secundo [q]) instauravit summos honores, transmisso novo diplomate, quod addam:

Q. F. F. F. S.

VIRO SUMME REVERENDO ET ILLUSTRI

D. JOANNI ADAMO GOTTLIEB KINDIO

POT. REGI SAX. A CONSILIIS PROVOCATIONUM, ECCLESIAE EPISCOPALIS CIZENSIS DECANO DES. ET ORDINIS SAX. VIRT. CIV. EQUITI

---

p) Scripsit Librum de politia, adspersis animadversionibus de causarum politiae et iustitiae differentiis. Lips. 1776. 8. Eius consilio et auspiciis edita etiam est tertia Codicis Augustei Continuatio, quae, in duas partes distincta, prodiit Dresdae 1824. 4.

q) Non anno MDCCCXXI., ut est pag. 324.

MERITORUM
IN PATRIAM, LITERAS ET ACADEMIAM NOSTRAM
LAUDE FLORENTISSIMO
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
ANTE X LUSTRA TRIBUTOS
QUOS VIRTUTE SUA MAXIME CONDECORAVIT
IN SOLEMNI DOCTORUM PHILOS. ET MAGISTRORUM AA. LL.
CREATIONE
D. XXI. FEBR. MDCCCXXII.
DENUO CELEBRATOS
ORDO PHILOSOPHORUM LIPSIENSIS
INTERPRETE
GUILIELMO TRAUGOTT KRUGIO
EIUSD. ORD. H. T. DECANO
HISCE LITERIS GRATULABUNDUS TESTATUR
SENECTAMQUE
VEGETAM PLACITAM LONGAM
VIRTUTUM PRAEMIIS AFFLUENTEM
FAVENTE OPTIMO QUOQUE
PIE APPRECATUR.

Summorum autem in iure honorum quinta decennalia quum a. d. III. m. Febr. a. MDCCCXXIV. celebraret, non modo Kindia gens, Friderico Kindio, spectatissimo poeta, interprete, vernaculis versibus, sed etiam Christianus Iacobus Eisenstuckius, nunc Supremi, quod iurisdictionem in patria nostra regit, Collegii Praeses maxime venerabilis, latino carmine, atque ex collegarum numero Ferdinandus Gotthelf Fleckius elegia latina, Gottschalkius autem et Mauritius Henricus Nehrhoff ab Holderberg integris libellis editis [r]) memorabilem illum

r) Car. Aug. Gottschalk Analecta Codicis Dresdensis, quo ius Magdeburgense ac Scabinorum sententiae medio aevo latae continentur. Dresdae 1824. 8. IX et 42 pagg. — Mor. Heinr. Nehrhoff von Holderberg *Versuch einer Darstellung der im Markgrafthume Oberlausitz zwischen Erbherrschaften und Erbunterthanen stattfindenden Rechte und Verbindlichkeiten. Dresd.* 1824. 8. 59 pp.

et paucis visum diem ei gratulati sunt. Scabinatus quoque Lipsiensis et ICtorum in Academia Lipsiensi Ordo epistolas gratulatorias miserunt. Denique commemoranda est tabula argentea, quam Summus provocationum Senatus Kindio dedicavit, cuique inscriptio incisa erat, digna, quae hic repetatur. Erat autem haec:

PRO. SALVTE. AC. INCOLVMITATE.
SENIS. VENERABILIS.
JOANNIS. ADAMI. THEOPHILI. KINDII.
REGI. SAXONIAE. PATRI. PATRIAE. A. CONSILIIS. PROVOCA:
TIONVM. CAPITVLI. ZIZENSIS. DECANI. ORDINIS. SAXON.
VIRTVTIS. CIVICAE. EQVITIS.
QVI.
LITERARVM. ELEGANTIORVM. ET. JVRIS. SCIENTIAE. STVDIO.
EGREGIE. EXCVLTVS. SVMMOS. IN. VTROQVE. JVRE. HONORES.
ANTE. HOS. QVINQVAGINTA. ANNOS. CONSECVTVS. EST.
JVRIS. CONSVLTI.
SVMMAE. EXISTIMATIONIS. PRAECIPVAEQVE. AVCTORITATIS.
QVI. CVM. ET. DISCENTIBVS. ET. CONSVLENTIBVS. SATISFECIS:
SET. MVLTISQVE. MILITIAE. TOGATAE. HONORIBVS. FVNCTVS.
ESSET. AVDITORIO. VICE. SACRA. PRINCIPIS. COGNOSCENTI. AC.
JVDICANTI. ADSCRIPTVS. LEGVM. INTERPRETANDARVM. ET.
APPLICANDARVM. JVSSVQVE. PRINICPIS. CONDENDARVM. DEX:
TERITATE. AC. SOLERTIA. LIBRISQVE. EDITIS. TVM. IN.
PATRIA. TVM. APVD. EXTEROS. EMINVIT.
INLVSTRATORIS. PROSAPIAE. SVAE.
SOLENNIA. SEMISECVLARIA. CONGRATVLANTES.
VOTA. SINGULARI. RELIGIONI. DEBITA. FACIVNT.
ET.
AD. VIVACEM. MERITORVM. INSIGNIVM. AC. AMICITIAE. RECORDA:
TIONEM. HANC. TABVLAM. IPSI. DEDICANT.
EIDEM. AVDITORIO.
QVOD. AD. SACRAS. APPELLATIONES. COGNOSCIT. ATQVE. JVDICAT.
PRAEFECTI. ET. ADSCRIPTI.
DRESDAE. PRID. IDVVM. FEBR. CIↃIↃCCCXXIV.

De Rege Patrefamilias inscripta est quarta oratio, qua demonstratur, Principem cum patrefamilias nonnisi apud eos populos comparari, qui aureum quoddam et heroum virtute illustre seculum sint experti; hinc in Oriente, excepto uno Cyri exemplo, non usitatam esse illam comparationem; sed etiam in Occidente eam inter Graecos apud solum Homerum, apud Romanos non ante Ciceronem inveniri. Ostenditur deinde, quid commune sit Principis imperio cum potestate patrisfamilias, abstinendum autem esse ab huius imaginis usu, quoties de iuris publici disciplina, de ipso regiae potestatis exercitio et finibus, describendisque Principis et civium iuribus et officiis agatur.

Restat, ut de appendicibus pauca dicantur, in quibus, uti iam supra monui, censuras Wenckii nonnullas librorum sive ab aliis, sive a se ipso editorum, eas maxime, quae ad ius Romanum recensque inventos eius fontes spectant, servato, quantum fieri potuit, temporis ordine, collocavi. Principem locum tenet notissima illa libri ab Ern. Spangenbergio de iure Iustinianeo scripti censura, Ephemeridi literariae Ienensi inserta, qua tantam rei literariae copiam Noster aperuit, ut essent, qui toti libro illam se praeferre, profiteri non dubitarent. Etenim quum de iuris Iustinianei libris permulta docte disseruit, tum complures eorum editiones ac septem Digestorum codices, qui sunt in bibliotheca academica Lipsiensi, primus accurate descripsit [s]). Quae de explicanda Digestorum in tria volumina distinctorum ratione dixit [t]), ea limitavit postea in literis ad Hugonem datis, quas hic suppresso auctoris nomine in commentariis de iure civili suis publici iuris fecit [u]). —

s) Pag. 375—381.
t) Pag. 354.
u) *Civilist. Magazin* vol. IV. pag. 505. Cf. vol. VI. p. 320. sq. ubi p. 321. v. 2. pro *Leipziger* legendum: *Jenaischen.*

Altera appendix pertinet ad Rogerii Beneventani de dissensionibus Dominorum libellum, ab Hauboldo editum, quem simul cum similibus opusculis Gust. Haenelius nunc cum maxime denuo editurus est. — Ex censura historiae iuris Romani a Schweppio editae excerpta invenies, non quae tantummodo ad notandum refutandumve auctorem faciunt, sed quae simul etiam varia iuris Romani capita illustrant aut certe Nostri de iis iudicium produnt. — De Vaticanis iuris Romani fragmentis est quarta appendix, in qua tum nonnullos eorum locos sanavit, tum fragmenta illa eius Codicis reliquias nobis referre coniecit, quem Theodosius A. anno p. Chr. n. CCCCXXIX. praeter constitutionum Codicem hodie superstitem, condi iussit, quo et constitutiones Imperatorum et veterum Iurisconsultorum sententiae comprehenderentur [v]). — Ex doctissima de Theodosiani Codicis partibus a Peyrone et Clossio inventis commentatione [w]) duos tantum locos exhibui, quorum alter in defendenda illa de opere, cui Vaticana fragmenta sint assignanda, coniectura occupatur [x]), alter notitiam literariam de Cuiaciana iuris Anteiustinianei editione a. MDLXXXVI. continet [y]); reliqua omisi, ut quibus ipse auctor in edendis prioribus quinque Theodosiani codicis libris usus est. Huius autem editionis censuram quin repeterem, temperare mihi non potui. Nam quum graviter illam aggressus esset Augustus Guilielmus de Schroeter [z]) et propter inconstantiam, quam restitutis partim, partim neglectis antiquis titulorum constitutionumque numeris deprehendisse sibi visus erat, et propter supplementa ex Iustinianeo Codice aliundeque petita,

---

v) Pag. 421.
w) Vid. supra p. XXIII. num. 41.
x) Pag. 447. not. **).
y) Pag. XV. not. *p*.
z) In libro *Hermes*, vol. XXV. pag. 359. 384. 385.

fortiter et felici, ut mihi quidem videtur, successu Wenckius tum peculiari replicatione [a]), tum suae editionis censura proposita sese defendit, simul, in quibus rebus sibi ipsi non satisfecerit, ingenue professus. Praeter alia denique recepi ea, quae ille ad librum de Vacario in Ephemeride literaria Lipsiensi notaverat, quibus addidi supplementa suo exemplo ab auctore adscripta. Quo quidem loco observandum, e manuscriptis quinque Vacarii codicibus, quos Wenckius enumeravit [b]), duorum vestigia hodie prorsus evanuisse, videlicet eius, qui inter libros Antonii Augustini, et alterius, qui in monasterio Beccensi fuit, quorum nec Haenelius ullam notitiam accepit. Innotuerunt autem duo alii codices: unus in Belgio in bibliotheca publica Brugensi, in catalogo a. MDCCCVIII. composito ad numerum 104. relatus, seculo XIII. in membrana maximae formae, sed minori, quam Wenckianus, diligentia scriptus. Vacarii nomen in eo non invenitur, sed in vetusta schedula, primo folio agglutinata, conspicua est haec inscriptio: *Summa pauperum in legibus.* Glossas continet legum fragmentis mixtas ac distinctus est in novem libros. Invenit eum Brugis F. L. Kellerus eiusque meminit et in Themide [c]), et in literis ad Wenckium a. d. VII. Mart. MDCCCXXIV. datis, unde, quae de eo diximus, hausta sunt. Alterum codicem Haenelius vidit in Britannia in bibliotheca ecclesiae cathedralis Vigornensis (*Worcester*), initio et fine, resectis aliquibus foliis, mutilum [d]). Praeterea duo folia Oxonii in bibliotheca Collegii omnium animarum, alii codici inserta,

---

a) Ephem. lit. Lips. a. 1826. num. 61. vol. I. pag. 484—486.

b) In M. Vacario p. 57—65. et 315. Add. infra pag. 459.

c) *Thémis ou bibl. du Iurisc.* vol. V. Paris. 1823. 8. pag. 315. Add. Savignii *Gesch. des Röm. R.* vol. IV. p. 359. et Haenelii Catalogi librorum mss. Lips. 1830. 4. pag. 753.

d) Haenelii *Verzeichniss der Handschriften des Röm. Rechts in*

reperit et accurate descripsit Hachius[e]). Alia tria folia, quae ibidem in Collegio Mertoniano servantur et titulum de legatis referunt, commemorantur ab Haenelio[f]). Savignius quoque alicuius libri manuscripti meminit, qui olim in bibliotheca monasterii Dunensis in Flandria fuit; sed eum a Brugensi non diversum videri ipse observat[g]). Itaque hodie tantummodo quinque codices satis certi sunt: Pragensis, Regiomontanus, Petropolitanus (olim Wenckii), Brugensis et Vigornensis. Ceterum de Vacario omnino legenda sunt, quae Savignius in egregiis historiae iuris Romani commentariis disseruit[h]).

Denique a me adiecti sunt tum fontium iuris, tum locorum ex variis auctoribus haustorum, in hoc libro aut explicatorum, aut emendatorum, tum rerum nominumque indices copiosi. In quibus conficiendis hanc rationem secutus sum, ut eos tantum legum scriptorumque locos enumerarem, qui in hoc libro aut explicantur, supplentur, emendantur, aut de quibus interpretandis, restituendis corrigendisve aliorum sententiae vel comprobantur vel refutantur, quare plerasque constitutiones in *Indicum Corporis iuris civ. supplemento* allegatas,

England, in Ephem. lit. Lips. a. 1828. num. 42. vol. I. pag. 334. not. 18. Ipsius verba adscribam: *Der Codex (Fol. Plut. 17. No. 24.) ist vielmehr ein schöner Vacarius; leider sind die ersten und letzten Blätter, wahrscheinlich der Vignetten wegen, herausgeschnitten.*

e) H. W. Hach *in d. Zeitschr. f. gesch. Rechtsw.* vol. V. p. 218. sq.

f) Haenelius l. l. ita pergit: *Vom Vacarius sind ebenfalls 2 Blätter in einer justinianeischen Handschrift der Bibliothek von All-Souls-College in Oxford. Ferner befinden sich 3 Blätter eines Vacarius mit dem Titel de Legatis im Merton-College zu Oxford: es sind dieselben, welche im Bernard P. II. als Anon. de Legatis unter No. 762. 295. angezeigt sind.*

g) L. l. pag. 360. et ibid. not. 27.

h) *Geschichte des Röm. Rechts im Mittelalter*, vol. III. Heidelb. 1822. cap. xxii. p. 439. sq. et vol. IV. ibid. 1826. cap. xxxvi. pag. 348—366.

praesertim quum ab ipso auctore indicis more
ordine, ut facili opera inveniantur, digestae sir
omittendas esse intelligebam. Ceterum eos hui
libri locos, in quibus ars critica legibus vel sc
ptoris alicuius verbis adhibita est, stellula pra
fixa notavi.

Scribebam Dresdae mense Septembri
MDCCCXXXIII.

INDEX

EORUM, QUAE HOC LIBRO CONTINENTUR.

APPENDICES.

I.

DIVUS PIUS

SIVE AD LEGES

IMP. TITI AELII ANTONINI PII A. COMMENTARIUS.

SPEC. I.

PRAESIDE CHRISTIANO GOTTLIEB HAUBOLDO
A. D. XX. SEPT. MDCCCIV. DEFENSUM.

PRAEFATIO.

1 Quae plerisque Imperatoribus Romanis contigit fortuna, ut ex optimis quibusque iuris civilis interpretibus nanciscerentur, qui ipsorum leges atque instituta sollicite perscrutarentur ac liberalis doctrinae adparatu illustrarent, eam immerito destituisse dolemus Antoninum Pium, verissimum illud generis humani ornamentum. Quod enim, qui vitam optimi Principis, licet minus comte, descripsit, Capitolinus [a]) memoriae prodidit, multa eum de iure sanxisse, usum ad id praestantissimorum Iureconsultorum, Vinidii Veri, Salvii Valentis, Volusii Maeciani, Ulpii Marcelli, nec non Iavoleni consiliis, idem frequens constitutionum ab ipso factarum mentio, tum in variis iuris Iustinianei partibus, tum in iurisprudentiae Anteiustinianeae reliquiis, tum vero etiam apud extraneos scriptores obvia, ita confirmat, ut simul in aequitatis atque prudentiae, qua singulae Imperatoris huius leges excellunt, admiratio-

---

a) Capitolinus in v. Anton. Pii cap. 12. ad quem locum conf. Praesidis Diss. I. de consistorio Principum Romanorum (Lipsiae 1788. 4.) c. II. §. 6. p. 33. [in Hauboldi Opusculis Academicis a Wenckio editis, vol. I. Lips. 1825. 8. p. 221. sq.]

nem rapiamur. Quo magis forte temeraria videbitur lectoribus, severitati, quam adcuratum iuris civilis studium 2
a cultoribus suis postulat, adsuetis, ratio iuvenis, in eo genere vires suas periclitaturi, quod sciat necdum aliorum, nisi summorum virorum, industriam expertum esse. Quamquam autem non ita a natura hebes sum, ut mearum lucubrationum primitias politissimorum interpretum, similes historicae iurisprudentiae locos adgressorum, laboribus conferre ullo modo sustineam, tamen haud scio, an in mei moduli hominibus excusanda sit audacia quaedam, qua sola animus a difficultatum undique obstrepentium sensu revocari et ad maiora molienda erigi valeat. Qua fiducia fretus in ipso consilio exsequendo hanc mihi scripsi legem, ut naturalem constitutionum Divi Pii illustrandarum ordinem chronologico praeferrem, partim quoniam aetas plurimorum rescriptorum certo definiri nequit, partim quoniam omnino haec ratio aptior visa est ad ea, quae ab optimo Principe vel innovata essent vel confirmata, uno quasi obtutu cognoscenda. Quae quum ita sint, duabus sectionibus tota commentatio absolvetur: altera, quae de iure privato praecipiet, altera, quae ad ius publicum, cui etiam animadversionem in criminum reos vindico, pertinebit.

PROLEGOMENON.

De nominibus Antoninorum in iure civili obviis, et praesertim de ratione, qua Antoninus Pius a reliquis distingui possit. *)

Antequam autem ipsi in hoc primo specimine quarum- 3
dam legum explicandarum periculum faciamus, quoniam summa hactenus fuit inter viros doctos, quid ad Hadria-

*) [Cf. Frid. Kaemmerer *über die Röm. Kaiser, welche den Nahmen Antonius führten, und die Unterschiede, deren die Röm. Iuristen zu ihrer Bezeichnung sich bedienten*, in Eius *Beiträgen zur Geschichte und Theorie des Römischen Rechts*, vol. I. Rostochii 1817. 8. num. I. pag. 1—182. Add. Sigm. Guil. Zimmern *Geschichte des Römischen Privatrechts bis Iustinian*, vol. I. Hei-

num, quid ad Marcum, quid ad Caracallam referrent, quidve nostro tribuerent, dubitatio, placet, quaedam hac de re, non ad singula quidem loca, sed in universum praefari, quae in sequentibus fundamenti loco ponere atque ad singula adcommodare possimus. Neque enim alia suppetit per istum Antoninorum labyrinthum evadendi ratio, quam ut quasdam regulas scribas, scriptasque tamquam filum Ariadneum diligenter sequaris, tibique persuadeas, redeunte in eiusdem ICti scriptis eodem nomine eundem etiam redire Imperatorem. Quod tamen minime ita intelligi velim, ac si nunquam vel tantillum ab illis praeceptis recedere fas sit; interdum enim ut id facias, vel aetas ICti, vel aliae rationes postulant; quare normae vice funguntur, quam ante omnia adhibeas, nec, nisi id graviores causae suadeant, facile deseras.

4 Et toto quidem nomine licet noster, si veterum testimonia audiamus, Titus Aelius Arrius Aurelius Fulvius Boionius Hadrianus Antoninus Pius vocandus esset [a]), confunderemus ita tamen ea nomina, quae ante adoptionem ab Hadriano factam gessit, cum iis, quae post illam adscivit. Hac enim sequuta, ut e thesauri Gruteriani aliarumque collectionum inscriptionibus cognoscimus, ex gentis suae nominibus nonnisi Titi, Fulvii et Antonini nomina retinuit, reliquis spretis, sed in locum eorundem nominibus adoptivi patris: Aelius et Hadrianus, adsumtis. Verum ut ad libros iuris civilis veniamus, primum omnium hanc regulam constituo: praeter nostrum Antoninum neminem in iis unquam Pium adpellari. Cui etsi hoc repugnare videtur, quod in inscriptionibus atque numis idem cognomen et aliis Imperatoribus tributum legitur, ita ut illud non minus, quam Augusti nomen omnibus promiscue in usu fuisse Io. Vignolius [b]) existimaverit, tamen non puto, id, simpliciter positum, a ICtis temere alii, quam qui

delbergae 1826. 8. §. 51. not. 8. p. 184. sq.]

a) De quorum nominum rationibus vid. diligenter quaerentem Io. Vignolium in Dissert. de columna Antonini Pii, (Rom. 1703. 4.) cap. VI. p. 87—100.

b) Vignolius Diss. laud. pag. 95. cf. Ios. Eckhelii Doctrina numorum vett. vol. VIII. p. 453.

primus pietate sua hoc iudicium meruit, unquam esse tri-
butum. Certe nisi ingentes turbas in ratione nominum
veterum excitare et ima summis miscere velis, in ea ob-
servatione nobis adquiescendum est, donec manifestis
testimoniis contrarium doceamur [c]). Neque me hoc mo- 5
vet, quod Iustinianus ipse [d]) auctorem celeberrimae illius
constitutionis, qua civitas Romana cum orbe Romano
communicata est, Antoninum Pium designat, quum Ez.
Spanhemius et P. Burmannus, in libris notissimis, eam
Caracallae deberi recte docuerint. Eo enim in loco Iusti-
nianus non tam sub Antonini Pii nomine Caracallam intel-
lexisse, quam aperto errore, quod Caracallae tribuendum
erat, Pio acceptum retulisse videtur. Quae quomodocun-
que se habeant, hoc certe clarum est, quoties Divus Pius
nullo addito nomine commemoratur, Antoninum nostrum
intelligendum esse, nec de alio unquam, praeter hunc,
illud cognomen usurpari [e]), ideoque plane erroneam esse
Petri Fabri opinionem [f]), qui, ut suam de SCto Vitra-
siano sententiam lectoribus probaret, in loco Ulpiani, cui
unicam huius SCti mentionem debemus [g]), per Divum 6
Pium M. Antoninum intelligendum esse monuit. Quam ra-
tionem si admittere vellemus, profecto actum foret de li-

---

c) L. 42. D. de fideic. lib. certe in his numerari non debet, quam cum fere omnes interpretes, etiam DION. GOTHOFREDUS et IAC. RAEVARDUS (Var. lib. III. cap. 10. quod caput inscriptum quidem est: *de nominibus Antoninorum et variis eorum differentiis*, sed rem difficilem leviter dumtaxat, nec modo, qui dignus sit Raevardi eruditione, pertractat,) ad Caracallam retulerint, secuti regulam, vocabulo *noster* addito semper hunc Imperatorem declarari, nullus tamen dubito Antonino Pio deberi, siquidem Maecianum eius et Divorum Fratrum tempore floruisse CAPITOLINUS in v. Anton. Pii c. 12. et L. 17. pr. D. de iure patron. ostendunt. Idem sensit Ez. SPANHEMIUS Orbis Romani Exerc. II. c. 1. pag. 115. 116. edit. quae cum praef. I. G. HEINECCII Hal. et Lips. 1728. 4. prodiit.

d) Nov. 78. cap. 5.

e) Additum nomini occurrit L. 90. C. Th. de decurionibus, ubi in verbis: *universos, qui in Consulatu Divi Pii Constantii Decimi* (leg. *decimum*) *et Iuliani tertii* (potius *tertium*) etc. contra morem consuetum Constantio *Pii* nomen tribui notarunt IAC. GOTHOFREDUS ad eum locum, et SPANHEMIUS (qui plane nobiscum consentit,) Ex. II. c. 25. p. 394. seq. [Constantio tamen hoc nomen omnino fuisse, KAEMMERER l. l. p. 43. not. s. observat.]

f) FABER Semestr. lib. III. c. 12.

g) L. 30. §. 6. D. de fideic. libert.

brorum iuris civilis auctoritate in rebus historicis atque chronologicis *). Nec error Basilicorum, quem nondum vidi a viris doctis animadversum, ut Marcum Antoninum ab ICtis Pium dici censeam, inducere me potest. Scilicet locum quendam Ulpiani [h]), ubi Divi Marci rescriptum ICtus nobis conservavit, quique ideo incipit: *Divus Marcus rescripsit* etc., interpretes Graeci reddiderunt [i]): *῾Ο θειος Πιος ἀντεγραψεν*, etc. Quae nominum permutatio num in Basilicis saepius occurrat, etsi me ignorare fateor, illud tamen certum habeo, in loco, quem commemoravi, Scholiastae eam vitio adcidisse, qui paullo ante nomen *του Θειου Πιου* ter exhibuerat. Et quibusnam tandem fontibus edoctus scire ille poterat post octo fere secula, Ulpianum falso Marcum nominasse, ubi Pii nomen collocandum fuisset?

Difficilior longe et intricatior quaestio est de nomine Antonini, ad quod haec universe monuisse sufficiet. Antoninum Pium constat primum fuisse, qui hoc nomen gentilitium ad Imperatorium fastigium eveheret, a quo cum ad filium Marcum transiisset, qui imperii felicitate et sapientia animos omnium non minus, quam pater, sibi de-
7 vinxit, factum est ab eo tempore, ut omnes, quorum gratiam populus captaret, principes promiscue Antonini adpellarentur [k]). Quae maxime causa fuit, cur, posteaquam Caracalla atque Elagabalus nomen hoc visi sunt deformasse, Alexander Severus delatum sibi constanter detrectaret [l]). Ex iis vero Imperatoribus, qui Antonini nomen receperunt, in iuris civilis libris soli mihi commemorari videntur primus ille, de quo agimus, tum Marcus et Caracalla. Elagabalum enim, quem Guil. Grotius [m]) et Ant.

---

*) [WESTENBERGII in Divo Marco diss. I. §. 5. rationes, quibus illam Petri Fabri sententiam defendere conatus est, refutavit KAEMMERER l. l. p. 48—51.]

h) L. 30. §. 16. D. eod.

i) BASILICA T. VI. p. 162. edit. Fabrot.

k) LAMPRIDIUS v. Diadum. c. 6. et alibi passim.

l) LAMPRIDIUS v. Alex. Sev. c. 7—11. cf. ECKHELII lib. laud. Vol. VII. p. 254.

m) GROTIUS de vit. ICC. Lib. II. c. 10. §. 12. p. 162.

Schultingius [n]), non sine aliqua veri specie, in quodam
Paulli loco [o]) obtrudere nobis voluerunt, prorsus respuo
cum Io. P. Mahnero [p]), pro certo affirmans, helluonis
illius, cuius damnata a Senatu populoque et omnibus bo-
nis memoria esset, e cuius titulis eradi sanctum Antonini
nomen Senatus ipse curasset [q]), leges per se paucas, et-
si ICti aequales in suos libros adulationis causa recepis-
sent, Iustinianum certe e suis collectionibus fuisse pro-
scripturum [*]). Difficultates illius loci, quas inde natas
censeo, quod Paullus §. 4. *Divos Severum et Antoni-* 8
num, §. 5. *Divum Antoninum*, §. 6. *Imperatorem nostrum*
Antoninum, et §. 11. rursus *Divos Severum et Antoni-*
num commemoravit, ita tollo, ut putem, ICtum §. 4. et
11. scribere voluisse: *a Divo Severo et Antonino* [r]), for-
sitan etiam scripsisse, sed scribas, qui duos viderent,
pluralem iis numerum deberi censuisse; sic *το Divus* ad
solum Severum pertinebit, Divus Antoninus erit Antoni-
nus Pius, et Imperator Antoninus — Caracalla [**]); quod
postremum verissimum esse, etiam alius locus ostendit [s]),
ubi Ulpianus idem rescriptum commemorat et dicit: *Im-*
perator noster, ut, si Grotium et Schultingium sequaris,
ibi quoque Elagabalus intelligendus esset, cum tamen eo

---

n) SCHULTINGIUS Iurispr. Anteiust. p. 207.

o) L. 8. §. 6. D. de cens. Etiam in L. 4. §. 5., L. 6. §. 3. D. de off. Procos. et L. 6. D. de legation. Elagabalum intelligi voluit Io. BERTRANDUS de Iurisperitis Lib. I. c. 22., sed pessime, recte refutatus a SCHULTINGIO Iurispr. Anteiust. p. 547. [Ita nec in L. 43. D. de hered. petit. cum Anselmo et Mayansio, et L. 4. pr. D. de lege commiss. cum Forstero Elagabalum esse intelligendum, KAEMMERER l. l. p. 168. sq. observat.]

p) MAHNERUS in Commentat. de M. Aurelio Antonino, constitutionis de civitate universo orbi Romano data auctore, (quae cum praef. Io. FRID. EISENHARTI prodiit Hal. et Helmst. 1772.) §. 6. p. 21. sqq.

q) LAMPRIDIUS v. Alex. Sev. init.

*) [Unam tamen in Iustinianeo Codice exstare Elagabali constitutionem: L. 8. C. de negot. gest., propter subscriptos Consules, qui in annum p. Chr. 219. incidant, defendit KAEMMERER l. l. p. 176. sq. Quod si verum, L. 8. et 9. inverso ordine collocandae sunt. Neque tamen id omni dubitationi exemtum videtur.]

r) Ut est in L. 6. §. 2. D. de offic. Procos. et plur. al. loc.

**) [Etiam KAEMMERER l. l. pag. 170—175. cum Herm. Cannegietero et Wenckio in L. 8. §. 4. et 11. cit. pro *Divis* legendum censet *Divo*, neque vero in §. 5. Antoninum Pium subintelligit, sed ibi quoque ex antiquis edd. *Divus Severus et Antoninus* restituit.]

s) L. 1. §. 4. D. de censibus.

nomine constanter Ulpianus Caracallam innuat. Restant ergo Titus Antoninus, Marcus et Caracalla, qui tres Antonini nomine occurrere putantur, et licet tunc, quum vel Marco frater Verus aut filius Commodus, vel Caracallae pater Severus additus legitur, nulla possit oriri dubitatio, tamen, quia uterque, sicut Divus Pius, et sine collega regnarunt, ubi unus commemoratur, haud raro viris doctis res ambigua visa est. Atque hic improbo eorum regulam, qui, ubicunque in Digestis Imp. Antoninus laudatur, ibi Caracallam, ubi Divus Antoninus, ibi vel Pium vel Marcum intelligendos esse putant; sed nec illos probo, qui
9 omnia loca, ubi Antonini nomen non addito cognomine legitur, ad Pium referunt, quos a vero aberrare iam suspicatus est Corn. van Bynkershoek[t]). Scilicet sponte intelligitur, in opere e plurium libris composito non posse easdem ubique leges observari; imo auctor sim, ut diligenter inquiratur in cuiusque ICti aetatem, atque ex ea decidatur, quem Divum ille tamquam mortuum, quem vero, eodem tempore regnantem, Imperatorem vocare potuerit[u]). In quo tamen postremo non nimis severe semper inhaeserunt ICti, interdum, sed tamen raro, mortuum iamiamcum scriberent, Principem Imperatorem vocantes, ut e Paulli exemplo, in hoc ipso libello adferendo, adparebit*). — Illud vero deprehendisse mihi videor, quod, tamquam secundam in discernendis Antoninorum nominibus regulam, proferre audeo, Marcum Antoninum, cui

---

t) Bynkershoek in Comm. ad L. 9. D. de leg. Rhod. de iactu cap. II. in Opuscc. a F. C. Conradi editis pag. 196.

u) Satis nimirum iam constat, nisi post mortem, neminem Imperatorum *Divum* vocatum esse; quod cum in dubium vocasset Vertranius ad Tac. Ann. XV. c. ult., recte eum refutarunt Vignolius in Diss. laud. c. V. p. 70—86. et Herrm. Cannegieter Observatt. iur. Rom. (Lugd. Bat. 1772. 4.) lib. II. c. 1. p. 133—143. [Cf. Kaemmerer l. l. p. 25. et 94. sq. Ceterum accuratiores, quas Kaemmerer de universa hac re proposuit, regulas in praefatione recensebimus.]

*) [Id licet de eo Pauli loco, quem auctor indicat, (est autem L. 31. §. 4 D. de fideic. lib., v. spec. II. cap. IV. pag. 65.) concedi non possit, per se tamen verum est; exempla contulit Guil. Ant. Henr. Dittmar in diss. de nomine, aetate, studiis ac scriptis Gaii ICti Rom. Spec. I. Lips. 1820. 4. p. 70. sq. not. 6., simul autem monet, ICtos Romanos in hac re ita versari, ut, quisnam intelligendus sit, dubitari nequeat.]

egregium Philosophi cognomen posteri dederunt, in iuris civilis libris nunquam vel simpliciter Antoninum, vel Imp. Antoninum dici, nisi ubi de nemine alio sermonem esse posse confestim adpareat. Quam sententiam, etsi Spanhemium et Mahnerum aliter praecipere sciam, mihi tamen extorqueri non patiar*). Certe e duobus locis Ulpii Marcelli[v]) alter ob adpositos Coss. *Pollionem* et *Pudentem*, alter ea de causa, quod ibi *Aurelius Imperator Antoninus e Germania* dicitur *ad adpellationem* rescripsisse, primo adspectu de Marco sermonem esse produnt, nec Papirius Iustus per *Imperatorem Antoninum* alium quam Marcum intellexisse cuiquam videri potest[x]), qui meminerit, hunc ICtum Divorum maxime Fratrum leges in constitutionum, quod composuit, opere collocasse[y]). Reliqua autem loca, quae vel Spanhemius[z]) adfert, vel Mahnerus[a]), partim ad Antoninum Pium[b]), partim ad Caracallam[c]), pleraque non primus, refero; quod dicendum

---

*) [Dissentit KAEMMERER p. 65—80., nec iniuria, ut videtur. Cf. not. b.]

v) L. 3. D. de his, quae in testam. delent. L. 48. de cond. et demonstr. Posterior locus in indicibus legum nostri, quos ANTON. AUGUSTINUS in libro de nominibus propriis Digest. et LABITTUS in ind. Pandd. exhibuerunt, delendus est.

x) In L. 60. D. de pactis, quam AUGUSTINUS et LABITTUS inter Pii leges retulere.

y) C. A. HENNICKE Diss. Papirii Iusti ICti Romani fragmenta observatiunculis illustrata, Lips. 1792. praes. STOCKMANNO defensa.

z) SPANHEMII Orb. Rom. Exerc. II. cap. 2. pag. 120. not g. n. et s.

a) MAHNERUS in Comm. laud. §. 5—9. pag. 18—42.

b) Scilicet ab *illo* laudatas L. 1. D. de his qui sui v. al. iuris sunt, L. 7. de in integr. rest., L. 41. de donatt. int. vir. et ux., L. 9. de lege Rhod. d. i.; ab *hoc*, qui, ut rem malam defenderet, mirum, quantum se torsit et multa plane inutilia ac aliena immiscuit, L. 70. D. de leg. II., L. 8. §. 5. de censibus; ab *utroque:* L. 15. §. 5. loc. cond. — [KAEMMERER l. l. p. 13. et 29. in L. 7. de in int. rest. et L. 9. de leg. Rhod. ad Pium referendis cum Wenckio nostro consentit, sed p. 16. 71. 76 sqq. in L 70. cit. (etiam in L. 3. de coniung. c. emanc. lib. eius, L. 34. §. 1. de statulib. et L. 6. de usuris, Nostro non commemoratis,) *Imp. Antonini* nomine *M. Aurelium*, in L. 41. cit. autem et L. 8. §. 5. de cens. (vid. supra not.**) p. 16. sq. et 170—176. *Caracallam* intelligit. A quo, etiam L. 15. §. 5. loc. cond. p. 30—33. ad Marcum et L. 1. de his, qui sui v. al. iur. sunt, p. 156—163. ad Caracallam referente, discedendum est; illam enim WENCKIUS in Indicum Corp. iur. civ. supplemento (infra num. IV.) §. 11. p. 36. rectius Caracallae tribuit; hanc ad Pium spectare, ex GAII comm. I. §. 53. hodie constat.]

c) Nimirum, quas SPANHEMIUS adfert: L. 11. pr. D. de iurisd. L. 42. de donatt. int. vir. et ux.;

est etiam de aliis, ab his fortasse praetermissis [d]). Nam
11 de talibus locis, quales etiam adfert Orbis Romani auctor, ubi *Impp. Antoninus et Verus*, *Imp. M. Antoninus* seu *Divus Antoninus et Commodus* commemorantur, hic quidem superfluum est dicere, utpote de quibus nemo nisi omnis historiae ignarus dubitabit. Confugit Mahnerus [e]) etiam ad Codicem Iustinianeum, et primum adfert constitutionem ita inscriptam: *Imp. M. Antoninus A. Diogeni* [f]), quam tamen Io. Ortw. Westenbergius [g]) Caracallae deberi suspicatus est, quod in quibusdam codd. addita esset subscriptio: *Duobus Aspris Coss.*, quem Consulatum in Caracallae tempora incidere Codicis lectores fugere non potest. Equidem Westenbergii sententiam auctoritate alius loci in Digestis, ubi idem rescriptum laudatur [h]), extra omne dubium positam censeo, ut το *M* necessario tollendum sit [*]). Provocat quidem Mahnerus ad aliam Cod. legem, in cuius inscriptione cum sit: *Imp. Antoninus Aufidio et aliis*, Consules subscripti *Priscus et Apollinaris* certum reddunt, esse M. Antonini [i]). Verum ut in multis Codicis locis nomen M. Antonini corruptum est [k]), ita et h. l. haud dubie excidit litera *M*, qua re-

---

quas MAHNERUS: L. 5. §. 16. et 25. D. ut in poss. leg. L. 3. §. 1. D. ne vis fiat ei qui in poss. (indeque et L. 6 C. ut in poss. leg.), L. 34. D. de liberali causa; quam *uterque:* L. 15. §. 6. D. loc. cond. — [Imo in L. 11. pr. et L. 42. cit. M. Aurelius intelligendus. Cf. praefatio.]

d) Sic in indicibus LABITTI et AUGUSTINI ad Marcum refertur L. 57. D. de leg. II., quam ad Pium pertinere et verba docent, et SPANHEMIUS fassus est, loc. cit. p. 116.

e) MAHNERUS ibid. pag. 24. sq.

f) L. 1. C. de h. q. in exsil. dati.

g) WESTENBERG in Praef. Divo Marco praemissa.

h) L. 3. §. 1. D. de decurion.

*) [Hac litera KAEMMERER l. l. p. 56. *Magnum* significari censet, quod cognomen Caracallae etiam in libris ICtorum et Iustinianeo Codice tribui, p. 131 — 134. ostendit. Add. ZIMMERN *Gesch. d. Röm. Privatr.* vol. I. p. 185. not. 8. Sed vereor, ut in inscriptione legis ita dici potuerit, praesertim quum litera *M* nomini anteposita sit; iure igitur, opinor, BECKIUS eam omisit.]

i) L. 1. C. de necess. hered.

k) Nimirum in L. 1. C. de impub. et al. subst., L. 1. C. quom. et qu. iud. sentent. et L. 1. C. de petit. hered., in quibus pro eo, quod vulgo legitur: *Impp. Aelius et Antoninus* vel *Imp. M. Aelius Antoninus*, legendum necessario: *Imp. M. Aurelius Antoninus.* Nam in primo loco additi Coss. *Clarus et Severus* Marcum, non Pium, intelligendum esse docent, ipse autem Marcus Aelii nomen non gessit, quod Pius ab adoptivo patre

stituta neque hic locus aliquid adversariis praesidii da- 12
bit*). Caeterum mirum omnino est, Spanhemium, ubi eorum, qui civitatis cum orbe Romano communicatae origines ad Marcum referunt, sententiam examinat, hanc rem diligentius non tractasse, sed potius, neglecta aetatis, qua ICti vixerunt, diversitate, et fictitiis, ut dixi, exemplis, ubi Marcus simpliciter Antoninus vocetur, prolatis, adversariis suis arma, quibus contra ipsum pugnarent, suppeditasse. Ego vero, cum ex his, quae hactenus dixi, satis eluceat, me M. Antoninum, quidquid proferat ex Aristide suo Mahnerus, pro vero illius constitutionis auctore habere non posse, iam censeo in eo mihi elaborandum, ut ne illam ad Antoninum Pium referre cum iis, quos Iustiniani errorem paullo ante declaratum secutos enumerat Spanhemius[l]), viris doctis videar; quare nunc breviter demonstrabo: Antoninum Pium apud Ulpianum *Imp. Antonini* nomine non esse intelligendum, ita tamen, ut, quemadmodum huic loco adcommodatum est, missis omnibus argumentis ex historia petitis, ex sola nominum ratione Ulpiano usurpata evincere id studeam; a qua probatione non parum ponderis adcessurum arbitror coniecturis a P. Burmanno[m]), Ez.
Spanhemio et Ant. Schultingio[n]) prolatis, sed hac ex 15
parte non satis, ut videtur, strenue defensis, quandoquidem ipsi adeo Cornel. van Bynkershoek[o]) in mentem venit profiteri, videri sibi a sententia eorum, qui Pium intelligant, ratione non satis idonea esse discessum.

---

receperat. Idem monuit SPANHEMIUS lib. laud. p. 121. et de ultimo loco etiam RAEVARDUS loc. cit. — [At in L. 1. C. de impub. et al. subst. et L. 1. quom. et qu. iud. sent. legendum esse: *Imp. T. Aelius Antoninus*, ipse WENCKIUS in Indicum Corp. iur. civ. supplemento §. 4. p. 17. nota*) observavit, id quod KAEMMERERUM, qui l. l. p. 63. sq. eandem sententiam, quantum quidem ad priorem locum attinet, defendit, de altero autem loco certi quidquam definire p. 106. lit. d. non ausus est, latuit. In L. 1. de petit. hered. ad *M. Aurelium* referenda Idem p. 105. lit. c. cum Nostro consentit].

*) [Litera illa in L. I. C. de necess. hered. ne opus quidem esse, KAEMMERER l. l. p. 103—105. defendit.]

l) SPANHEMIUS loc. cit. p. 115.

m) P. BURMANNUS de vectigal. pop. Rom. cap. 11.

n) SCHULTINGIUS in not. ad Paulli Sent. rec. lib. IV. tit. 6.

o) BYNKERSHOEK loco supra [pag. 7. not. t.] laud.

Et Ulpianum quidem ad Alexandri usque Severi aetatem in summo honore vixisse, donec a militibus iratis e medio tolleretur, vel dupondii sciunt; in scriptis autem eius fere ubique T. Antoninus D. Pii, constanter Antoninus Philosophus D. Marci, et ubivis Caracalla Imp. Antonini nomine veniunt. Sic v. c. aliquando commemorantur *Divus Marcus et Verus*, *et Imperator noster Antoninus* [p]), ubi nemo dubitabit, Caracallam esse intelligendum. Similiter alio loco *Imperator Antoninus Augustus* [q]) non est alius, quam Caracalla, licet non multo post idem rescriptum *Divo Antonino* tribuatur [r]); nam *Antonino* simpliciter adscribitur alibi [s]), et adcidit id, quod interdum factum esse paullo ante confessus sum, ut nimirum mortuum (scripsit autem Ulpianus libros, unde illa loca depromta sunt [t]), mortuo Caracalla [*]),) *Imperatorem* diceret,
14 quod non tam errore, quam ne eiusdem formulae frequentior repetitio fastidium lectoribus crearet, fecisse videtur. Caeterum illo quidem loco Divum Antoninum Caracallam esse, negare non possum; in reliquis, ubi idem nomen occurrit, vix concedo, sed ea potius Pio vindico pluribus e causis. Primo ob fragmentum Ulpiani [u]), ubi *D. Antonini* de arrogatione impuberum constitutio laudatur, quam D. Pio deberi constat; deinde propter locum, quo *Divus Pius Antoninus* commemoratur [v]); porro propter alium, ubi, cum prius *Divus Antoninus* laudatus esset, additur *Antoninus Augustus* [x]), et male viri docti unum eundemque Imperatorem intelligunt, siquidem, re ipsa suadente, in priore nomine Pius, in altero Caracalla latet; denique motus exemplo, ubi *D. Hadrianus* et *Di-*

---

p) In L. 1. §. 1. D. de suis et legit. hered.

q) L. 5. §. 16. D. ut in poss. legator.

r) §. 25.

s) L. 3. §. 1. D. ne vis fiat ei qui in possess.

t) Libros LII. et LXVIII. ad Edictum.

*) [De hac re ac de L. 5. §. 16. 25. cit. cf. Indicum corp. iur. supplementum (infra num. IV.) §. 11. Plura in praefatione dicemus.]

u) Ulpiani Fragm. tit. VIII. §. 5. [Sed h. l. *Divi Ant. Pii* legendum censet Kaemmerer l. l. p. 36-39.]

v) L. 1. pr. D. de auct. et cons. tut. — [At ibi per se nulla est dubitatio, quum *Divus Pius Antoninus* diserte nominetur, ut monet Kaemmerer l. l. p. 28.]

x) L. 15. §. 5. et 6. D. loc. cond.

vus Antoninus iunguntur[y]), ut procul dubio filius patris rescriptum confirmasse censendus sit. Ex his igitur cum constet, D. Antonini nomine, si ab unico loco recesseris, apud Ulpianum semper D. Pium esse intelligendum[*]), num quis sibi persuadebit, eundem etiam Imperatorem dici? Certe de innumeris locis, in quibus nomen *Imperatoris nostri* apud Ulpianum commemoratur, nemo unquam hoc adfirmaverit, nec de iis, ubi *Imp. noster Antoninus Aug.* aut *Imp. Antoninus Aug.* aut *Imp. noster Antoninus* legitur, licet ex iis unum[z]) perperam in suos indices Labittus et Augustinus retulerint. *Antonini Augusti* nomine Caracallam innui, inde patet, quod huius nominis Imperator Iuliae Mamaeae, consobrinae suae, indulsisse aliquid dicitur[a]), hanc vero, Alexandri matrem, cognatione Caracallae iunctam fuisse constat[b]). Haec vero omnia ad Caracallam pertinent; de *Imperatoris* nomine quis dubitet? cum praesertim, si, qui Alexandri Severi aetate scripsit[c]), ille etiam D. Pii tempore scripsisset, eum octoginta ad minimum annorum aetatem adsequutum esse oporteret. Praeterea provoco ad *Divi Severi et Imp. Antonini* mentionem[d]), inde repetendam, quod ICtus imperante Caracalla, sed post patris Severi obitum scripsit; quo ipso exemplo nihil potest esse clarius. Quae cum ita sint, utique non modo in illis Ulpiani verbis, quae disserendi occasionem praebuerunt, sed etiam in reliquis septem locis, in quibus, quis sit

---

y) L. 1. §. 5. D. de quaestion. [Quod h. l. Divum Antoninum Hadriano anteposuit Ulpianus, propterea eum fecisse putat Kaemmerer l. l. p. 34., ne quis forte Pium cum M. Aurelio confunderet.]

*) [Imo *Divum Antoninum* in libris Ulpiani, velut in L. 15. §. 5. D. cit., M. Aurelium esse, contendit Kaemmerer l. l. p. 27. sq. et 30 — 33., exceptis tamen iis locis, ubi de Pio dubitari nequeat, velut L. 1. §. 5. D. de quaest. (ib. p. 33. sq.) Sed nec de M. Aurelio rem satis certam videri, in praefatione ostendere conabimur.]

z) L. 3. §. 1. D. de tutelis.

a) L. 12. D. de senator.

b) Et tamen per *Antoninum Augustum* in L. 15. §. 6. D. cit. intelligamus Divum Pium?

c) ut patet e L. 86. §. 3. D. de leg. II. — [Errasse hic Wenckium, quum non L. 86. sed L. 87. fuerit alleganda, neque ea sit Ulpiani, sed Pauli, paulo acerbius monuit Kaemmerer l. l. 149.]

d) L. 6. §. 3. D. de off. Procos.

Imperator Antoninus, dubitatur[e]), Caracallam subaudiendum esse patet, maxime cum idem, quod in Digestis[f])
16 occurrit, edictum etiam in Codice[g]) legatur, cui si auctore Westenbergio, ut dixi, addatur e MSS. nonnullis subscriptio: *Duobus Aspris Coss.*, nulla de Caracalla dubitatio superesse poterit. Neque est, quod quis obiiciat, eandem, quae in Cod. et Dig. occurat, legem et alio Digestorum loco reperiri[h]), ubi D. Pium intelligendum esse hoc ostendat, quod Papinianus *Imp. Titum Antoninum*, quo nomine solet nostrum insignire, rescripsisse fere idem dicat. Verba enim Ulpiani satis demonstrant, id ipsum, quod Papinianus ab Hadriano et Pio singulis rescriptis introductum dixerat, a Caracalla generali quadam norma fuisse repetitum, ut ideo Diogenes praeses fuisse alicuius provinciae videatur, ad quem edictum illud missum sit.

Iam vero transeundum est ad tertium prooemii argumentum. Constat igitur inter omnes, Antoninum Pium ab Hadriano adoptatum, non modo Aelii, sed etiam *Hadriani* nomen recepisse, indeque factum esse, ut et in Fastis Consularibus ubique, et in plerisque lapidibus ac numis, qui in collectionibus facile reperiuntur, hoc nomen ei additum sit. Hinc primum omnium, quantum scio, Iac. Cuiacii sagacitati suboluit, in libris etiam iuris civilis, sub *Hadriani* nomine interdum latere ipsum Antoninum Pium, quam rationem in scriptis crebro ad tol-
17 lenda ICtorum in designandis legum auctoribus dissidia adhibuit[i]). Nactus est Cuiacius diversos diversa aetate adseclas, e quibus mihi quidem hactenus innotuerunt: Petrus Faber[k]), Hubertus Giphanius[l]), Petrus Burgius[m]),

---

e) Ulpiani Fragm. tit. XVII. §. 2., Coll LL. M. et R. tit. XIV. §. 3., L. 3. §. 2. D. de recept. L. 2. commun. praed., L. 8. §. 10. de poen., L. 3. §. 1. de decurion.

f) L. 3. §. 1. D. de decurion.

g) L. 1. C. de his qui in exsil. dati. [cf. supra p. 9.]

h) L. 8. D. de postulando.

i) Vid. praecipue Eius Observatt. lib. XXI. c. 13., et Comment. ad Papiniani lib. IX. Respons. ad L. 58. § 3. D. ad SC. Trebell.

k) Fabri Semestr. lib. III. c. 12. p. 164.

l) Giphanius in Comm. ad Institutt. (Francof. 1606. 4.) ad §. 2. de SCto Tertull.

m) Burgius Elector. cap. IV. (in Ev. Ottonis Thes. Tom. I. p. 316.)

Franciscus Hotomanus [n]), Anton. Contius [o]), Anton. Muretus [p]), Iacob. Raevardus [q]), Aegid. Menagius [r]), Arn. Vinnius [s]), Ianus a Costa [t]), Io. van de Water [u]), Iac. Voorda [v]), Vincent. Gravina [x]), et, qui nuperrime in hanc sententiam descendisse videntur, C. F. Glück [y]) et H. E. F. Bolley [z]). Verum his sese opposuerunt atque unquam
Antoninum nostrum *Hadriani* nomine occurrere pernega- 18
runt Iac. Gothofredus [a]), Rad. Fornerius [b]), Ant. Schultingius [c]), Herm. Noordkerk [d]), Ev. Otto [e]), Corn. van Bynkershoek [f]), Ez. Spanhemius [g]), Georg. d'Arnaud [h]), I. G. Heineccius [i]), Gerh. Oelrichs [k]) et Io. Aug. Bachius [l]). Denique non liquere sibi de tota hac quaestione, fassi

---

n) Hotomanus de Legibus pag. 157.

o) Contius ad §. 2. Inst. cit.

p) Muretus ad §. 4. Inst. cit.

q) Raevardus Var. lib. III. cap. 10.

r) Menagius Amoenitatt. iur. cap. 12. extr.

s) Vinnius ad §. 2. Inst. cit.

t) a Costa in Comm. ad tit. X. de mutuis petition. pag. 387. in praelect. ad tit. Cod. de const. pecun. (in Meermani Thes. T. I. p. 721.) et alibi.

u) van de Water in dissert. inaug. contin. quasdam coniecturas ex iure civili (Trai. ad Rh. 1720. 4.) pag. 41.

v) Voorda in Interprett. et emendatt. iur. Rom. (Trai. ad Rh. 1735. 8.) cap. XIII. pag. 38. sqq.

x) Gravina de legg. et SCtis. §. 83. pag. 655. sqq.

y) Glueck *Systematische Erörterung der Lehre von der Intestaterbfolge*, (Erlang. 1803. 8.) §. 60. pag. 155. adversarium tamen nactus virum doctum in Ephemeridibus litt. Lips. nov. hui. anni, sched. 12. pag. 180.

z) Bolley in Comment. *Versuch über die Lex* 91. *D. ad leg. Falcid. und die damit in Verbindung stehenden Gesetze*, inserta diario a Gmelino, Tafingero et Danzio edito, quod vocatur: *Juridisches Archiv*, Part. I. p. 11.

a) Gothofredus in Commentar. ad L. 6. C. Th. de sep. viol. et L. 1. ibid. de inf. poen. coel.

b) Fornerius Rer. quotid. lib. I. c. 17.

c) Schultingius ad Ulpiani fragm. Tit. XXVI. §. 8. Sed aliter sentit ad Paulli Sent. Rec. lib. I. tit. 21. §. 2.

d) Noordkerk in Decade Observatt. c. V. p. 96—106.

e) Otto in notis ad §. 2. Inst. cit.

f) Bynkershoek Observatt. iur. Rom. lib. III. c. 8. pag. 169. edit. Halens.

g) Spanhemius Orb. Rom. Exerc. II. c. 1. p. 116.

h) d'Arnaud Var. Coniectur. lib. I. c. 9. pag. 69. Sed aliter statuere videtur lib. II. c. 25. p. 377. 378.

i) Heineccius in Syntagm. Antiqu. Iurisprud. illustr. lib. III. tit. 3. §. 3. [ed. Haubold. p. 500.]

k) Oelrichs in diss. de vita, studiis, honoribus et scriptis Aelii Marciani ICti (Trai. ad Rh. 1754. 4.) cap. V. §. 8. p. 36.

l) Bachius in Hist. Iurisprud. Rom. lib. III. c. 1. Sect. 1. §. 2. not. t. p. 406. sq. coll. Sect. 2. §. 4. p. 426. et Sect. 3. §. 3. p. 434. ed. Stockmanni.

sunt Ant. Augustinus[m]), Io. Bertrandus[n]), (qui tamen magis inclinat in Cuiacii sententiam,) et Io. van de Water, eo loco, quo novis curis idem argumentum retractavit[o]). Scilicet occurrunt in Digestis et Institutionibus ali-
19 quot loca, in quibus eaedem leges nunc Hadriano, nunc Antonino Pio tribuuntur, occurrunt alia, ubi leges laudantur Hadriani, quas Capitolinus ab Antonino Pio latas dicit, denique nec desunt, in quibus Hadrianus ad homines rescripsisse dicitur, quos Antonini maxime Pii temporibus floruisse scimus; quibus omnibus vix aliter temet expedire poteris, quam Cuiacianam sententiam, clarissimis illam monumentorum veterum testimoniis nixam, si sequaris. Nam quod adversarii dicunt et maxime Noordkerkius[p]), Antoninum confirmasse aut in usum revocasse patris instituta et leges, id interdum verum est, sunt enim quaedam loca, ubi id verba ipsa luce clarius ostendunt[q]); sed tam crebra legum Hadriani repetitione eius Imperatoris, qui statim post illum rem publicam gessit, aetate opus fuisse, de eo quidem mihi non est persuasum. Contra ea vero, quae ex historia petuntur, argumenta parum omnino vel nihil adversarii regerunt, ut commodis locis ipse adcuratius ostendam. Iam vero adferam uno conspectu ea loca, in quibus Divum Pium Hadriani nomine indicari puto*). Post alios ad Pium refero:

---

m) Augustinus Emendatt. lib. IV. cap. 16. Tom. IV. pag. 1560. Thes. Otton.

n) Bertrandus de Iurisperit. Lib. I. C. 20.

o) van de Water in praefat. I. a Costa Commentario ad Institt. ab ipso edito praemissa p. 7. sqq. Est etiam, qui per D. Pii nomen Hadrianum interdum intelligendum dicit, Greg. Vallius in lib. sing. ad L. 91. D. ad legem Falcid. et I. 24. C. famil. herc. T. I. p. 446. Thes. Otton., forsitan calami vitio, cum contrarium scribere vellet. — Raevardus l. c., ut id obiter moneam, etiam sub *D. Titi* nomine, in L. 1. §. 2. D. de iure fisci et alibi obvio, Pium latere putat, sed nullo plane nixus argumento. Est potius Vespasiani filius, nec, quantum scio, alii Raevardi sententiam secuti sunt. — [Etiam Kaemmerer l. l. p. 57. sq. adversus Raevardum disputat.]

p) Noordkerk loc. cit. pag. 98. 99.

q) Veluti L. 1. §. 5. D. de quaestion., L. 6. §. 19. D. de ex- excusatt. etc.

*) [De his locis in praefatione nonnulla dicturus sum.]

§. 4. Inst. et L. 26. D. de fideiussor. cum L. ult. C. 2 de const. pecun.[r])

§. 2. Inst. de SC. Tertull.[s])

L. 37. D. de iudiciis.[t])

L. 7. pr. D. de rebus dub. et L. 3. D. si pars heredit. petat.[u])

L. 93. D. ad leg. Falcid. et L. 58. §. 3. D. ad SC. Trebell.[v]), denique

L. 3. §. 5. de sep. viol.[x])

Ipse vero, timidus quidem, sed tamen non plane incertus, nova coniectura addi velim:

L. 3. §. 1. 2. 3. 4. et 6. D. de testibus[y]), et

L. 7. D. de incend. ruina naufr.[z])

Quanquam autem hac quidem in libelli parte generali non licet vel meas coniecturas latius stabilire, vel per singula exempla eundo Cuiacianam rationem ab adversariorum, maxime eius, qui diligentissime hac in re versatus est, Noordkerkii, obiectionibus vindicare, quod ei potius tempori servandum est, quo ordo commentationis ad illa loca me deferet; de duobus tamen locis, quae non tam legem continent, quam factum narrant, ad quod nulla erit in posterum redeundi opportunitas, nunc statim monenda quaedam esse videntur. Nam in fragmento e

---

r) Argum. L. 49. D. de fideiussor. et PAULLI Sent. Rec. lib. I. tit. 20. §. 1. ubi cum MURETO pro verbis: *Ex edicto Praetoris*, legendum: *E. E. D. P.* h. e. Ex Epistola Divi Pii. — [Cf. tamen Indicum corp. iur. civ. supplem. §. 4. ad L. 3. C. de const. pec. Add. GAII Inst. comm. III. §. 121. 122.]

s) Argum. Fastorum ad annum U. c. 911. et ZONARAE l. XII. p. 593.

t) Argum. L. 5. §. 1. D. ad leg. Iul. de vi publ.

u) Argum. CAPITOLINI in vita Anton. P. c. 9. p. 268. sq. §. 1. ed. Hack.

v) Argum. L. 91. D. ad leg. Falcid.

x) Argum. CAPITOLINI ibid. c. 12. p. 278.

y) Ductus nominibus virorum, ad quos illa rescripta data sunt, qui omnes sub Pio floruerunt et magistratus gesserunt. Cf. interea Fastos ad annum U. c. 903. 905. (add. CAPITOLINUS v. Anton. Pii c. 11. et M. Anton. c. 6.) 906. (ubi legendum *Iunio Rufino*, ex inscriptione apud GRUTERUM p. 300. n. 1., nam *Antonius Rufinus* Cos. fuit a. U. c. 884. nec de secundo eius Consulatu constat,) et 897. (coll. CAPITOLINI v. Ant. P. c. 8.) qui omnes anni in Antonini Pii imperium incidunt.

z) Argum. L. 4. §. 1. eod. et L. 1 §. 2. D. ad leg. Iul. de vi priv.

Gaii Lib. I. Fideicomm. desumto [a]) narrat ICtus haec: *Nostra quidem aetate Serapias, Alexandrina mulier, ad Divum Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos uno foetu enixa est.* Cui convenienter Paullus quoque Lib. XVII. ad Plaut. [b]) habet: *Laelius scribit, se vidisse in palatio mulierem liberam, quae ab Alexandria perducta est, ut Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post diem quadragesimum.* Denique et Iulianus [c]) Lib. I. ad Urseium Ferocem ita: *Nam et Aristoteles scripsit, quinque nasci posse; — et esse mulierem Romae Alexandrinam ab Aegypto, quae quinque simul peperit, — et hoc et in Aegypto adfirmatum est mihi.* Unum idemque factum in his locis proponi primo, nisi fallor, obtutu adparet. Fuerunt enim Gaius,
22 Laelius et Iulianus aequales; praeterea omnes de muliere Alexandrina et tempore Hadriani loquuntur. Neque morari nos debet, quod e Laelio Paullus adfert, quatuor simul liberos, quintum post quadragesimum diem natum esse, cum reliqui unum tantum partum commemorent; hoc enim, si, quod medicis excutiendum relinquo, fieri potuit, intelligendum est de uno quidem partu, sed diuturnis parturientis doloribus *). Quantopere hicce casus oculos omnium in se converterit, probant trium ICtorum testimonia; sed ecce surgit Capitolinus [d]), qui in Antonino Pio haec habet: *Natus est et biceps puer, et uno partu mulieris quinque pueri editi sunt*, qui locus mirum quantum viros doctos torserit. Nolo omnes omnium coniecturas proferre, deligam praecipuas, et quid mihi videatur, addam. Nihil plane certi pronunciare audent Sam. Petitus [e]) et I. G. Heineccius [f]). Erroris mani-

---

a) L. 7. pr. D. de reb. dub.

b) L. 3. D. si pars hered. petat.

c) L. 36. D. de solution.

*) Male igitur exinde de diversis mulieribus Gaium et Paullum loqui collegit Ant. Guib. Costanus in Polyhistore (Lugd. 1561. 4.) cap. 11. p. 35. qui tamen addit, *foetum* a Gaio fortasse pro utero dictum esse.

d) Capitolinus in v. Anton. P. c. 12.

e) Petitus Observatt. L. II. c. 3.

f) Heineccius Hist. jur. Rom. lib. I. c. 4. §. 265. p. 359. 360. ed. Ritter.

festi Capitolinum reum faciunt Is. Casaubonus[g]) et Car.
Hannib. Fabrotus[h]), quod tamen in re tam gravi et ea,
qua adcidit, aetate tam mirabili factum esse, non verosi-
mile est, cum haud dubie in omnium, qui tum viverent,
hominum ore, non sine temporis nota, versata sit. Corn. 23
van Bynkershoek[i]) de diversis casibus ICtos et histori-
cum loqui censuit, quod mihi quidem non probavit; nam
ICti, qui illum partum, tanquam rarissimam naturae a
quotidiana norma aberrationem, commemorant, cum iidem
et Antonini Pii aetatem adtigerint, adiecissent profecto,
etiam filio Hadriani regnante simile miraculum adcidisse,
si alterum, quod latere eos non potuisset, exemplum vel au-
diendo tantum e vulgi rumoribus comperissent. Rara autem
etiam illis temporibus eiusmodi prodigia fuisse, adparet e
summa diligentia, qua scriptores latini singula eorum exem-
pla conservarunt *). Bynkershoekio etiam hoc adversatur,
quod Gellius, quem Antonini Pii aetatem adtigisse con-
stat, quo loco de partu quinque liberorum simultaneo agit,
tanquam recentissimum huius miraculi exemplum illud
adfert, quod sub Divo Augusto adciderat **); quem, dili-
gentissimum in his rebus scriptorem, quod Hadriani tem-
pore factum esset, fugere nullo pacto potuisset. Consen-
serunt tamen cum Corn. van Bynkershoek alii, quorum
nomina Io. Aug. Bachius, et ipse eiusdem sententiae fau-
tor, laudavit[k]); etsi Bynkershoekius ipse illi sententiae
diffidisse videtur, dum adiecit, si vel maxime constaret,
ad eandem historiam respexisse Capitolinum et ICtos, non 24
tamen contraria eos dicere, quippe non reperiri apud
priorem mulieris ad Antoninum Pium perductae mentio-
nem, sed hoc tantum narrari, eius tempore partum ad-
cidisse, ut adeo mulier, cum viveret Antoninus, sed ad-
huc regnaret Hadrianus, et foetum excludere et vero
etiam Hadriano ostendi potuerit. Sed obstat viro acutis-

---

g) Casaubonus in not. ad Capitol. loc. cit.

h) Fabroti Exerc. sel. II. in Ottonis Thes. T. III. p. 1171.

i) Bynkershoek loco supra cit.

*) v. c. Plinius H. N. VII. 3.

**) Gellius N. A. X. 2.

k) Bachius Hist. iurispr. Rom. L. III. c. I. sect. 6. §. 30. n. a. p. 400.

simo non modo historicorum, sed scriptorum ferme omnium loquendi usus, qui cum *tempore* Principis aliquid factum esse tradunt, non totum vitae spatium, sed illud, quo rei publicae vivere et maxime florere coepit, h. e. regni tempus, intelligunt. His igitur missis videamus, quid proferat Noordkerkius[l]). Excitat primum Phlegontis Tralliani locum[m]), celebrem illum partum in Traiani aetatem reiicientem, improbatque coniecturam Fabroti[n]), levi sane emendatione vocem *Τραιανος* in *Αδριανος* mutantis. Ipse potius partum Traiani tempore editum, mulierem vero ad Hadrianum demum, qui *πολυτεκνιαν* in deliciis habuerit, cum liberis perductam esse putat, in quo me non habet consentientem, qui scio, Phlegontem, Hadriani libertum, sub hoc Imperatore eiusque successoribus doctrinae fama floruisse; quo licet non probetur, eum de Traiano aliquid narrare non potuisse, sufficit id tamen, aliorum testimoniis iunctum, ad emendationem in eo scriptore admittendam, quem in nominibus, maxime propriis, corruptissimum esse constat[o]). Quare non dubito Fabroti emendationi subscribere, cui, quomodo cum Capitolino conveniat, mox dicam. Scilicet idem Noordkerkius cum Bynkershoekio consentit in eo, quod Capitolinum aliud factum narrare dicit, sed novum profert hoc, videri etiam Iulianum in verbis antea laudatis duos casus innuere, dum scribat in fine: *et hoc et in Aegypto adfirmatum est mihi.* Sed Iuliani verba, quamvis vel sic ad unum tantum casum referri possent, non sunt tamen ab omni vitio libera. Etenim copula *et*, quae pronomen demonstrativum praecedit, necessario videtur delenda, cum alias verba: *esse Romae* etc. iungenda essent cum illis: *Aristoteles scripsit;* id vero inepte fieri, non est ut doceam. Locus Aristotelis, quem Iulianus ante oculos habuit, le-

---

l) NOORDKERK loc. cit. pag. 103 — 106.

m) PHLEGON in tract. de rebus mirabil. c. 29.

n) FABROTUS loc. cit.

o) Vid. PHLEGONTIS TRALLIANI de mirabilibus et longaevis libros ex Io. Meursii edit. in Iac. Gronovii Thes. Ant. Gr. T. VIII. pag. 2690 — 2727.

gitur in Stagiritae historia animalium*), et quidem his verbis: *Το μεν γαρ πλειστον και παρα τοις πλειστοις ἐν τικτουσιν αἱ γυναικες· πολλακις δε και πολλαχου διδυμα, οἱον περι Αἰγυπτον· τικτουσι δε και τρια και τετταρα περι ενιους μεν και σφοδρα τοπους, ὡςπερ εἰρηται προτερον· πλειστα δε τικτεται πεντε τον ἀριθμον, ἠδη γαρ ὠπται τουτο και ἐπι πλειονων συμβεβηκος· μια δε τις εν τετταρσι τοκοις ἐτεκεν εἰκοσιν· ἀνα πεντε γαρ ἐτεκε, και τα πολλα αὐτων ἐξετραφη.* De Aegypto hic nihil refertur praecipui, nisi geminos ibi saepe 26
nasci. Nam sequentia: *πολλακις δε* etc. universim dicta sunt, neque ad solas Aegypti mulieres referenda. Quod ut ex ipsa oratione, maxime e verbis: *περι ἐνιους μεν και σφοδρα* (i. e. crebro) *τοπους*, ita e Plinio probari potest, qui idem, quod Aristoteles, de muliere quinos quater enixa exemplum ita refert**): *Reperitur et in Peloponneso quinos* (male Harduinus: *binos*) *quater enixa, maioremque partem ex omni eius vixisse partu*, ubi manifesto Aristotelis verba Plinius expressit, loco, quo res facta sit, aliunde addito. E Plinio rursus sua hausit Paullus, qui loco laud. ait: *Alioquin tradidere non leves auctores, quinquies quaternos enixam Peloponnesi, multas Aegypti uno utero septenos;* discrepans in eo, quod quinquies quaternos natos esse dicit, ubi Plinius ex Aristotele quinos quater. Unde Antonio Guiberto Costano***) alteruter locus, vel Plinii vel Paulli, visus est mendosus. Dubitari vero non potest, conspirantibus Aristotele et Plinio, vel Paullum ipsum memoriae vitio rem falso retulisse, vel, quod propius videtur ad veritatem adcedere, verba eius in vitio cubare, et pro: *quinos quater* scriptum esse: *quinquies quatuor*, quod facile fieri potuit, si scriba verbum QUINOS commutavit cum simili nota QUINQS, h. e. quinquies. — Ex his igitur Aristotelem dicto loco non de solis Aegyptiis mulieribus locutum esse adparet; Iulianum autem rationem physiologicam, cur quinque 27
simul nasci possint, quam verbis a nobis laudatis interiectam omisimus *(quia — possunt)*, non ex Aristotele, quem iis

---

*) ARISTOTELIS Hist. anim. lib. VII. c. 4.

**) PLINIUS Hist. nat. lib. VII. c. 3.

***) COSTANUS loco ante laud.

verbis contraria docere Dion. Gothofredus in nota monuit, sed ex mente sua adiecisse, verba Aristotelis, in quibus nihil harum rerum deprehenditur, et oratio, qua ICtus utitur, directa ostendunt. Quodsi Aristotelem de solis Aegyptiis non loqui constat, notandus erit error Gellii, qui eundem haud dubie locum, alio tempore lectum, e memoria laudans ita habet*): *Aristoteles philosophus memoriae tradidit, mulierem in Aegypto uno partu quinque pueros enixam esse, et esse eum finem multiiugae hominum partionis, neque plures unquam simul genitos compertum; hunc autem esse ait numerum rarissimum.* Primum enim nominatim in Aegypto quinque liberos simul natos esse Aristoteles non dixit, deinde plures etiam nasci posse, claris verbis non negavit, licet uberioris partus exempla adferre omiserit. Ex his igitur omnibus adparet, Iulianum, auctoritate Aristotelis non ut unius exempli, sed ut totius rei veritatem probaret, usum, exemplum ipsum ex suae experientiae thesauris addidisse. Itaque post verbum *possunt* minus plene interpungendum, et sequentia ita iungenda sunt: *et esse mulierem* etc. —
28 *hoc et in Aegypto relatum est mihi.* Iulianus scilicet in Aegyptum profectus, ubi recens adhuc erat istius miraculi memoria, e narrationibus hominum comperit, mulierem, quae quinque simul liberos pepererit, Romam deductam esse. Ita vero si legeris Iuliani verba, uti mihi necessario legenda videntur, neque hic ICtus duplicis partus mentionem facere videbitur. Iam vero nos ex his turbis non aliter evasuros esse puto, quam si Antoninum Pium a Gaio et Paullo *Hadriani* nomine, vel per incuriam, vel quod illud vere gessit, dictum esse statuamus. Quod tamen eo valere nolo, quasi in omnibus iis locis, quibus hoc nomine vocatum videri Antoninum paullo ante monui, ICti ipsi Antoninum etiam intelligi voluerint. Fieri enim potuit, ut interdum vel ii, e quibus sua haurirent, fontes, minus liquidi et certi, duorum Imperatorum nomina inter se confunderent, vel etiam ICti ipsi

*) Gellius N. A. lib. X. c. 2.

memoriae vitio seducti, quod ab altero Imperatore cognomine sancitum esset, id alteri adscriberent. Hinc Gaium vere et pro seculi consuetudine *Hadriani* nomine Pium intellexisse, Paullum vero aliquantisper errasse censeo. Neque enim mirum videri non potest, Gaium h. l. Hadriani aetatem *suam* vocare, cum post Iac. Raevardum [p]) et Franc. Car. Conradi [q]), nuper Vir Celeb. Gust. Hugo [r]) novis plane argumentis Gaium ad ea usque tempora, qui- 29
bus Antoninus Caracalla sine patre regnavit, vixisse probaverit, iisque tam gravibus, ut non putem esse aliquem emunctae naris ICtum, qui ad eius partes pedibus ire nolit *). Iam vero cum Hadrianum mortuum esse constet anno p. Chr. n. 138., Severum autem, post quem Caracalla solus regnavit, ao. 211., patet, etiamsi Serapiam illam ad Hadrianum anno vitae eius ultimo perductam esse, Gaium autem duos tantum aut tres solo Caracalla imperante annos vixisse ponamus, ICtum circiter octoginta annorum aetatem attigisse debere, qui, cum haec ita maxime adcidisse probabile non sit, forte ad nonaginta annos essent augendi. Quapropter cum Gaium hunc aetatis gradum adsecutum atque ita Hadriani aequalem fuisse, aliis, quibus id probetur, argumentis prorsus deficientibus, credere non possim, descendo in eam, quae etiam biographo ICti, Io. Bertrando, licet valde dubio, adrisisse videtur, sententiam: Gaium *Hadriani* nomine h. l. D. Pium indicare voluisse; de qua re, aetate Gaii, ubi in inscriptionibus et numis publice eodem nomine Pium vocari omnes viderent, et quando natus sit ICtus scirent, nulla plane dubitatio oriri poterat, quae ne nos quidem, nimia saepe religione in

---

p) Raevardus Coni. III. 19. pag. 59—67.

q) Conradi in Act. Erud. Lips. ai 1727. m. Febr. et in Parerg. II, 5. pag. 279—292. Cum quo consensit postea Chr. Rau in Exerc. ad leg. 79. D. ad leg. Falcid. (Lips. 1772. 4.) §. 1. p. 6. 7.

r) Hugo *im Civilistischen Magazine* Vol. II. n. 16. p. 358. sqq.

*) [Hanc de aetate Gaii sententiam, olim Hauboldo quoque (vid. Eius Opuscc. Acad. Vol. II. pag. 13. et 178.) et Kaemmerero l. l. pag. 152. probatam, sed iam a Dittmaro in diss. de Gaio p. 67 — 123. impugnatam, post repertos Gaii commentarios ipse Hugo (*Lehrb. d. Gesch. d. R. R.* p. 726. ed. 9.) retractavit. Add. Zimmern l. l. p. 345.]

re levi ductos, tamdiu obsidere debuisset [rr]). Supersunt
30 Paullus et Phlegon. Ex his priorem non ipsum, sed e Laelio Felice, qui etiam a Gellio [s]) et ab ipso Paullo alibi [t]) laudatur, rem narrare videmus. Hunc Laelium Hadriani tempore vixisse, ex hoc ipso Paulli loco colligunt, quicunque nomina historiamque veterum ICtorum enarrarunt. Infirmo sane praesidio. Procul enim dubio Paullus, ut iam ex historici et ICti testimoniis adparet, aut Laelii Felicis, qui scripserat: *ad T. Aelium Hadrianum* mulierem adductam esse, verba non curavit praenomenque omisit, aut vanis hominum de celebri partu rumoribus seductus, narrationem Laelii quoad nomen Imperatoris immutavit. Tales rumores per omne Romanum imperium sparsos fuisse, etiam Phlegon ostendit, Graecus homo, qui, cum rei fama serius ad eum pervenisset, facile potuit, quod Antonini Pii aetate adciderat, Hadriano tribuere; forsitan tamen et ipse eundem, quem nos, Imperatorem Hadriani nomine indicare voluit. Iuliani denique locus, qui nomen Imperatoris non addit, neutiquam nobis repugnabit. Hunc enim ICtum non sub Hadriano solum, sed sub Antonino quoque Pio ac Divis Fratribus floruisse, inter omnes constat. Imo mirum in modum me
31 adiuvant Fasti Consulares, qui hunc ICtum imperante Pio (ao. U. c. 901. p. Chr. 148.) consularem magistratum, quo sub Hadriano eum functum esse ignoramus, cum Caio Bellico Torquato gessisse docent, ut verosimile sit, eum, cum gesto Consulatu Proconsul in Aegypto esset, huius partus miraculum audivisse, quem sub Hadriano,

---

rr) Quam sententiam etsi Celeb. Hugo loc. cit. respuerit, atque in Gaii verbis *το nostra aetate* non urgendum contenderit, ut res narrata etiam ante, quam Gaius viveret, tempore aequalium eius, facta esse possit, eaque in assertione adiuvari se putarit laudatis locis, in quibus ICti de se ipsis loquentes singulari numero utuntur, tamen ex eo, quod id in vulgari oratione factum est, probari nequit, pluralem in re historica aliter, quam de ipsius, qui scribit, ICti aetate intelligendum esse. Num etiam, ubi dicunt ICti: *Imperator noster rescripsit*, de alio eos, quam sub quo ipsi vixerunt, Imperatore loqui censebimus!

s) Gellius Noct. Att. XV. 27.

t) L. 43. D. de hered. petit.

qui gravissimis eum detineret negotiis, in hanc provinciam profectum esse, mihi quidem non possum persuadere.

Haec omnia si viris doctis, ut nunc quidem spero, probabuntur, eosdem confido nobis concessuros esse, ICtis cum historicis in narrando hoc prodigio egregie convenire, atque his, de quibus egimus, locis nostram de Hadriani nomine ad Antoninum referendo sententiam non parum stabiliri. Cui novum pondus adcedet ab exemplo plane simili, in libris nostris obvio, quo ipsi praefationi finem imponere placet. Scilicet Neronem, quem a Claudio adoptatum esse inter omnes constat, in duobus Pandectarum locis *Claudii* nomine occurrere, ob oculos ferme commonstrari potest. Rubrum tituli cuiusdam Digestorum[u]) sic se habet: *Ad SCtum Silanianum et Claudianum, quorum testamenta ne aperiantur.* Si titulum perlegas, nullum plane Claudiani SCti vestigium comparet, sed pro eo adfertur *SCtum Pisonianum*[v]), quod referendum necessario ad a. U. c. 810., quo L. Calpurnius Piso cum Nerone, iam 32
tum imperante, (mortuus enim est Claudius a. U. 807. p. Chr. 54.) Consul fuit. Iam vero cum argumentum SCti cum Silaniano arcte coniunctum sit, (siquidem in illo Digestorum titulo unum tantum huius SCti caput, reliquis sine SCti mentione additis, commemoratur, ut adparet e Tacito, qui ad eundem annum[x]) aliud, et e Paullo, qui tertium adfert[y]) idque *SCtum Neronianum* vocat, ubi nemo ambigit idem intelligendum esse, quod et Pisonianum dicitur,) vix dubium erit cuiquam, in rubro Digestorum Claudianum SCtum ita dictum esse, quoniam Nero, a Claudio adoptatus, huius nomen recepit, quod ipsi in numis, inscriptionibus et fastis crebro tribuitur, ita ut idem SCtum et *Claudiani* et *Pisoniani* et *Neroniani* nomine veniat, unde simul intelligitur, utriusque Consulis auctoritate SCtum esse factum. Atque idem senserunt

---

u) Digestorum lib. 29. tit. 5.
v) L. 8. pr. eod.
x) Tacitus Annal. lib. XIII. c. 32.
y) Paullus Sent. Rec. lib. III. tit. 5. §. 5.

Iac. Cuiacius[z]), P. Faber[a]), Conr. Rittershusius, A. Schultingius[b]) atque I. G. Heineccius[c]), frustra repug-
33 nante I. A. Bachio[d]). Alter locus, in quo sub *Claudio* Neronem latere post alios puto, pertinet ad edictum, quo Claudius SCtum Libonianum suppIevisse aliquoties legitur[e]). Quod edictum licet sint, qui vel ante SCtum Libonianum, vel etiam a Tiberio latum censeant, horum tamen virorum, quos hic adcuratius refutare non adtinet, sententia ipso argumento refellitur; unde ego cum Iac. Gutherio[f]) et Heineccio[g]) nullus dubito, in locis, ubi illud Claudii edictum commemoratur, ex Suetonii testimonio[h]), qui Neronis tempore ait cautum esse: *ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet*, (quod prorsus convenit cum argumento edicti a Callistrato adlati,) intelligendum esse ipsum Neronem, atque ita Suetonium cum ICtis in gratiam redire. Quod enim dicunt, fieri id non posse, quia Nero *Divus* dici non potuerit, respondeo, errore id antiquo factum esse, et quendam, qui Claudii nomen simpliciter scriptum reperiret, quo Nero indicaretur, patrem intellexisse Divique nomen addidisse, unde illud in loca Dig. et Cod. laudata transiit. Malo enim fontes, e quibus ICti hauserunt, corruptos hac in re putare, quam cum Frid. Brummero[i]) Suetonium, diligentem in plerisque historicum, erroris incusare, quod recte
34 fieri negavit etiam Io. Aug. Ernesti[k]). Caeterum de argumento edicti, a nostri instituti ratione alieno, iuvabit le-

---

z) Cuiacius Observ. Lib. I. c. 18.

a) Fabri Semestr. lib. I. c. 25.

b) Rittershusius et Schultingius in notis ad Paulli loca laudata.

c) Heineccius in Historia iuris Rom. lib. I. cap. 4. §. 215. p. 307. et §. 224. p. 317. add. Eiusdem Elemm. iur. civil. secundum ord. Pandectar. Part. V. §. 110.

d) Bachius in Histor. iurispr. Rom. lib. III. cap. I. sect. 3. §. 25. et 28. p. 353. 354. et 355.

e) L. 14. et 15. D. ad leg. Cornel. de falso et L. 3. C. de h. q. sibi adscrib.

f) Gutherius de offic. domus Augustae lib. I. c. 32.

g) Heineccius in Hist. iur. Rom. l. cit.

h) Suetonius in vit. Neron. c. 17.

i) Brummerus in Comm. ad leg. Cinc. cap. V. p. 56. 57. edit. prim. (Lutet. Par. 1668. 4.)

k) Ernesti in nota ad Sueton. loc. cit.

gere, qui diligentius id exposuere, Io. Iac. Mascovium [l]) et Io. Gu. Marckartum [m]), licet uterque a nobis dissentiat et Suetonium potius erroris accuset.

Sed tempus est, ut ambagibus missis ad ipsas Antonini Pii leges convertamur.

PARS PRIOR.

IUS PRIVATUM.

CAPUT I.

DE DOMINICA POTESTATE.

Gaius lib. I. Institutt.

Ex constitutione Divi Antonini, qui sine causa servum 35
suum occiderit, non minus puniri iubetur, quam qui alienum servum occiderit. L. 1. §. 2. D. et §. 2. Inst. de his, qui sui vel alieni iuris sunt.

Nominatur a Gaio *Divus Antoninus*, quem Pium esse, post ea, quae supra de aetate Gaii et de Antonini nomine simpliciter posito ad Marcum non referendo diximus, nemo dubitabit *), licet hunc ipsum Marcum, manifesto errore, h. l. intellexerint Hieron. Aleander [a]), recte
ideo notatus ab Ant. Schultingio, et Ez. Spanhemius [b]). 36
Nec sequentia verba, quibus Gaius aliud rescriptum eidem Principi tribuit, quod Ulpianus claris verbis ad D. Pium

---

l) Mascovii Diss. de his, qui sibi adscribunt in testam. ad explicationem SCti Liboniani et edicti D. Claudii. Lips. 1734. 4.

m) Marckartum in Probab. recept. lectt. iuris civ. Part. I. (Trai. ad Rh. 1737. 8.) pag. 149 — 159. et novis curis in Exercitatione de his, qui sibi adscribunt in testam. alieno, ius. Eiusdem Exercitatt. Acad. (Harderov. 1751. 4.) pag. 131 — 189.

*) [Ex genuinis Gaii Institutionibus, quarum commentario I. §. 53. ille locus continetur, apparet, verba eius interpolata esse, neque enim *Divum*, sed *sacratissimum Imperatorem* vocat Antoninum. Paulo post pro *puniri* habet: *teneri*.]

a) Aleander ad Gaii Instt. lib. 1. tit. 3. pag. 30. Iurisprud. Anteiust.

b) Spanhemius in Orbe Rom. exerc. II. c. 2. pag. 120. not. g.

refert, et quatuor alia loca Gaii, quae nostrum eodem nomine designant[c]), ut suspensi haereamus, permittunt; ut mirer Virum Celeberrimum Gust. Hugo[cc]) contra Iac. Car. Conradi, idem annuentem, surrexisse, et D. Antoninum a Pio diversum contendisse. Effugerunt adcuratissimum alioquin virum verba Gaii sequentia, *sed et maior* etc., quae si cum Ulpiano contulisset, profecto nihil ei dubitationis remansisset. Per *Imperatorem* vero *Antoninum*[d]), *Principem Antoninum*[e]), *Imperatorem nostrum*[f]), et *Sacratissimum Principem*[g]) Caracallam indicari statuo, quamvis Augustinus et Labittus duo priora loca ad D. Pium retulerint, de posterioribus vero quibusnam adscribenda sint, liquere negaverint*).

Critica verbis difficultas non inest. Haloander quidem legit: *quam si alienum*, sed male, ut per se adparet. Possent superflua censeri duo ultima verba, nisi
37 constaret, interdum veteres ICtos verborum minime parcos fuisse. Tam relativum quam ultima verba tuentur etiam Theophilus[h]), qui haec habet: *Διαταξις γαρ Ἀντωνινου του βασιλεως ὡρισε, τον διχα αἰτιας εὐλογου τον ἰδιον οἰκετην ἀναιρουντα, οὑτω τιμωρεισθαι, ὡςπερ ὁ ἀλλοτριον δουλον φονευσας*, et Basilica[i]), quae locum ita reddunt: *ὁ ἀλογως φονευων δουλον ὡς ἀλλοτριον φονευων τιμωρειται.*

Gaius eodem libro.

Sed et maior asperitas dominorum eiusdem Principis rescripto coercetur: nam consultus a quibusdam Praesidibus provinciarum de iis servis, qui ad aedem sacram vel ad statuas Principis confugiunt, praecepit, ut, si in-

---

c) L. 56. D. de leg. II.; L. 96. D. de leg. III., L. 90. D. de cond. et dem., L. 63. §. 5. D. ad SCt. Trebell.

cc) Hugo in comm. supra laudata pag. 371. not. *)

d) L. 11. pr. D. de iurisd.

e) L. 42. D. de don. i. v. et ux.

f) L. 73. §. 1. D. de leg. I.

g) L. 9. D. ad SCt. Tert. et Orph.

*) [Certe non ad Caracallam hosce Gaii locos referendos esse, hodie vix quisquam infitias ibit. Ceterum cf. quae supra adnotavimus pag. 8. ad not. b. et pag. 9. ad not. c. Add. praefatio nostra.]

h) Theophili Paraphr. Institutt. ex ed. Gu. Ott. Reitz, T. I. p. 80.

i) Basilica T. IV. pag. 745. ex ed. Fabrot.

tolerabilis videatur saevitia dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur.

Ulpianus lib. VIII. de offic. Procos. tit. de dominorum saevitia.

Si dominus in servos suos saevierit, vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat, quae sint partes Praesidis, ex rescripto Divi Pii ad Aelium Marcianum, Proconsulem Baeticae, manifestabitur. Cuius rescripti verba haec sunt: Dominorum quidem potestatem in suos 38
servos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi; sed dominorum interest, ne auxilium contra saevitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur his, qui iuste deprecantur. Ideoque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulii Sabini ad statuam confugerunt, et si vel durius habitos, quam aequum est, vel infami iniuria adfectos cognoveris, venire iube ita, ut in potestatem domini non revertantur; qui si meae constitutioni fraudem fecerit, sciet, me admissum severius exsecuturum. L. 2. D. et §. 2. Inst. de his qui sui vel al. iuris sunt. Coll. LL. Mos. et Rom. Tit. III. §. 3.

Tribui Gaio quaedam, quae in Digestis non comparent. Nam cuivis, qui tria illa loca inter se contulerit, patebit, sententiam Institutt. e Gaii et Ulpiani verbis, in Pandectis obviis, conflatam esse, ita tamen, ut quaedam e Gaio adderentur, in Pandectis omissa, (verba: *nam consultus — daretur*,) *) quaedam contra Ulpiani verba omitterentur, illic posita, (verba: *Si dominus — manifestabitur*). Tribonianum enim haec ex ingenio addidisse, nec Pariator patitur, qui Ulpiano clare testimonium denunciat, nec in se verosimile est, cum haud dubie Gaius post verba: *coercita est*, etiam rationem, quomodo coercita sit, addiderit. Verba, quibus Gaius id fecerat, omisit Tribonianus in Digestis; in Institt. serius scriptis eadem, omissis quibusdam Ulpianeis, adiicienda putavit. Sed male cessit negotium. Inepte saltem in Institutioni- 39

*) [Cf. Gaius comm. I. §. 53.]

bus, ubi primum de pluribus Praesidibus, qui vario tempore Imperatorem consuluissent, sermo fuerat, statim assuta leguntur verba Ulpiani: *Cuius rescripti* etc. Occasionem rescripti plenissime narrat in paraphrasi Theophilus. Cum enim Iulius Sabinus servos suos durissime tractaret, hi, non ferentes saevum hominem, ad templa et statuas confugerunt, Aelii Marciani Proconsulis fidem implorantes, qui cum ipse sua sponte expedire rem nollet, de ea retulit ad Imperatorem ac rescriptum accepit.

At vero Gaii orationem magna premit difficultas. Etenim verba illa: *ad aedem sacram*, offenderunt multos, qui partim viderent, ea in Digestis et Collatione non reperiri, partim ea a Theophili paraphrasi abesse crederent, omnino autem aedes sacras ab Honorio demum, diu post Pii tempora, iure ἀσυλίας donatas esse[k]) putarent*). Quare Fabrotus[kk]), Theophili editor, non dubitavit spuriis ea adnumerare. Aliter Cuiacius[l]), qui non plane quidem spuria, sed tamen a Triboniano demum Gaio adficta iudicavit, haud dubie propterea, quod aedes sacras Antonini Pii temporibus iure ἀσυλίας omni caruisse sibi persuaserat.

Iam primum quod ad Fabrotum attinet, ille profecto eximie errat, dum ex eo, quod tota ῥῆσις illa a Digestorum compilatoribus et Pariatore omissa est, colligit, sin-
40 gula quaedam eius verba spuria esse. Neque enim illa modo: *ad aedem sacram*, e Digestis exsulant, sed, ut iam diximus, integer locus: *nam consultus — daretur;* Pariator autem ne unum quidem verbum Gaii recepit; quid igitur Pandectarum et Collationis auctoritas valere hic potest? Potior foret, ad probandam verborum memoratorum νοθείαν, Theophili auctoritas; sed miror editorem ipsum tam perfunctorie scriptorem suum perlustrasse, ut contenderet, aedis sacrae in Theophilo nullam fieri mentionem. Quo nihil potest esse falsius. Namque haec

---

k) Lege 2. C. de his qui ad eccles. conf.

*) [Scimus nunc Gaium scripsisse: *ad fana Deorum;* v. Institutt. comm. I. §. 53.]

kk) Fabrotus ad Theophili. l. l. T. I. p. 84. ed. Reitz.

l) Cuiacius Not. ad d. §. 2. I. in Opp. T. I. pag. 20. ed. Fabr.

habet Theophilus[ll]): *Ιουλιος τις Σαβινος τραχυς ἠν κατα των ἰδιων οἰκετων· οὐ φεροντες οὑτοι την ἀμετρον αὐτου πικριαν, τον δεσποτην ἀπολιποντες, οἱ μεν εἰς σεβασμιους κατεφυγον οἰκους, οἱ δε ἐπι ἀνδριαντας βασιλικους.* Iam quid his verbis clarius est? quae quamvis non eodem nexu, quo ipsa Gaii verba, posita sunt, aperte tamen ostendunt, Theophilum verba: *ad aedem sacram*, iamiam inserta reperisse; quem cum Iustiniani fere aequalem fuisse constet, profecto locum ad nos ita, uti Tribonianus scripsit, pervenisse nemo dubitabit. Provocat Fabrotus etiam ad Ivonem Carnotensem[m]), in eo opere, quod Decretum vulgo vocatur variarumque legum varia excerpta continet, nostrum quoque locum ex Institutt. exprimentem. Verum nec hunc locum Fabrotus aliter, quam fugitivis oculis 41
inspexerit necesse est, siquidem ibi liquidis litteris exaratum reperio: *De his servis, qui ad aedem sacram vel statuam Principum confugiunt, praecepit D. Antoninus, ut, si intolerabilis videatur dominorum saevitia, cogantur servos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis detur.* Sic igitur etiam Ivonem, cuius per se non esset magna auctoritas, nostram lectionem defendere videmus.

Ad Cuiacii sententiam quod adtinet, pro emblemate Triboniani verba ista habentis, minus illa audax, sed, nisi fallor, non magis vera est. Nam si probari poterit, tempore eo, quo D. Pius et Gaius vixerunt, templis Deorum iura *ἀσυλιας* competiisse, per se clarum erit, germana a nobis Gaii verba, non insititia, legi. Id vero evinci potest non paucis illius aevi scriptorum locis. Quam enim Cuiacius adfert constitutionem, ea ad templa Christianorum pertinet, neque cogi inde potest, temporibus eandem antecedentibus paganorum templa iure *ἀσυλιας* caruisse. Imo ego, sexcentis veterum scriptorum testimoniis adductus, contendo, a primordiis inde totius rei

---

ll) Theophilus Paraphr. loc. supra cit.

m) Ivo Carnot. Decreti Parte XVI. cap. 76. in Operibus (Paris. 1647. II. Voll. fol.) Vol. I. pag. 428.

42 Romanae, quae in asylo, quod Romulus ad Veiovis templum aperuit[n]), quaerenda sunt, sensim sensimque fere omnes aras, omnia templa Deorum, eadem sanctitate esse donata, qua fieret, ut, qui ad ea confugisset, abduci posset a nemine. At, dicet fortasse quispiam, licet tibi prioribus temporibus id factum esse concedamus, nonne tamen contra te militat auctoritas ipsius Suetonii[o]), qui claris verbis *Tiberium vim moremque asylorum abolevisse* tradit? ut igitur aedis sacrae neque Divus Pius in rescriptis, neque ex his Gaius mentionem facere potuerint? Huic ego repono, valde sublestam esse Tranquilli fidem, quippe cui ea, quae Tacitus fusius et adcuratius de eadem re tradidit[p]), prorsus sint contraria. Alii quidem[q]), Suetonii errorem ingenue professi, Taciti auctoritati cesserunt; alii autem utriusque verba conciliare et eandem, quae a Tacito profertur, (Tiberium nimirum ius asylorum non sustulisse, sed coercuisse,) sententiam e Suetonii etiam verbis elicere conati sunt. In his eminet praecipue Io. A. Ernesti[r]), cuius gravissimo iudicio ego profecto obloqui haud auderem, nisi viderer mihi in argumentis non plane contemnendis praesidium collocare. Quae enim scripsit Ernesti: *Quomodo potuit Suetonius, tam diligens scriptor, errare in re ea, quam non minus, quam Taci-*
43 *tus, posset ex Actis cognoscere, qui etiam Tacitum in manibus haberet? Atque si alteruter erravit, quae est causa, quare Suetonius potius errasse, Tacitus potius, quam Suetonius, Acta consuluisse dicatur?* haec, inquam,

---

n) De hoc templo et Deo Veiovis vid. PLUTARCHI vit. Rom. cap. 9. pag. 94. T. I. ed. Reisk. DIONYSII HALIC. Arch. Rom. l. II. c. 15. pag. 267. T. I. ed. Reisk. STRABONIS Geogr. lib. V. p. 352. ed. Almelov. OVIDII Fast. lib. III. v. 430. sqq. GELLII N. A. V. 12. ALEX. AB ALEX. Dier. genial. lib. III. c. 12. p. 702. et lib. IV. c. 12. p. 1024. 1025. T. I. ed. Hack. et FASTOS PRAENESTINOS, additos T. IV. ed. SUETONII a Celeb. F. A. WOLF curatae, ad nonas Martias, p. 323.

o) SUETONIUS Tib. c. 37.

p) TACITUS Ann. III. 60. sqq.

q) In his plerique SUETONII et TACITI editores, et Ez. SPANHEMIUS de usu et praest. numismatum T. I. p. 661. extr. Cf. ECKHELII Doctr. num. vet. Vol. IV. p. 306.

r) ERNESTI in Excursu ad SUETON. loc. cit.

viri summi verba ipsa Taciti narratione optime refutantur. Quis enim hunc, singularum gentium, quarum templis Tiberius sanctitatis aliquid detrahere volebat, instituta sedulo defendentem, omnesque rationes tam subtiliter exponentem, ut Actis publicis eum usum esse dubitari nequeat, finxisse haec omnia, certe in re praecipue memorabili errasse censeat, nulla alia de causa, quam ne verbis Suetonii, paucis illis et nonnisi obiter additis, unde eum neque monumenta publica, neque Taciti, antecessoris sui, scripta consuluisse, sed in memoriam quaedam, olim lecta, revocasse pateat, quidquam detrahatur? Confugit quidem Ernesti, ut neutrius scriptoris dignitatem imminueret, ad consuetudinem loquendi: *Nempe, etiamsi non omnia asyla omnino abolita, ita tamen ius eorum fuisse coercitum, ita ad res paucas retrictum, iis denique conditionibus adstrictum, ut nemo fere auderet ius illud usurpare, idque adeo pro abolito haberetur.* Sed primum tam arctis limitibus circumscripsisse Tiberium asylorum iura, ut pro abolitis haberi possent, falsum est, ut patet e serioribus, quae occurrunt, asylorum exemplis. Deinde, cum Ernesti eum sermonis usum ne uno quidem exemplo, ab *abolendi* vocabulo petito, muniverit, valde ille quidem mihi dubius est et suspectus. Censeo potius 44
abolitum vocari nonnisi quod ita abrogatum et deletum sit, ut nullum prorsus eius vestigium remaneat, contrariique usus vix metuo ne exemplum mihi e probae latinitatis auctore obiiciatur. Ex Tacito etiam recens Tiberii institutum non ad Italiae templa, sed ad Graecas tantum civitates pertinuit, in quibus cum tantus esset asylorum abusus, *ut complerentur templa pessimis servitiorum, eodemque subsidio obaerati adversum creditores et suspecti capitalium criminum receptarentur*, extenderetur etiam sanctitas templorum haud raro ultra legitimos eorum terminos, Tiberius, ut ei malo mederetur, singulas, quarum templa eiusmodi iure ornata essent, legatos mittere iussit, qui privilegia exponerent et fontes ostenderent; Senatus autem, cui hanc cognitionem Tiberius mandaverat, *maiorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam,*

qui ante vim Romanam valuerant, decreta, ipsorumque numinum religiones, libero quid firmaret mutaretve arbitrio, introspexit. Quidquid igitur singulae civitates privilegiis sibi concessum aut temporis diuturnitate introductum esse, comprobare non poterant, adimebatur; multum vero abest, ut ea quoque fana, quae vel regum decreta, vel temporis usum ad tuendam iurium suorum possessionem adferre possent, iis plane exciderint, atque ita omnis, ut ait Suetonius, vis et mos asylorum fuerit abolitus. Hinc Tacitus ait: *Senatusconsultis, multo cum ho-*
45 *nore, modum tamen sanctitatis esse praescriptum, iussosque singularum civitatum legatos ipsis in templis figere aera,* (quae ἀσυλίας limites, SCtis definitos, continerent,) *sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur,* h. e. ne augendae reverentiae erga Deos causa sanctitatem templorum iusto longius proferrent, atque ita rei publicae commodis nocerent.

Hoc igitur Suetonii de abolitis asylis testimonium ad nostrum locum pertinere non poterit, cum praesertim sequioris etiam aetatis scriptores de illa templorum sanctitate, tanquam suo adhuc tempore religiose colenda, loquantur. Sic Antonium Primum, qui, cum Vespasianus Vitellio bellum movisset, prioris partes secutus, primus urbi appropinquavit summoque Vitellianos metu perculit, Tacitus narrat[s]), fusis iamiam fugatisque, quae ante urbem positae erant, Vitellii cohortibus, mitigare legiones voluisse, ut non post proelium statim, sed postera demum die urbem ingrederentur, rationemque dicit hanc fuisse cunctandi: *ne asperatus proelio miles non populo, non Senatui, ne templis quidem ac delubris Deorum consuleret.* Quae verba per se ἀσυλίαν templorum satis declarant. Sed clarius etiam ea declaratur paullo post[t]), ubi, cum iam irrupissent in urbem ipsam legiones, ibique gra-
46 vissima concitata esset inter dispares sane partes pugna, Vitellianorum in summa desperatione maximam auda-

---

s) TACITUS Histor. lib. III. cap. 81.

t) Idem loc. cit. cap. 84.

ciam egregie describit historicus. Verba in vitio nunc, ut videtur, cubantia haec sunt: *Victores* (sc. milites Vespasiani) *cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent: testudinem, tormenta, aggeres facesque, quidquid tot proeliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari clamitantes. Urbem Senatui ac populo Romano, templa Diis reddita, proprium esse militis decus in castris. Illum patriam, illos penates. Ni statim recipiantur, noctem in armis agendam. Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore foedare, suprema victis solatia amplectebantur.* Ultima verba neminem non offendent, propter finitam orationem infinitae continuo subiectam; cuius generis exempla bonorum scriptorum copiae vix exhibebunt. Sed tamen in hac lectione adquieverunt interpretes, *suprema victis solatia* coniuges liberosque dici existimantes. Quae interpretatio etsi aliquam habet a pietate, quam verbis inesse iubet, commendationem, ab hoc tamen loco aliena mihi videtur. Minime enim verosimile est, imo fere repugnat animi humani indoli, homines illos, qui eo furore correpti erant, ut, cum ipsi vincere non possent, victos tamen profiteri se nollent, sed potius omnia cruore replere, nec ipsi ararum sanctitati parcere sustinerent, eo ipso tempore adeo fuisse sui memores, ut coniuges liberosque amplecti possent, maxime cum in sequentibus in hostem incidisse, 47
omnesque contrariis vulneribus, versi in hostem, occubuisse legantur. Quare non dubito, partim vulgatam lectionem falsam, partim per *suprema victis solatia* alia plane, quam coniuges liberosque intelligenda esse, mirorque nemini adhuc sese probasse lectionem editionis principis: *contemplabantur*, qua ego usus lego: *domos arasque cruore foedare, quae suprema victis solatia contemplabantur.* Scilicet *domus* dicuntur h. l. templa, qua significatione hoc vocabulum et alibi occurrit [u]), et hic usurpatur, ut ex addita ararum mentione coniicere licet.

---

u) v. c. ap. VIRGILIUM Aen. VI. 81.

Hoc si concedas, vide quam elegans sit quamque digna Tacito, psychologico, si quis alius, historiae scriptore, loci sententia: Vitelliani, et numero minores, et infeliciores ac de fortuna sua desperantes, neque victos sese profiteri, neque pacem inire, sed vel victores omnibus potiri, vel victi omnia periclitari voluerunt, ideoque templa ipsa et aras, quas ultimum victis refugium aperire viderent, sanguine sparserunt, auctoresque neglectae horum locorum sanctitatis extiterunt, ne vel hostes, si quando eorum fortuna labaret, haberent, quo tuto confugere possent, vel ipsi victi, turpi pugnae ullo modo vita superessent. Nil addo, nisi *solatium* h. l. pro auxilio et refugio non insolenter dici[v]), Faerni autem explicatio-
48 nem, qui legebat *dom. ar. cruore foedas .... complectebantur*, ut per *solatia* ipsae etiam domus et arae intelligerentur, nec tollere structurae duritiem, nec satis adcommodatam esse indoli loci, ubi Vitelliani atrocissime pugnasse narrantur. Quod ἀσυλίας minime abrogatae exemplum confirmare iuvat alio non minus claro Plutarchi testimonio, qui, quo loco hominis superstitiosi conditionem servili peiorem esse ostendit[x]), haec habet: *Ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμος, ἔστι και λῃσταις ἀβέβηλα πολλα των ἱερων· και πολεμιους φευγοντες, ἂν ἀγαλματος λαβωνται ἢ ναου, θαρρουσιν.* Denique ille ipse, qui Antonini Pii et Marci aetate vixit, Pausanias, in opere suo asylorum mentionem[y]) aut aedicularum, quae ἱκέτας (qui asylorum ope indigerent,) reciperent, templis adstructarum[z]) non semel iniicit, ut luce manifestius sit, templa, nostri etiam Imperatoris aetate, iuribus suis minime fuisse privata. Cuius rei in ipsis Digestis duo extant vestigia[a]): alterum

---

v) Cf. ipsum TACITUM Ann. XV. 39.: *Solatium populo exturbato et profugo campum Martis, ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos patefecit.*

x) PLUTARCHUS in lib. *περι δεισιδαιμονιας*, cap. 4. T. I. P. II. pag. 160. edit. Moral. Wyttenbachianae, repetitae Lips. 1799.

y) PAUSANIAE descript. Graec. lib. II. c. 13. Tom. I. pag. 226. lib. III. c. 5. T. I. p. 349. et c. 17. p. 407. lib. VII. c. 25. T. II. p. 330. edit. a Cl. FACIUS curatae.

z) Idem lib. X. cap. 32. p. 270. T. III. coll. lib. II. c. 11. p. 219. et c. 27. p. 279. T. I.

a) Dicerem tria, nisi in L. 2. D. de in ius voc. non esse de asylis sermonem, nuper post Ios.

apud Ulpianum obvium[b]), qui servos in asylum sese con- 49
ferentes pro fugitivis habendos esse negat; alterum e Maeciano [c]) petitum, qui a Rubriano SCto eximit eos, *quos religio, vel honestior causa, vel calamitas aliqua moretur.* Nam ibi eos esse intelligendos, qui poenae vitandae causa ad asylum confugissent, tam addita declarant verba: *vel honestior causa*, quam hoc ostendit, quod in eo, *quem religio moretur*, SCto Rubriano, contra latitantes, ut constat, in fideicommissariis libertatibus lato, locum dari negatur.

Sed sufficiant haec de asylis dicta, quae necessaria putavimus, ut pateret, templa paganorum iura sua semper tuita esse, ideoque potuisse Divum Pium in rescripto, et ex eo Gaium, templorum, ad quae Iulii Sabini servi confugerint, mentionem facere. Illud vero non nego, duplicem verba: *qui ad aedem sacram confugiunt*, admittere interpretationem: alteram ex mente Gaii, qui paganus de templis paganorum cogitavit, ad quae servi vere confugerant; alteram ex mente Triboniani, qui Gaii verba in Pandectas recepit, quique, Christianus cum esset templaque Christianorum ab Honorio ἀσυλίας iura accepisse sciret, iam ipsa etiam verba Gaii haud dubie de aedibus
sacris Christianorum intelligi voluit, cuiusmodi exempla 50
plura in iure nostro occurrere, Ianus Valckenaer [cc]) ex instituto declaravit.

Ad statuas etiam Principis fugientium servorum mentionem Gaius facit. Sed de harum statuarum sanctitate quemadmodum satis constat, ita hic prolixius disserere non adtinet, praesertim quum curas nostras exspectet

---

NERIUM eleganter ostendisset A. C. STOCKMANN in Exerc. de libertis sepulcrorum custod. ad L. 2. D. de in ius voc. Lips. 1803. 4. Cuius libertorum officii, de quo in L. 2. cit. sermonem esse nemo iam dubitabit, mentionem etiam faciunt PLUTARCHUS in v. Pompeii cap. ult. pag. 868. 869. T. III. et in v. Anton. cap. 22. pag. 136. T. V. ed. Reisk., DIO CASS. lib. XLIV. cap. 51. p. 451. T. I. ed. Reimar. et TACITUS Histor. I. 49. II. 53.

b) L. 17. §. 12. de aedil. ed.

c) L. 36. D. de fideic. lib.

cc) VALCKENAER in Diss. elegantissime scripta, de duplici legum quarumdam in Pandectis interpretatione. L. B. 1781. 4.

ipsa, quam contra abusum huius sanctitatis Antoninus Pius tulit [d]), constitutio.

Superest, ut de aliis quibusdam variis lectt. vel virorum doctorum coniecturis, ad Ulpiani sententiam pertinentibus, exponam. Et primum quidem verba: *vel ad impudicitiam turpemque violationem compellat*, (*pudicitiam* enim, quod apud Pariatorem legitur, manifesto erroneum est [*]),) pro interpolatis habuerunt Gu. Fornerius [e]) et Hugo Grotius [f]) ideo, quod pudicitiam laedere turpissimasque cum dominis libidines exercere officium servorum fuerit. Sed partim repugnant verba: *infamis iniuria*, *intolerabilis iniuria*, quae et ipsa pro alienis haberi deberent, partim non adeo descivit ab humanitatis sensu Romanorum libido, ut in officiis servorum unquam fuisse credendum sit, quod effrenis tantum dominorum licentia sibi arrogavit. Licet enim de libidine dominorum coer-
51 cenda non esset, temporibus maxime liberae rei publicae, claris verbis lex scripta [g]), nullo tamen pacto dici potest, eandem legibus adprobatam et servis quasi operas tantae turpitudinis et crudelitatis impositas esse. Imo memorabile est, quod Suidas adfert, exemplum [h]) Publii cuiusdam, qui cum fuisset in exercitu a Samnitibus ad Furculas Caudinas sub iugum misso, posteaque in summam paupertatem delapsus aes alienum contraxisset, neque creditori satisfacere posset, se ipsum in servitutem ei tradere coactus est. Tum vero, inquit Suidas, *τα μεν ἀλλα ὑπηρετων, ὁσα δουλους δεσποταις νομος ἠν, ἠνειχετο;* (vocabulum *νομος*, cum, quo tempore res accidit, lex de

---

d) L. 28. §. 7. D. de poenis.

*) [Kaemmerer l. l. p. 160. not. q. hanc lectionem unice veram et per hendiadyn explicandam esse censet, ut sensus sit: *ad pudicitiae turpem violationem*. At ubi duo illa, quibus auctor idem expressisse dicatur, verba non idem, sed plane diversas, imo contrarias res significant, hendiadys statui vix potest; quare Wenckio in reprobanda Pariatoris lectione assentimur.]

e) Fornerius Sel. Quaest. lib. II. cap. 13.

f) Grotius in Flor. Spars. ad ius Iustinian. ad h. l.

g) Legem Scatiniam de servis nihil sanxisse constat; vid. I. Fr. Christ Historia legis Scatiniae §. 8.

h) Suidas in v. *Γαϊος Λαυτωριος*.

servis nondum lata fuisset, vel, ut saepe, pro consuetudine et usu accipiendum, vel e Suidae seculo, quo iam omnia legibus definita erant, explicandum est;) at ubi dominus, novi servi formositate seductus, turpissimas cupidines satiare voluit, Publius acriter restitit, ideoque flagellis a domino caesus, in publicum aufugit, et adspectu precibusque omnium misericordiam et indignationem ita commovit, ut, quicunque obaerati creditoribus sese in servitutem tradidissent, iussu populi dimitterentur, ipse vero ille dominus morte puniretur. — Vides minime servorum corpora dominis ad libidines obnoxia fuisse, quamquam siluisse hac de re leges aeque clarum sit, ut postea latius monebitur. Ista igitur verba ab auctoris manu profecta esse, 52
non dubium est, et refutarunt iamiam Grotium Herm. Noordkerk[i]) et Georg. d'Arnaud[k]); Senecae enim patris locus, quo *in servos dominis nihil non licere* dicitur[l]), partim huc non pertinet, (tractatur enim ibi controversia e Graeca historia petita,) partim, si vel maxime pertineret, nobis non repugnaret, cum declamatorum umbraticorum hac in re minima sit auctoritas, ac praeterea verbum *licere* de eo, quod legibus non vetitum sit, interpretari possis.

Sed transeo ad sequentia. In Marciani, ad quem datum est rescriptum, praenomine variatur. Nam et in Collatione *ad Aurelium Marcianum* legitur, et H. Noordkerk[m]) in veteri Institutt. exemplari, quod ao. Chr. MCCCCLXXXVI. Basileae prodiit, *ad Helianum Marcianum* reperiri testatur. Utrumque falso, nam nec in Aurelia gente cognomen *Marciani*, nec *Heliani* nomen apud Romanos usurpatum fuit. Quod vero ad Aelium Marcianum ipsum pertinet, sub eo non latere, ut multis visum est, celebrem illum ICtum, cuius plurima fragmenta in Digestis hodie supersunt, ex ipsis Marciani scriptis, quae eum ad

---

i) NOORDKERK in Specim. lectionum s. Disquisitione de lege Petronia, (Amstel. 1731. 8.) cap. III. p. 127.

k) D'ARNAUD in Diss. de iure servorum, (addita eiusd. Variis coniecturis, Leovard. 1744. 4.) cap. X. p. 51.

l) SENECA Controvers. X. c. 4.

m) NOORDKERK lib. cit. p. 128.

Alexandri usque Severi aetatem vixisse manifesto pro-
53 bant, ostendi potest et iam ostenderunt Herm. Noordkerk [n]) et Gerb. Oelrichs [o]), apud quem laudatos etiam reperies, qui utramque sententiam defenderunt. Marcianum autem, Baeticae Procons., ICti patrem fuisse, ut post Heineccium Oelrichs coniecit, id, cum de priore nihil nisi ex hoc loco constet, etsi verosimile sit, certo tamen adfirmari nequit. Pro *servos suos* Pariator exhibet: *servum suum;* unde ante verbum *compellat* pronomen *eum* inserendum putavit Io. Cannegieter [p]), quod tamen ipse fatetur etiam subintelligi posse. Omnino enim nihil hac ellipsi, ICtis potissimum, frequentius. In numero a Collationis auctore adhibito, quamvis nego quidquam emendandum esse, Ulpianum tamen ipsum pluralem posuisse censeo, quia singuli domini plures servos habebant, et in ipso etiam rescripto pluralis numerus servatus est. In sequentibus ita Pariator legit: *et sive durius habiti* (sc. sint,) *quam aequum* (sc. est), *vel infamiae iniuria affectos cognoveris*, etc. Ulpianum tam hiulca oratione usum, non temere quisquam sibi persuaserit; unde miror, Ioannem [q]) pariter ac Hermannum [r]) Cannegieterum scripturam hanc adsensu suo probavisse. Pro *sive*, cum sequatur
54 *vel*, in Collat. etiam *si vel* legendum esse censeo, quo facilius vitium, excipientibus sese literis *l* et *d*, oriri potuit. Quam durum sit illud: *durius habiti*, sequente: *affectos cognoveris*, videbit quilibet, his in rebus non caecus. Fieri tamen potuit, ut Collationis auctor hanc lectionem, sicut alias pravas, in suo codice reperiret. Hinc apud eum nihil muto, Ulpiani tamen scripturam in Pandectis reperiri contendo. Nec illud probo, quod Collator exhibet: *infamiae iniuria*, quamquam praeter lau-

---

n) Noordkerk l. l. p. 129.

o) Oelrichs in Diss. de vita, studiis, honoribus et scriptis Aelii Marciani ICti, (Trai. ad Rh. 1754. 4.) cap. III. §. 1. p. 10. 11.

p) Io. Cannegieter in edit. Fragmentorum Ulpiani et Collat. LL. Mos. et Rom. (Lugd. Batav. 1774. 4.) p. 197. in nota.

q) Idem ibid.

r) Herm. Cannegieter in Commentar. ad Fragmenta veteris iurisprudentiae, quae extant in Collat. LL. Mos. et Rom. (Franeck. 1765. 4.) cap. IX. p. 112.

datos viros Petr. etiam Pithoeus hanc fortasse veram lectionem esse pronunciet. Sermo enim est non de iniuria quadam proprie sic dicta, quae famam sugillaret, (quippe quae, si strictum ius respicias, in servum vix cadebat [rr]),) sed de turpi et nefanda iniuria, quae antea *intolerabilis* dicebatur, sc. de stupro; constat enim *infame* idem dici, quod *αἰσχρὸν* Graeci vocant. In fine Collat. exhibet: *Quodsi*, unde Io. Cannegieter legere volebat: *Quodsi meae const. f. f., is sciet* etc., inconcinne sane, cum ita inserendum certe esset: *quodsi quis*. Ab Ulpiano profectum est relativum, quod pertinet ad dominum, Sabinum, de quo solo nunc loquitur rescriptum, quique solus fraudem facere poterat.

Ulpianus eodem libro et titulo.

Item Divus Pius ad libellum Alfi Iulii rescripsit in haec verba: servorum obsequium non solum imperio, sed et moderatione, et sufficientibus praebitis, et iustis 55
operibus contineri oportet. Itaque et ipse curare debes iuste ac temperate tuos tractare, ut et facile requirere eos possis; ne, si apparuerit, vel imparem te impendiis esse, vel atrociorem dominatione saevitiam exercere, necesse habeat Proconsul V. C., ne quid tumultuosius contra accidat, praevenire, et te, ex mea iam auctoritate, ad alienandos eos compellere. Glabrione et Omullo Coss. Collat. LL. Mos. et Rom. l. cit.

En rescriptum eiusdem Imperatoris, quod nobis Tribonianus invidit, solus Collationis auctor servavit. Gratum est nobis propterea, quod, cum prius ad magistratum pertinuisset, hoc ad dominum datum est, qui crudeliter servos tractaverat. Caeterum oratio hiulca et parum latina, aliis Pii rescriptis prorsus dissimilis est. Locum hunc in codicibus foede corruptum acute sane restituit Pithoeus, a quo in duabus tantum levissimis mutationibus recedendum putavi. Nam statim ab initio inserui prae-

---

rr) §. 3. I. de iniuriis. Secus ex aequitate Praetoria: L. 15. §. 35. D. eodem. Cf. D'Arnaud Diss. de iure servorum, c. IV. p. 18.

pos. *in*, quia *verba rescribere* inusitatum ICtis est, *in verba* contra ubique legitur. Et nolumus omne stercus, quod Pithoeus h. l., velut alter Hercules ex Augiae stabulo, eliminavit, lectoribus delicatis adponere. Aliorum coniecturas examinabimus, gravioribus delectis. Dicitur: *ad libellum* datum esse rescriptum; fugerant enim haud dubie etiam Alfi servi, immani saevitia territi, ad Imperatoris statuam. Hos ut *requireret*, h. e. rursus acqui-
56 reret, tradiderat Alfus Imperatori libellum, auxiliumque eius implorarat; hic vero, cum de domini saevitia aliunde audivisset, praesens ei responsum dedit. Prima verba hoc indicant: servos ad obsequium dominis praestandum non tam severitate imperii in ipsos exercendi, quam moderatione, qua domini erga eos utantur, et eo, quod, quaecunque ad vivendum necessaria sint, accipiant, neque nimia, quam salvi praestare nequeant, operarum copia obruantur, esse permovendos. Hac enim erga eos benevolentia, hoc amore efficiendum esse, ut intelligant, sine dominorum ope vitam felicem ipsos degere non posse, utque eo lubentius grave nihilominus servitutis iugum patiantur. Verbum *contineri* idem interdum esse, quod niti, fundari, satis notum est. Vocabulum *operibus* tanquam insititium eliminandum putavit Io. Frid. Gronovius[s]), ratus, melius fluere orationem scribendo: *sufficientibus praebitis et iustis contineri oportet*. Non abhorrere ab eadem sententia videtur Ant. Schulting[t]). Sed improbarunt hoc iure G. d'Arnaud[u]) et H. Cannegieter[v]). Dominorum enim in servos saevitia eo etiam maxime se exseruit, quod iniungerent iis operas tot tamque arduas, ut iis perficiendis hominis vires non sufficerent. Iure igitur et hoc adpositum est. *Itaque et ipse ... tractare*; haec non bene latina esse, nemo negabit. Sensus est:
57 curabis, ut tuos iuste ac temperate tractes. Ante Pithoeum legebatur: *Itaque et ipse curare debes iuste ac*

---

s) GRONOVIUS Observatt. lib. IV. cap. 9.

t) SCHULTING in nota ad h. l.

u) D'ARNAUD diss. laud. cap. XI. p. 62.

v) CANNEGIETER Comment. cit. p. 116.

temperate, *et vos tractare;* in quo manifestum est *et vos* ortum esse e voce *tvos* et repetita praecedentis vocabuli ultima litera. *Et ipse* explicandum: tu etiam pro eo, quod in te est, pro tua parte; cum servorum sit obsequi tibi, tuum est moderate eos tractare, *ut et facile requirere eos possis.* Valde se torsit h. l. uterque Cannegieter; nam Ioannes[x]) emendat: *Itaque et ipse curare* h. e. alimenta praestare) *debes*, *et iuste ac temperate servos tractare;* Hermannus[y]) vero: *Itaque et ipsos curare debes iuste* (h. e. iusta cibaria dare) *ac temperate tuos tractare.* Non opus est, ut moneam, quam durum utrumque sit, quamque ambiguum verbum *curare* per se positum. Verbum *requirere* crebro ponitur de fugitivis, quos domini in potestatem suam reducere student. Otiosa est coniectura H. Cannegieteri, dicentis: *regere malo*, *quam requirere: neque enim de fugitivis sermonem institui constat.* Constat profecto, uti ex omni rescripto, ita ex ipso verbo *requirere*, quod ideo mutari non debet. Servi enim, etiam benigne et clementer tractati, fugere interdum, libertatis amore ducti, solebant; facilius tamen hi requiri poterant, quam qui in duri immanisque domini potestatem sibi redeundum esse sciebant. *Regere* contra ταυτόλογιαν efficit: iuste ac temperate tuos tractes, ut facile regere eos possis. Nec necessarium est, ut cum Io. 5
Cannegietero legas: *ut ita facile; ut et* refertur ad *et ipse.* *Si apparuerit* ... *impendiis esse*, h. e. si clarum sit, tam pauperem te esse, ut multos servos habere nequeas, nisi saevitia tua omnia, etiam levissima, commoda iis extorseris. *Vel atrociorem* ... *exercere;* in codd. erat: *dominationem saevitiam;* quod Pithoeus, uti nos scripsimus, correxit, sed Io. Cannegieter revocare voluit, dicens, millies omitti copulativam. Sed profecto in hac verborum serie et in tali rescripto id fieri non poterat. Sensus erit: si adparuerit, saevitiam, qua imperium in servos exerceas, transgredi potestatis dominicae fines.

---

x) Io. Cannegieter in ed. Collat. cit. ad h. l.

y) Herm. Cannegieter Comm. cit. p. 115.

Dominatio enim est potestas dominica. Male igitur d'Arnaud contendit[z]), legendum esse: *dominationem saevitia;* quod tamen ipse non explicuit, nec facile potuit explicare. Nec calculum adiicio H. Cannegietero, qui *dominationem seu saevitiam* legendum, et το *seu* propter sequentium literarum similitudinem excidisse censet. Haec enim lectio, praeter alia incommoda, glossema proderet, adversum adeo loquendi consuetudini, siquidem *dominatio* et *saevitia* non sunt synonyma. *Necesse habeat ... compellere;* ita haec verba iungenda videntur. Codd. plerique exhibent: *praevenire se et ex mea* etc., pro quo Pithoeus *praevenire te et ex mea* etc. restituit. Sed ita non satis intelligo, quid sibi velit το *praevenire*, et quo-
59 modo Proconsul, dominum ad alienandum servum compellens, illum praeveniat. Itaque praeferenda mihi utique videtur emendatio, quam ad marginem codicis sui notarat Scaliger, quamque exhibui. Sensus est: moderate tuos tractes, quo minus Proconsul debeat cavere, ne turbas forte periculosas irritati servi moveant, teque ex ea, quam illi dedi, auctoritate, h. e. venia, ad alienandos eos compellere. Sic *praevenire* idem est, quod cavere, impedire, qui significatus e prima verbi notione derivari facile potest.

Subscriptio olim haec erat: *Gravione et Romulo Coss.* Quos cum in Fastis inter Consules sub Antonino non reperiret Elb. Leoninus[a]), fidem Fastorum vacillare putavit. Verum enimvero non vacillat, modo fictitia illa nomina, quae nec Antonini, nec ulla alia aetate Consulibus fuerunt, eiicias et veriora cum Pithoeo substituas. Anno enim U. c. 905. p. Chr. 152. Coss. fuerunt Acilius Glabrio et C. Valerius Omullus Verianus. Quorum nomina, quae et in inscriptionibus varie proferuntur[b]), (Omullus maxime, quem etiam Capitolinus bis comme-

---

z) D'ARNAUD loc. cit.

a) LEONINI Emendatt. et Observatt. (Arnhem. Gelr. 1610. 4.) lib. V. cap. 3. p. 321.

b) vid. THE. IANS. AB ALMELOVEEN Fast. Consular. p. 301. HENR. BRENCMAN in Append. ad Fastos p. 605. sqq. item NORISIUS in epist. consul. p. 449.

morat[c]), valde solet a scribis corrumpi,) h. l. restituenda sunt, atque ita annus dati rescripti certus erit. Adsentitur Pithoeo etiam H. Cannegieter.

Caeterum si quis forte hoc rescriptum ad eandem 6 speciem, ad quam prius, quod Marciano datum est, pertinere existimet, ego non repugnabo. Fieri enim potuit, ut eodem tempore et Alfus Iulius Sabinus, de servis profugis conquestus, et Marcianus, ad Imperatorem de querelis servorum contra domini saevitiam motis relatione facta, peculiare quisque rescriptum acciperent.

Iam vero quod ad argumentum horum rescriptorum adtinet, ut, quid novi iis Antoninus Pius effecerit, ostendamus, ante omnia redeundum paullulum est ad priora tempora, et quid antecedentium maxime Principum, Augusti scilicet et Hadriani aetate de servis cautum fuerit, videndum.

Sub Augusto igitur, cum liberae rei publicae tempore servorum conditio nullis prorsus legibus descripta esset, prima videtur hac de re lata esse *lex Petronia*, cuius nobis solus Herennius Modestinus memoriam servavit, his verbis[d]: *Post legem Petroniam et SCta ad eam legem pertinentia dominis potestas ablata est, ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere, oblato tamen iudici servo, si iusta sit domini querela, sic poenae tradetur.* Non possum ego h. l. vel aliorum de aetate huius legis sententiam impugnare, vel meam defendere, cum nobis otium fecerit, qui pro ea satis multa attulit, H. Noordkerk[e], cuius argumenta qui legerit, non 61
dubitabit profecto in eius partes nobiscum transire. Gravior est atque difficilior ferme de argumento legis quaestio, quae magis huc pertinet, et in qua cum H. Noordkerk non prorsus convenimus. Hic enim, refutatis aliorum opinionibus, ipse hanc profert[f]: Petroniam legem in genere dominorum saevitiam cohibuisse; quae facilis

c) Capitolinus in v. Ant. P. c. 12. et Ant. Phil. c. 6. ubi v. Interpp.

d) L. 11. §. 2. D. ad leg. Corneliam de sic.

e) Noordkerk lib. cit. p. 78. sqq.

f) Idem p. 106.

sane emergendi e difficultatibus ratio quid ad adcuratiorem rei cognitionem proficiat, non video. Nec probo G. d'Arnaud[g]) sententiam, quam post Iac. Cuiacium[h]) et Ian. a Costa[i]) amplexus est: cautum fuisse hac lege, ne servi a dominis arenae darentur. Huic enim opinioni ipsa verba Modestini repugnant, dicentis *post legem* demum *Petronium et SCta ad eam pertinentia* hoc effectum esse. Si ipsa lex Petronia huius argumenti fuisset, non video, quae eam supplere potuissent sine mera eiusdem repetitione SCta. Clarum igitur est, statutum esse illa lege aliquid amplius, quod deinde ad singulas saevitiae species per SCta adcommodaretur. Scilicet nec in eo cum laudatis modo viris consentio, quod singulare quoddam factum domini erga servum occasionem Petroniae legi dedisse arbitrantur, quippe quo excitari quidem Augustus ad puniendum extra ordinem illum dominum, non vero ad novam eamque primam de saevitia domino-
62 rum in universum legem ferendam permoveri poterat. Huius enim fere quotidiana fuerunt illa aetate exempla, ut, quid gravius et ad excitandam legislatoris animadversionem efficacius fuerit, vix dici possit. Adferunt plerumque notam satis e Seneca[k]), Plinio[l]) et Dione Cassio[m]) Vedii Pollionis historiam, qui cum alias in servos crudelissimus fuit, tum unum, in convivio praesente Augusto vas crystallinum frangentem, in piscinam, ut muraenarum esca fieret, reliquis servis coniiciendum tradidit. Augustus vero, ad cuius pedes servus fugerat, immani poenae saevitia motus, hunc impunem esse, vasa vero omnia frangi et in piscinam abiici iussit, tantoque per omne vitae tempus odio Vedium prosecutus est, ut, licet ex eius testamento magnam bonorum partem ac villam egregiam nactus esset, domum tamen, ne ullum nominis eius monumentum superesset, diruendam cura-

---

g) D'ARNAUD Diss. cit. p. 35.

h) CUIACIUS Observatt. VI. 17.

i) A COSTA ad §. 1. Inst. de h. q. s. v. a. i. s.

k) SENECA de Ira l. III. cap. 40. de Clement. lib. I. cap. 18.

l) PLINIUS Hist. nat. IX. 23.

m) DIO CASSIUS lib. LIV. cap. 23. p. 752. T. 1. ed. Reimar.

ret. Quae res licet satis ostendat, quam exosa fuerit Augusto effrenis illa ingenuorum in servos dominatio, occasionem tamen eam legi ferendae dedisse, nullo pacto demonstrari potest. Multo nihilominus verosimilior coniectura haec est altera, quam G. d'Arnaud protulit: memorabile Androcli, leonis, quem in fuga sanaverat, grata memoria servati, fatum ad ferendam Petroniam legem populum excitasse. Etiamsi enim in ipsa legis sententia constituenda cum viro docto facere vellem, quod nolle
me paullo ante professus sum, non intelligerem tamen, 63
quomodo singulare illud conservati per lenitatem bestiae servi exemplum plebem Romanam, spectaculi crudelis cupidissimam, commovere adeo potuerit, ut eo supplicii genere servos in posterum omnino omnes eximendos decerneret. Praeterea ipsa Apionis[n]) et Aeliani[o]), qui huius historiae memoriam nobis conservarunt, verba manifesto produnt, id ipsum, quod d'Arnaud lege Petronia constitutum dicit, cum Androclus in arenam daretur, iam constitutum fuisse, ideoque seriorem historiam priori legi ferendae ansam dare non potuisse; quae vestigia si persequemur, ducent nos sponte ad veriorem de argumento Petroniae legis sententiam. Narratur enim Androclus 1) servus fuisse domini, qui, ut Apion ait, *Africam proconsulari imperio obtinebat*, aut, ut Aelianus, *ὀντος των ἐκ της Ρωμαιας βουλης;* quae quidem sibi non repugnant, vir enim Senatorius proconsulari imperio Africam provinciam administrabat; 2) *iniquis et quotidianis verberibus domini coactus esse ad fugiendum.* Aelianus contra habet: *τον δεσποτην .... ἀπεδρα Ἀνδροκλης ὀνομα, οἰκετης την τυχην, ὁ τι κακουργησας και ἡλικον, οὐκ οἰδα εἰπειν.* Itaque quod verberibus et crudelitati domini Apion, id Aelianus servi flagitio tribuit. Sed facile haec conciliari possunt.
Androclus nimirum, quo saepius a domino propter levis- 6
simas causas vel ex sola libidine castigatus est, eo minus, cum grave aliquod delictum commisisset, domini indul-

---

n) Apion ap. Gellium Noctt. Att. lib. V. cap. 14.

o) Aelianus in Histor. animall. lib. VII. c. 48. p. 241. sqq. ex ed. I. G. Schneideri.

gentiam sperare, eo certius saevissimam exspectare poenam eiusque metu ad fugam vel periculosissimam suscipiendam compelli debebat. 3) Cum per triennium in deserto commoratus esset, tantum vitae ferinae taedium hausisse, ut, leone venatum profecto, ipse specum, qua hucusque latuisset, relinqueret. *Tum vero*, ita propriis Androcli verbis Apion αὐτοπτης rem refert, *a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum dandumque ad bestias curavit.* Quod idem Aelianus ita narrat: *Εἰτα ἁλωμενον αὐτον συλλαβοντες, και ὁτου εἰη πυθομενοι, ἐς την Ῥωμην τῳ δεσποτῃ δησαντες ἀποπεμπουσι. Ὁ δε ἐφ᾽ οἷς ἠδικηθη, εὐθυνει τον οἰκετην, και κατεγνωσθη ἐκεινος θηριοις βορα παραδοθηναι.* Ex his omnibus liquet: primum, haud dubie deliquisse aliquid Androclum, antequam fugerat, nam solam fugam poena capitalis sequi non poterat[p]; deinde, quod caput rei est, dominis tum non amplius competiisse ius servos suos pro lubitu puniendi, alias enim dominus Androcli hunc non aliis damnandum tradidisset, sed continuo ipse, quacunque voluisset, poena adfecisset. Scilicet lata erat lex Petronia,
5 his fere verbis concepta: *Dominis in servos, praeter levem castigationem, animadvertendi potestas ne esto; in urbe Praefectum, in provinciis Praesidem adeunto.* Hinc Androclo, primum cum fugeret, nullum lex Petronia auxilium praestitit, dominum quippe, qui tunc temporis provinciae praeesset, ex eadem lege simul iudicem nacto. Postea vero, cum deprehensus esset ab Irenarchis, qui per vias, ne quid pravi adcideret, prospiciebant, interimque dominus alium in proconsulatu successorem accepisset, tradendus quidem erat domino iam Romam reduci, huiusque arbitrio, num et delicti et fugae causa servum punire vellet, (quia mancipia in bonis numerabantur,) permittendum; cum vero punire, quam

---

p) vid. L. 2. D. de fugitivis, et CAPITOLINUS in v. Macrini cap. 12. p. 766. T. II. ubi tanquam res nova narratur, Macrinum servos, qui a dominis fugissent, repertos ad gladium ludi deputasse.

ignoscere, mallet dominus, non ipsi iam, qua poena servus adficiendus esset, sed magistratui competenti, lege Petronia definito, Praefecto scilicet Urbi, decidendum erat. Ita quae de Androclo leguntur, clara sunt et expedita; cum, si ante Petroniam legem ea adcidisse statuas, mirum non videri nequeat, quod, uti liberae rei publicae tempore factum esse plura exempla docent, ipse dominus poenam pro lubitu non constituerit. Firmatur praeterea haec de legis argumento opinio, nisi fallor, partim capite legis Aeliae Sentiae, quo ingrati liberti sine iudicis cognitione in servitutem revocandi arbitrium patronis ademtum est[pp], unde adparet, Augustum illimitatam omnino dominorum potestatem, quae, iudice nun- 66
quam intercedente, pro libidine grassaretur, circumscribere voluisse, quod quin, qui in libertis fecit, idem et in servis, quorum maior numerus, gravius periculum, crebrior poena esset, constituerit, vix est ut dubitemus; partim ipsis Modestini verbis, qui, postquam dixerat, ablatam esse dominis servos ad bestias pro arbitrio dandi potestatem, addit: *oblato tamen iudici servo, si iusta sit domini querela, sic poenae tradetur*, nec dicit: *sic ad bestias depugnandas damnabitur*, (quod pertineret ad speciem SCto legi Petroniae serius addito decisam,) sed *poenae tradetur*, ut indicet, Petronium poenae eligendae facultatem omnino iudici ita permisisse, ut domini voluntas plane exsularet. Quodsi hanc veram fuisse legis sententiam satis luculenter ostendimus, facili etiam opera Senecae patris anachronismum, vel potius rhetoris, cuius verba adfert, errorem, poterimus deprehendere. Nam ubi controversia illa de iusta iniustave P. Flaminini poena tractatur, qui Praetor et belli Gallici dux, vino inebriatus ac meretricis precibus permotus, unum e captivis Gallis, iam ad mortem condemnatum, interfici iusserat, ideoque, cum magistratu sese abdicasset, Senatu motus erat[q], accusator eius inter alia ita loquutus fingitur: *Ne de servo*

pp) Vid. Iac. Henr. Bornii Diss. de poenis libertorum ingratorum apud Romanos (Lips. 1738. 4.) §. 9.

q) Seneca Controv. XXV.

quidem aut captivo, omni loco, aut omni genere, aut per quos licebit, aut cum quibus licebit, supplicium sumi fas
7 *est, adhibeturque ad ea magistratus, ob custodiam, non laetitiam.* Priora vera sunt; etenim nec libera re publica fas erat, h. e. bene et laudabiliter factum, ut quis ipse de servo supplicium sumeret; reliqua ei, qua Flamininus vixit, aetati minime conveniunt, ut proinde, licet forte fuerint, qui magistratum his in causis implorarent, eius tamen cautionis omissio nullo pacto vindicari potuerit. Taceo, omnem hanc rem contra Flamininum Praetorem et Imperatorem, dominis longe potentiorem, non multum valuisse, utpote in quo solus imperii abusus coerceretur, quod ebrius, feminae delectandae causa, vitam hominis vilipendisset, nominisque Romani et praetorii atque imperatorii muneris dignitatem dehonestasset. Rhetor autem, lege Petronia iam lata (vivebat enim Seneca Augusti et Tiberii tempore,) causam dicens, ex sua aetate culpam rei aestimavit, num lex illa ad speciem propositam vere adplicari posset, parum sollicitus.

Cum igitur e lege Petronia servos accusandi necessitas dominis reliqua esset, re ipsa illud etiam sequebatur, servos, si domini, non adito magistratu, graviter ipsos plectere vel ingenti saevitia tractare voluerint, ad eundem magistratum, Praefectum puta aut Praesidem, confugere potuisse; unde Seneca philosophus[r]) *De iniuriis,* inquit, *dominorum in servos, qui audiat, positus est, qui et saevitiam, et libidinem, et in praebendis ad victum*
8 *necessariis avaritiam compescat.* Non nominat magistratum, sed innuit Praefectum Urbi, qui, si iustas servorum querelas deprehendebat, impediendi dominos et vetandi habebat potestatem. Atque hanc animadversionem ei ab Augusto datam esse, claris verbis Tacitus ait, eo loco, quo praefecturae urbanae historiam breviter persequitur[s]), his verbis: *Augustus mox, rerum potitus, ob*

---

r) Seneca de Benef. lib. III. c. 22. quo loco, ut et Epist. 47., clementiam erga servos egregie commendat.

s) Tacitus Annal. VI. 11.

magnitudinem populi ac tarda legum auxilia, sumsit e Consularibus, qui coerceret servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat; unde paullo ante[t]) laudat L. Pisonem, qui Praefectus Urbi[u]) mortuus erat, tanquam *nullius servilis sententiae sponte auctorem, et, quoties necessitas ingrueret, sapienter moderantem;* h. e. quod nunquam, nisi graviter instante et urgente domino, sententiam contra servum (haec enim dicitur: *servilis sententia,*) duram pronunciarit, atque ipsam illam, quam domini in servos statui voluerint, poenam haud raro, si iniqua et saeva visa fuerit, mitigarit. Atque idem huic magistratui officium semper mansisse, plura ostendunt iuris loca[v]), ut non necesse habeam refutare H. Noordkerk[x]), qui ex Quinctiliani declamatione aliqua dubium esse et incertum ait, annon tribunis potius plebis illud fuerit iniunctum[y]). Scilicet in illa declamatione, cuius per se non magna auctoritas est, non tam de iure occidendi servum, quam de eo, num conditio libertatis in testamento datae adscripta, et quidem bonis moribus contraria, valeat, quaeritur, ut ideo recte servus tribunos plebis, quos interdum iunctim cum Praetore iurisdictionem exercuisse scimus, adierit, cum Praefectus Urbi caedem quidem impedire, non vero de libertate iudicare potuisset. 69

Reperto ita argumento Petroniae legis, videmus, admodum illam mancam et imperfectam fuisse. Nam neque poenam constituit eius domini, qui nihilominus servum vel occidere vel atrociter punire voluerit, et facilem praebuit subterfugiendi ansam, cum domini, qui sine causa in servos grassarentur, vix potuerint a Praefecto contineri, quippe quibus rei suae vel bonorum suorum liberum arbitrium permittendum, sola de criminibus servorum

---

t) Idem ib. cap. 10.

u) Ita enim legendum esse pro vulgato *Pontifex*, quod e literis *P. V.* ortum sit, recte Lipsius, Muretus et Ernesti monuerunt, cum Pontificatus, licet fieri potuerit, ut eum Piso gereret, ad illum locum plane non pertineat.

v) Tit. D. de off. Praef. U., L. 5. D. de manumiss. etc.

x) Noordkerk lib. cit. p. 104.

y) Quinctilianus Declam. 380. T. III. p. 778. ed. Burmann.

cognoscendi potestas ablata esset. Quare vero dissimile est, legem Petroniam saevitiam dominorum multum compescuisse, imo contrarium, quae a successoribus constituta sunt, probant, maxime illud Claudii, quo expositos a dominis aegrotantes servos liberos esse iussit. Haec tamen et similia, quia partim ab aliis illustrata sunt, partim ad rem nostram non proxime pertinent, mittimus, ad
70 Hadrianum statim transituri [*]). Hunc enim Spartianus [z]) ait *servos a dominis occidi vetuisse, sed si digni fuerint, per iudices damnari iussisse.* Non igitur poenae loco solum, sed qualibet de causa occidi servos Imperator noluit, atque ita patribus familias liberum de patrimonio suo disponendi arbitrium ademit, ut adpareret, eum non legem solum Petroniam repetiisse, sed illud etiam, quo uno effici posset, ut vim suam exsereret, addidisse. Consentit egregie Gaius [a]), qui: *Distringendi*, ait, *in servos, dominis pro sua potestate permittitur, occidendi tantum servos suos domini licentiam non habebunt, nisi forte servus, dum pro culpae modo caeditur, casu forsitan moriatur.* Neque his repugnant, quae aliis locis Ulpianus [b]) et Marcellus [c]) tradunt, quod et per se patet, siquidem in illis locis de actione civili, quae, occiso alieno servo, huius domino competat, sermo est, et bene contra alios H. Noordkerk [d]) ostendit. Ceterum Hadriani etiam sanctio, quoniam poena caruit, imperfecta fuit, unde factum est, ut ipsam legem haud raro domini spernere servosque sine iudice ipsi morte plectere auderent.

Idem Spartianus de eodem: *Lenoni*, ait, *vel lanistae servum vel ancillam vendi vetuit, causa non praestita.* Non opus est, ut h. l. de lanistis disseram; constat, iis
71 vel traditos vel venditos fuisse servos ad pugnam cum bestiis destinatos, quo et cibis vires augentibus corroborarentur, et in iis, quae ad illam pugnam necessaria

*) [Cf. ZIMMERN *Gesch. d. Röm. Privatrechts*, vol. I. part. II. §. 180. p. 661. sqq.]

z) SPARTIANUS in v. Hadr. cap. 18. p. 169. T. I.

a) GAIUS Institt. lib. I. tit. 3. § 1. [Sed v. genuinarum Inst. l. I. §. 53.]

b) L. 53. §. 3. D. de legatis I.

c) L. 96. D. de V. O.

d) NOORDKERK l. c. p. 117. sqq.

essent, instituerentur. Clarior etiam res est in lenonibus. Qui igitur servos occidere cupiebant, fraude legi facta, obtentu dominii servos lanistae, ancillas lenoni vendebant, ut illi vitam, hae, quae carior vita castis virginibus esse debet, pudicitiam exponerent. Hoc Hadrianus vetuit, SCto, ut puto, (quod est in iis, quae Modestinus innuit, verbis: *post legem Petr. et SCta* etc.) Principis orationem subsequuto. Iussit igitur etiam huius venditionis, quae mortis poenam aequaret, causam praestari, h. e. iudici probari. Cui Hadriani instituto H. Noordkerk[e]) recte ostendit derogasse Divos Fratres[f]) eo, quod servos vel adlata causa lanistae lenonique vendi vetuerint, et quotiescunque gravior poena immineret, magistratui tradi iusserint. Idem vero vir doctus erravit in eo, quod, etsi negat poenam ab Hadriano esse constitutam, contrarium tamen in Basilicis adfirmari dicit; si enim evolvas locum ab eo laudatum[g]), reperies illa ipsa verba Modestini, quae Petroniae legis mentionem faciunt,
et ea, quae praecedunt, ita reddita: *Ὁ ἐπι τῳ θηριομαχειν δουλον πολων ἀνευ ἀρχοντος, ὑποκειται τῳ περι ἀνδροφονων νομῳ, και ὁ ἀγοραζων· ἐξ εὐλογου δε αἰτιας δια τον ἀρχοντα*
διδοται προς το θηριομαχειν ὁ δουλος· quibus addit Scholia- 72
stes: *ἐαν προσενεχθῃ τῳ ἀρχοντι, και δικαια δοξῃ ἡ νυνι* (legendum haud dubie *εἰναι ἡ*) *του δεσποτου κατηγορια και μεμψις.* Vides reddita graece Modestini verba, quae non ad Hadriani institutum, quod per Titum et Marcum demum Antoninos perfectum est, sed ad ea, quae Modestini tempore iusta et constituta legibus erant, referenda sunt; ut mirum omnino sit, laudatum virum dubium per se infirmum non e verbis latinis, sed e graeca versione movisse.

Sed non occidi modo, verum atrociter etiam castigari servos Hadrianum noluisse, rescriptum eius de Umbricia ostendit, quod rescriptis Antonini iunctum, iisdem, qui-

---

e) Idem p. 122. sqq.

f) rescripto, quod adfert Marcianus L. 12. D. de contrah. emt.

g) Basilica lib. LX. tit. 39. Tom. VII. p. 687. et Schol. ib. p. 696.

bus haec, locis legitur. Matronam enim, (num *Umbricia*, ut in Digestis, an *Umbra*, ut apud Pariatorem legitur, vocanda sit, parum nostra interest,) quae propter levissimas causas ancillas atrocissime tractasset, in quinquennium iussit relegari; quae poena, licet patrimonio suo atque ipsis ancillis mulierem non privaverit, vereor tamen ne nimis severa fuerit in eam, quae res tantum suas imprudentius administrasset.

Iam his de priorum Imperatorum legislatione praemissis, facilius, quae fuerint Antonini Pii merita quantaque in legibus hac de re ferendis sapientia, intelligimus. Et primum quidem, quod de servis non occidendis sanxisse eum legimus, in eo egregie leges priores supplevit, ut adderet gravem poenam legis Corneliae, quam vel deportationem fuisse, vel mortem, prouti reus aut altiori
73 aut humiliori loco positus esset, non est profecto quod pluribus doceam [h]). Legis autem Corneliae reum factum esse, qui alienum servum occidisset, ideoque Imperatorem, dum iusserit, eodem modo, qui suum servum interemisset, puniri, quo qui alienum, huius legis poenam innuisse, Ulpiani [i]) et Marciani [k]) loca evincunt; ut mirer Anton. Fabrum, qui alieni servi, ideoque post Pii rescriptum etiam proprii, interemtorem ita punitum esse dicit [l]), ut pretium fisco inferre cogeretur, addens: *Neque enim lege Cornelia de sicariis teneri potest, qui servum occidit, sive proprium, sive alienum, quomodo si liberum occidisset*, recte iam refutatus ab Antonio Suarez de Mendoza [m]). Hoc enim ipsum ab Imperatore nostro mutatum est. In quo licet adversetur nobis Frid. Brummerus, qui nihil novi Antoninum iussisse, sed patris constitutionem, ex Spartiano ante a nobis adlatam, tantum confirmasse, Gaium autem, cum aliud Pii rescriptum de castigationibus servorum laudaverit, male eundem etiam

---

h) vid. L. 3. §. 5. D. ad leg. Corn. de sic.

i) L. 23. §. 9. D. ad leg. Aquil.

k) L. 1. §. 2. D. ad leg. Corn. de sic.

l) Fabri Iurisprud. Papin. Tit. VII. princ. 4. p. 285.

m) Suarez de Mendoza Comm. ad leg. Aquiliam, lib. VII. cap. 3. sect. 2. T. II. p. 122. Thes. Meerm.

sublati iuris occidendi servos auctorem primum designasse
censet[n]), ex iis tamen, quae hactenus dixi, quam verum
hoc sit, adparet, mirumque est, virum alias sagacissi-
mum, qui et Spartiani et Gaii verba exhiberet, quo modo
differrent, non reperisse. Recte igitur contra eum etiam 74
H. Noordkerk disputavit [o]). Superest, ut moneam, quod
constitutionem Gaius vocat, SCtum fuisse videri. Etenim
constituendi vocabulum omnino promiscue de edictis et de
SCtis interdum usurpari, non desunt, quae ostendant,
loca, ex eo maxime tempore, quo Senatus orationes Prin-
cipum decretis suis exprimere et sequi solebat. Sic, ut
unum adferam exemplum, quod Paullus aliquo loco [p]) *sub
Divo Traiano constitutum esse* ait, SCto effectum esse,
liquidis sane argumentis I. A. Bachius ostendit[q]). Quod
autem Imperator servos *sine causa* occidi vetuit, ita in-
telligendum est, ut quaelibet causa, vel maxime liquida,
deferri iuberetur ad Praefectum Urbi, cuius de hac re
erat cognitio, nisi forte illa esset eiusmodi, quae etiam
liberum hominem occidenti veniam pararet, veluti irruente
servo in dominum eumque occidere volente, aut eodem
in adulterio cum uxore domini deprehenso. Necessitatem
enim causam nominandi servumque iudici offerendi pror-
sus noster non sustulit, imo eam postea semper valuisse
clara legum verba docent[r]). Iam nonne vero simillimum
est, ex instituto Antoniniano haec pronunciare Modesti-
num[s]): *Servo sine iudice ad bestias dato, non solum qui
vendidit, poena*, (sc. legis Corneliae) *verum et qui com-* 75
paravit, tenebitur. Ultimum enim de emtore vel lanista,
post Pium haud dubie per interpretationem accessit. Quare
non dubito, Modestinum in SCtis, quae Petroniae legi
addita dicit, illud etiam sub Antonino, (quem multa ad Se-
natum detulisse, Capitolinus testatur[t]),) factum intellexisse.

---

n) Brummer Comment. ad legem Cinciam, cap. III. p. 40. ed. Paris.

o) Noordkerk lib. cit. p. 125. sqq.

p) L. 10. §. 1. D. ad SCt. Silan.

q) Bachii D. Traianus, (Lips. 1747. 8.) p. 223.

r) v. c. L. 15. D. de condict. causa data, L. 24. §. ult. de pignorat. act.

s) L. 11. §. 1. D. ad leg. Corn. de sic.

t) Capitolinus v. Ant. P. cap. 6.

Veniamus ad duo, quae reliqua sunt, rescripta, quorum alterum ad iudicem, alterum ad dominum de fuga servorum querentem datum est, sed eiusdem fere argumenti. Agnoscit Antoninus, illibatam esse debere dominorum in servos potestatem, nec detrahendum esse cuiquam de rebus suis disponendi arbitrium, quod sane a Principe aequitatis adeo studioso aliter exspectari non poterat. Idem vero pronunciat, ipsorum dominorum interesse, ne auxilium contra intolerabilem saevitiam servis petentibus denegetur; qui prioris rescripti locus illustratur secundo, ubi Alfum hortatur Imperator, ut suos iuste ac temperate tractet, quo facilius requirere possit fugientes; ideo quippe, ne aufugerent, intererat dominorum, ut querentes servi audirentur. Atque iniurius mihi erga Pium Antonius Faber videtur[a]), dicens, eum, dum servis adversus dominos prospicere voluerit, ita egisse, ut nullam servorum, nullam dignitatis humanae, sed dominorum tantum et rei publicae, cuius interesset, ne bonis suis cives abuterentur, rationem habere voluisse videretur.
76 retur. In hoc enim sapientiam potius Antonini laudandam, quam perversitatem vituperandam puto. Scilicet rescripta illa ad magistratum data potentem et ad dominum divitem, quorum patrimonium magna ex parte servis efficiebatur, tanto poterant certius, illum, ut in saevos crudelesque dominos severe animadverteret ideoque et ipse clementiae ac benignitatis exemplum suis exhiberet, hunc, ut saevitiam et crudelitatem exueret lenitatique quam fieri posset maxime studeret, permovere, quanto utrique firmius persuasum erat, sui maxime commodi suaeque in servos potestatis conservandae gratia curandum esse, ne duro immanique imperio ad creberrimam desperatissimamque fugam vel invitos cogerent ipsique compellerent. Haec quidem mihi videtur esse ea, quam Antoninus secutus est, ratio; ceterum alterius rescripti initium nullam facit commodi, sed solius officii mentionem, quod ipsum satis ostendit, non tam dominis,

a) Fabri Iurisprud. Papin. Tit. VII. princ. 5. p. 289.

quam servis legumlatorem reapse consuluisse[*]). Transtulit nimirum Imperator sapientissimus, primus ut videtur, ex Attico solo grave aliquod et fructuosum reprimendae nimiae dominorum audaciae praesidium. Nam apud Athenienses cum similis invaluisset dominorum in servos libido, qua interdum in summum discrimen res publica adducta est, ipsis legibus ita cautum erat, ut, quicunque inhumaniter sese a domino tractatum censeret, ad aram confugere, sanctitate loci sese tueri, simul iniuriarum actionem adversus dominum instituere, atque a magistratu petere posset, ut dominus ad vendendum 77
ipsum alii civi cogeretur, quod quidem πρᾶσιν αἰτεῖσθαι, venditionem postulare, Graeci dixerunt. De quo Attico ritu cum Sam. Petitus[v]) et G. d'Arnaud[x]) satis exposuisse videantur, nolo nunc actum agere dictaque recoquere[y]). Apud Romanos autem, etsi libera re publica aras a servis tangi nefas erat, ut inscriptiones veteres sat multae ostendunt, tamen cum postea Imperatorum statuae, templa et arae sanctae fieri coepissent, id non amplius obtinuisse videtur, imo ex locis supra laudatis, maxime ex Tacito[z]), templa et aras etiam servis praesidium praebuisse cognoscimus, ad quod tamen confugientes nihil aliud nanciscebantur, quam ut a primo iracundiae dominorum impetu tutos sese praestarent; caeterum discedentes lenior quidem, quam antea, sed vel sic satis dura poena manebat. Illud igitur mihi plane liquet, quod Petitum etiam sensisse video, Antonino nostro auctore morem graecum, quo iniuriarum agere et venditionem poscere servis liceret, in civitatem Romanam migrasse. Ac frustra quidem contrarium probare nonnulli, atque

---

*) [Quanquam quae Gaius comm. I. §. 53.: addit: *Male enim nostro iure uti non debemus, qua ratione etiam prodigis interdicitur bonorum suorum administratio,* Fabri sententiam confirmare videntur, tamen nec humanitatis rationem ab Antonino Pio abfuisse, cum Nostro putat Ed. Gans in Scholiis ad Gaium (Berol. 1821. 8.) p. 80—82.]

v) Petiti Comm. ad leg. Att. lib. II. tit. 6. p. 178.

x) d'Arnaud Diss. laud. cap. XI. p. 62. sqq.

y) vid. tamen Pollux Onomast. lib. VII. cap. 2.

z) Tacitus Ann. III. 36.

ipse etiam Ant. Suarez de Mendoza[a]), instituerunt e loco
8 Plutarchi, quo eadem res his verbis commemoratur[b]): *Ἐστι και δουλοις νομος ἐλευθεριαν ἀπογνουσι, πρασιν αἰτεισθαι, και δεσποτην μεταβαλλειν ἐπιεικεστερον.* Licet enim constet, Plutarchum ante Pii aetatem, Traiano Imperatore, vixisse, licet eum morum atque legum Romanarum non prorsus imperitum fuisse sciamus, eundem tamen, cum, nulla addita definitione, de eo, quod liceat et in moribus positum sit, universe loquitur, patriam suam Graeciam innuere manifestum est; unde in iis quoque, quae laudavi, verbis non de more apud Romanos iamiam recepto, sed tum temporis in sola Graecia valido, sermonem esse sequitur. Neque audeat aliquis, ut morem hunc ante Pium introductum probet, Ulpiano[c]) denunciare testimonium, qui a Labeone et Coelio, igitur Augusti aetate, quaesitum esse refert: *num fugitivus sit, qui in asylum confugiat, aut eo veniat, quo, qui venales se postulent, soleant venire.* Quae enim Ulpianus addit, (*ego puto* etc.) satis ostendunt, discedere eum a Labeonis et Coelii sententia, fugitivos esse, qui morem illum graecum, nondum Romae receptum, sequerentur, pronunciantium. Ulpianus scilicet, cui Antonini sanctio nota esset, negavit eos esse fugitivos, *quia facerent, quod publice licere arbitrarentur*, unde collegit, ne eos quidem fugitivos habendos esse, quorum, venales se postulantium, rationes
79 a magistratu non probarentur, quia arbitrati fuerint, sibi id legibus licere causamque suam esse idoneam. Opitulatur nobis etiam Theophilus, qui, postquam servos Marciani auxilium implorasse dixit, addidit: *Ὁ δε ἐρωτησας, ἐγνω την τυχην, ἐμαθε και την αἰτιαν της τοιαυτης προσελευσεως· οὐκ ἐχων δε νομον την τοιαυτην ὑποθεσιν τεμνοντα, ἐπυθετο βασιλεα, τι δεοι πραξαι, παντα τα γεγονοτα διηγησαμενος.* Quodsi enim Augusto imperante aut Plutarcho scribente graecus mos a Romanis iam fuisset receptus,

---

a) Suarez de Mendoza loco antea cit.

b) Plutarchus *περι δεισιδαιμονιας* cap. 4. T. I. Part. II. p. 158. ed. Moral. Wyttenb. Lips.

c) L. 17. §. 2. D. de aedil. ed.

profecto Marcianus nullo modo, quid sibi faciendum esset, potuisset ambigere.

Ad rem ipsam quod attinet, vendi iussit Antoninus servos ita, ut pretium dominis daretur, ipsi servi autem ad dominos nunquam redirent; et vendi quidem *bonis conditionibus*, quae verba rursus optime exposuit Theophilus, doctum interpretem nactus Guil. Fornerium [d]): *Δια τουτο δε ειπε, καλη αἱρεσει, ἱνα μη ὁ δεσποτης, ἀγανακτων ἐσθ' ὁτε κατα του οἰκετου, αἱρεσεις ἐν τη πρασει βαρειας ἐγγραψῃ, συμφωνησας τυχον, ὡστε αὐτον εἰναι ἐν δεσμοις, ἡ ἐπι τῳ μηδεποτε ἐλευθερωθηναι, ἡ ἐπι τῳ οἰκειν αὐτον ἐν χωρᾳ βαρυτατους ἀερας ἐχουσῃ τοις ἠθεσι, και γενηται παρρησια τῳ δεσποτῃ πιπρασκοντι, δια των παντων τιμωρεισθαι, και μετα την πρασιν, τον οἰκετην.* Ab eodem Theophilo recte et illud animadversum est, Divum Pium 80 hac nova, quam pluribus rescriptis introduxit, ratione et servis et dominis rei publicae egregie prospexisse, quod et ipsum eius potius, quam meis, verbis docebo. Dicit enim: *Ὀρθως δε κἀκεινο ὁ βασιλευς προςτεθεικε, και το πραθηναι τον οἰκετην, και το τιμημα δοθηναι τῳ δεσποτῃ, ἱνα ὁ μεν οἰκετης δια της πρασεως πικρον διαφυγῃ δεσποτην, ὁ δε δεσποτης μη ζημιωθῃ τον οἰκετην δια της του τιμηματος ληψεως, και μη ἀγανακτειτω ὁ δεσποτης, μη συγχωρουμενος των ἰδιων ἀρχειν οἰκετων· ὁ γαρ βασιλευς και ἀκοντας τους ὑπηκοους εὐεργετει. Εἰκος γαρ ἠν, τους οἰκετας ἀπορουντας κατα φυγης ἑαυτους ἀνελειν, ἡ και φυγῃ χρησαμενους τον δεσποτην ζημιωσαι την οἰκειαν τιμην· ὡστε οὐν ἀμφοτερων ἐποιησατο προνοιαν, και των δεσποτων, και των οἰκετων· λυσιτελες γαρ ἐστι πραγμα τῃ πολιτειᾳ, το μηδενα κακως τῃ οἰκειᾳ κεχρησθαι περιουσιᾳ.* Quibus verbis, sapientiam instituti bene declarantibus, ut addam aliquid, non opus est [e]).

Sed illud nobis in fine fatendum restat, vel sapien-

---

d) FORNERIUS Lib. III. Select. c. 9. in Ev. OTTON. Thes. iur. T. II. p. 93.

e) Ceterum in hominibus propriis nostrae aetatis, quoniam in provinciis germanicis homines vendere non licet, nullum huius instituti usum esse, sed potius dominum potestate dominica ob abusum eius privari debere, monuit Io. AD. THEOPH. KINDIUS Quaestion. Forens. Vol. IV. cap. 46. p. 325. [ed. II. Vol. II. cap. 77. p. 389.]

tissimas leges non prorsus potuisse inveterato saevitiae malo obvenire. Quamvis enim non omnino concedam Noordkerkio, colligi hoc posse e Paullo[f]), ipsum Pii institutum respiciente, ubi maritum in servos dotales non
1 minus quam in suos saevientem uxori teneri respondet, ne scilicet, adito Praeside, vendere servum cogatur, (hic enim de uno tantum exemplo loquitur ICtus, quum quavis aetate a singulis in eo genere peccatum esse sciamus,) latius tamen malum serpsisse, Constantini lex ostendit[g]), qua ipsum illud, quod SCto de non occidendis servis sub Antonino effectum diximus, renovavit. Caeterum quod post Constantini tempora domini esse coeperunt mansuetiores, id tribuendum est Christianae religioni, quae, praeter innumera alia beneficia, hoc etiam commodi civitatibus praestitit, ut hominum aequalitate diligenter commendata, iniquiorem eorum, qui duro et intolerabili iugo essent oppressi, conditionem, quantum fieri posset, levaret et tolerabiliorem redderet[h]).

CAPUT II.

DE SERVIS FUGITIVIS.

Marcianus lib. singulari de delatoribus.

2 *Servi, qui in fuga sunt, in commissum non cadunt, cum sine voluntate domini fines egressi sunt; et ita Principalibus constitutionibus cavetur, sicut Divus quoque Pius saepissime rescripsit: ne (inquit) in potestate servorum sit, invitis vel ignorantibus dominis fugae se tradendo, potestati dominorum se subtrahere.* L. 16. §. 4. D. de publicanis.

Constat eas merces, quarum professio in fraudem

f) L. 24. §. 3. D. sol. matrim.

g) L. un. C. de emendatione servorum.

h) vid. Corn. Guil. de Rhoer Diss. IV. de aequalitate naturali inter homines civesque, per Christianam religionem in Romanam iurisprudentiam derivata; in Eius Dissertt. de effectu religionis Christianae in Romanam iurisprudentiam, p. 99. sqq.

publicanorum esset omissa, in commissum cecidisse, ita ut fisco cederent[a]). Quam poenam etiam ad eos pertinuisse, qui servos invectos (pro quibus et ipsis, tanquam rebus, vectigalia solvenda erant,) professi non essent, docet Marcianus in iis, quae nostrum locum praecedunt, verbis. Sed quaerebatur de eo, qui nesciente
domino in alienam provinciam aufugerat, num et hic, 83
quia debitum tributum dominus pro eo non pependerit, in commissum incidens, fisco esset vindicandus? Principales constitutiones recte id negarunt, ac D. Pius, quotiescunque tales ad ipsum causae deferrentur, servum in commissum non incidisse, sed domino redire indicavit, sapienter omnino, nam servorum fuga dominis ex nulla causa fieri debet damnosa, ut aiunt Impp. Diocletianus et Maximianus [aa]). Ipse Antoninus adferre solebat hanc causam (id enim verbo *inquit* addito indicatur,) quod, si fisco hi servi cessissent, plane in arbitrio eorum positum fuisset, ut, quandocunque ipsis placeret, in alienam provinciam fugientes potestati dominorum se subtraherent et fisci servi evaderent, dominosque adeo patrimonio suo privarent. Novi quid nostrum his rescriptis sanxisse non puto, sed repetiisse unius ex antecessoribus institutum. Caeterum pro *egressi*, quod in cod. Florentino omnibusque editionibus legitur, Cuiacius legere maluit *ingressi*[b]), vectigal non pro evectione, sed pro invectione datum esse ratus. Eadem lectio notata est ad marginem editionis a Baudoza curatae. Sed recte Cornel. van Bynkershoek non pro evectione minus, quam pro invectione, vectigal solutum esse docuit[c]), quod vel ex uno Cicero-
nis loco adparet, quo ait[d]): *Canuleius vero, qui in portu* 84
Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat, ea quae sine portorio Syracusis erant exportata. Omnino autem, cum de fu-

---

a) L. 16. §. 3. et 12. D. de public. L. 2. C. de vectigal. Cf. P. Burmanni Diss. de vectigalibus populi Rom. c. 5. p. 58.

aa) L. 1. C. de fugitivis.

b) Cuiacius Obs. lib. XIV. c. 3.

c) Bynkershoek Observatt. lib. II. cap. 25.

d) Cicero Or. in Verr. lib. II. cap. 70.

gientibus servis sermo sit, verbaque *egredi* et *ingredi* relationem contineant, ut, qui egreditur fines hos, ingrediatur alios, et vice versa, vel ideo praeferendam esse vulgatam lectionem probe monuit Io. Gu. Marckart [e]), quam secutus etiam est, qui brevibus verbis locum exposuit, Anton. Suarez de Mendoza [f]).

Ulpianus lib. VII. de officio Procons.

Divus Pius rescripsit: eum, qui fugitivum vult requirere in praediis alienis, posse adire praesidem, literas ei daturum, et, si res ita exegerit, adparitorem quoque, ut ei permittatur ingredi et inquirere, et poenam eundem praesidem in eum constituere, qui inquirere non permiserit. L. 3. D. de fugitivis.

Quam crebrae variis temporibus quamque perniciosae fugae servorum apud Romanos fuerint, id nostrum nunc non est probare et exemplis ostendere. Satis habeo unum Dionis Cassii locum adferre, quo ao. U. c. 714. tantam narrat servorum fugam fuisse, ut virgines Vestales Deorum auxilium ad minuendum hoc malum precibus suis implorare iuberentur [g]). Iam vero licet diligens, quam domini molirentur, horum hominum persecutio non modo non impediebatur, verum etiam eo, quod quaevis vetita erat eorum receptatio, magnopere adiuvabatur, latitantem tamen servum in alienis praediis inquirere ipsi domino non licebat, qui potius possessori interrogato et non adesse servum respondenti, licet crebro servus, vel scientibus vel inscientibus praedii possessoribus, vere ibi latitaret, plenam fidem habere debebat; unde subinde dominis idem adcidit, quod de Achaeis Livius tradit, qui cum Macedonibus finibus suis interdixissent, ipsorumque servitia callide satis in Macedoniam creberrime fugissent, terminos regni ad requirendum intrare non audentes, nec repetierunt servos, nec prius receperunt, quam sponte

---

e) MARCKART Probab. rec. lectt. iur. civ. p. 82-83.

f) SUAREZ DE MENDOZA Comm. ad leg. Aquil. lib. I. c. 4. T. II. p. 75. Thes. Meerm.

g) DIO CASSIUS lib. XLVIII. cap. 19. T. I. pag. 540. ed. Reimar.

rex Perseus ipse eos reddidisset[h]). Itaque Antoninus Pius, ut huic malo mederetur, causa dominorum a mancipiis circumventorum publica facta, Praesidem provinciae ab illis aditum iussit literas dare ad praediorum, in quae servi confugisse viderentur, possessores, hisque, ut liberam per praedia sua fugitivorum et inquisitionem et persecutionem dominis permitterent, imperare. Augendae auctoritatis et sublevandae inquisitionis gratia Praeses etiam adparitorem addere poterat. Quodsi nihilominus non permiserint possessores inquisitionem, poenam in eos statuit Imperator, quae qualis fuerit, frustra nunc divinare studemus. Successor Pii, Marcus, quae pater ince- 86
perat, sapienter persecutus est. Nam ut ex iis, quae apud Ulpianum sequuntur, intelligimus, cum quidam dignitatis suae causa eximi praedia sua ab inquisitione cuperent, Marcus sua etiam et paganorum vel Senatorum praedia inquirendi servi causa adire permisit, unde Paullus fugitivos in fundis quoque fiscalibus quaeri et comprehendi posse docet[i]). Aetati Marci tribuo SCtum, quod paullo ante Ulpianus laudat[k]), haud dubie non diversum ab oratione eius in Senatu recitata, quae nostro loco commemoratur. Et hoc SCto, et vero etiam generali, cuius idem Ulpianus meminit[l]), Marci et Commodi epistola Praesides, magistratus et milites stationarii, illi auctoritate, hi etiam factis, dominos in investigandis fugitivorum sedibus adiuvare iussi sunt, si aut possessores praediorum ad depellendam inquisitionem vim adhiberent, aut fugitivi ipsi, huc illuc fugiendo, dominorum operam eluderent. Poena etiam in eos, apud quos scientes fugitivi delitescerent, adaucta est. Denique alio SCto, quod, sub Alexandro Severo, Vettio Modesto et Sergio Calpurnio Pisone Coss., h. e. ao. Chr. 228. factum, ibidem commemorari legimus, rescriptum Antonini Pii fere repetitum est, addita poena centum solidorum, in magistratum non minus, qui literis Praesidis acceptis quaeren-

h) Livius lib. XLI. cap. 23.
i) Paullus S. R. I. 6. §. 5.
k) L. 1. §. 1. et 2. D. h. t.
l) L. 1. §. 2. h. t.

87 tem dominum non adiuverit, quam in eum, qui in suo praedio quaeri prohibuerit, statuta. Unde coniicias, eandem poenam forte a Pio rescripto primum introductam, SCto non nisi firmatam esse. Ceterum, ut requirendi fugitivos potestas fieret dominis, Praesidalis officii esse, etiam Imperatores Diocletianus et Maximianus denuo rescripserunt [m]).

Tryphoninus lib. I. Disputationum.

Si in arenam fugitivus servus se dederit, ne illo quidem periculo discriminis vitae tantum sibi irrogato potestatem domini evitare poterit. Nam D. Pius rescripsit: omnimodo eos dominis suis reddere, sive ante pugnam ad bestias, sive post pugnam, quoniam interdum, aut pecunia interversa, aut commisso aliquo maiore maleficio, ad fugiendam inquisitionem vel iustitiam animadversionis, in arenam se dare mallent. L. 5. D. de fugit.

Quod ad verba adtinet, parum latine scripsit ab initio Tryphoninus: *periculo discriminis*, cum haec verba, fere aequipollentia, ita iungi non soleant. Attamen *supplicium poenae* et *vindicta extraordinariae ultionis* legitur etiam apud Paullum [n]). Obscuriora sunt illa: *tantum sibi irrogato*, quae hoc sibi volunt, periculum quod sibi servus pugna cum bestiis sponte ineunda ipse crearit, non posse domino ita nocere, ut conservatus ei non reddatur.
88 Haloander simpliciter legit: *quod sibi irrogavit*, quae lectio est etiam in editione Hugonis a Porta a. 1551. et in margine Russardinae. In editione Baudozae legitur: *quod tantum sibi irrogat*, et in Fradiniana a. 1536.: *quod tantum sibi irrogavit*. Ultimam lectionem probavit etiam Ant. Faber [o]). Debeo haec H. G. van Vryhoff, qui quaedam ad h. l. disputavit [p]), ipse vero Fradinianam lectionem ita explicuit, ut *tantum* adiective acciperet, et suppleret: periculum; inepte quidem, ut nemo non videt.

---

m) L. 2. C. de servis fugit.

n) PAULLI Rec. Sent. V. 4. §. 7. et §. 21.

o) FABRI Rationalia ad Pandd. ad h. l.

p) VAN VRYHOFF Observationes iuris civilis (Amstel. 1747. 8.) cap. 8. p. 28. sqq.

Mihi Florentina, utpote difficilior, h. l. constanter defendenda videtur, cum praesertim reliquae omnes glossam sapiant. Defendit eandem, sed non intellexit, van Vryhoff, qui vocabulum *tantum* cum praecedenti *vitae* falso coniungens, prius illud pro tantummodo accipi non posse dicit, quoniam nimirum, qui vitae periculum subeat, nullum maius subire possit. Ipse vero vir doctus nescio quid sibi voluerit, cum diceret, se olim coniecisse: *tanto* vel *tandem*, nunc vero *tantum* explicare per *in tantum*. Quod quem sensum efficiat, non video. Tollitur omnis loci difficultas, si vocem *tantum*, nota commatis a praecedentibus separatam, ad verbum *sibi* retuleris, uti interpretati etiam sunt locum P. Faber[q]) et Ant. Suarez de Mendoza[r]). Pro *omnimodo* Haloander edidit *omnino*. Sed orationi disiunctivae Florentina lectio melius convenit. 89
Idem vir doctus pro *reddere* scripsit: *reddendos*, in quo secutae ipsum sunt editiones aliae non paucae. Fateor, me etiam offendi duritie structurae: *rescripsit reddere*, cui etsi subveniri potest, si verbum *rescripsit* per *iussit* explices, desunt tamen, nisi fallor, similia, quibus verbum finitum illi voci iungi posse ostendatur, exempla. Dicit quidem laudatus van Vryhoff, qui Florentinam defendit, non modo ICtos, sed et alios probatissimos scriptores solere interdum has regulas spernere, et laudat alium virum doctum, qui hac de re exposuerit[s]). Sed vereor, ut quidquam probatum sit. Quid si emendatione faciliori, quam Haloandrina, *redire* legas? cui verbo ab optimis scriptoribus casum tertium non raro adiungi constat. Et oratio ita bene fluit: rescripsit, eos dominis suis, h. e. ad dominos suos, in dominorum potestatem, redire. Nihil adferunt, nec tamen repugnant Graeci, qui habent[t]): *οἱ φυγάδες εἰς κυνήγιον κατιόντες, ἀποδίδονται* (redeunt) *τοῖς δεσπόταις, εἴτε θηριομαχήσαντες, εἴτε μή*. Verbum *pugnam* repetitum, quod nonnulli codd. omit-

q) FABRI Semestria lib. II. cap. 11. p. 135.

r) SUAREZ DE MENDOZA loc. cit.

s) Scil. IAC. PERIZONIUM ad Sanctii Minervam lib. IV. cap. 6. n. 5. T. II. p. 241. sq. ed. noviss.

t) BASILICA T. VII. p. 221. add. Schol. p. 226.

tunt, quoniam Florentini auctoritas tuetur, retinendum putavi.

Quod ad argumentum adtinet, non prolixa, nisi fallor, opus est interpretatione. Servi, qui metu poenae,
90 propter crimen aliquod commissum, aufugerant, nullam aliam vinculorum evitandorum rationem sibi superesse intelligentes, simulque graviorem poenam, si forte in dominorum potestatem redierint, metuentes, lanistae se vendiderant, ut in arena cum bestiis pugnarent, incertumque huius pugnae eventum certae, si ad dominos redierint, morti praetulerant, adducti spe, fore, ut, cum ante pugnam lanistis, qui emissent, auferri a dominis non possent, superata forte eadem, sufficientes ancipiti mortis periculo poenas dedisse censerentur, atque ita non modo delictorum ipsiusque fugae veniam impetrarent, sed etiam ad priores dominos, e quorum potestate, subeunda certae fere mortis alea, egressi esse fingerentur, redire non coacti, libertate adeo donarentur. Sed Antoninus sapienter rescripsit, quandocunque fugitivi apud lanistas a dominis vel magistratibus deprehenderentur, sive ante pugnam, sive post illam, reddendos esse domino; cum enim mortis periculo sese ipsi, nulla coacti necessitate nec volente domino, exposuissent, dominum autem graviter forte, vel pecunia interversa, vel alio modo, laesissent, nec pugnam illam eiusve metum pro iusta animadversione haberi posse, nec vero dominum, quominus iuste vel ipse puniret, vel puniendum magistratui traderet servum, impediendum esse. Quippe verendum erat, ne domini patrimonium, fraudibus forte servi iam imminutum, si ante pugnam deprehensus tamen huic esset tradendus, maiorem etiam, invito domino, deminutionem experiretur. Et li-
91 cet servi, quos dominus ipse pugnae tradiderat, superata ea liberi pronunciabantur, quoniam eorum dominium heri, dum morti eos destinarent, fere dereliquisse videbantur, eos tamen, qui invito domino huic periculo sese exposuerant idque exantlaverant, necessario ad dominum, quasi postliminii iure, redire, sponte adparet. Omnino autem cum servus in libertatem sese contra domini vo-

luntatem vindicare neo facto ullo, nec pacto potuerit, patet, etiam hac in arenam datione iura dominii, quae et post fugam sacra certaque esse debebant, nullo modo extingui potuisse.

II.

DIVUS PIUS

SIVE AD LEGES

IMP. TITI AELII ANTONINI PII A. COMMENTARIUS.

LIBELLUS II.

IN CATHEDRA PHILOSOPHORUM

A. D. XXI. SEPT. MDCCCV. DEFENSUS.

CAPUT III.

DE QUAESTIONIBUS SERVORUM.

Servorum tormentis Romani a primis inde liberae rei publicae temporibus in ordine iudiciorum criminalium ad eruendam veritatem praecipue usi sunt. Liberi homines in tormentis non nisi de suis factis, servi etiam de factis aliorum, exceptis dominis, quaerebantur. Nam in caput dominorum, h. e. contra dominos, in eorum perniciem, servos interrogare non licebat; quod dominorum ius moribus et institutis maiorum Cicero [a]), veteri SCto Tacitus [b]) deberi adserunt. Sed nos haec, ut aliena ab huius libelli proposito, iam non moramur, ad propiora nobis tempora festinantes. Oppressa rei publicae libertate Tiberius, in causas praesertim maiestatis summa severitate inquirens, servos, ut contra pristinum morem in caput dominorum

1 (margin, beside line 1)
2 (margin, beside "festinantes" line)

---

a) Cicero Orat. pro Milone Orator. c. 35. c. 22. pro Rege Deiot. c. 1. Partit. b) Tacitus Annal. II. 30.

torquere, aut sponte deferentes audire posset, publico actori mancipari, h. e. vendi iussit, atque ita eorum testimoniis actorisque subornati reliquis probationibus usus facile reos convicit. Potior enim apud me est Taciti auctoritas [c]), qui hoc Tiberio *callido et novi iuris repertori* tribuit, quam Dionis Cassii, qui ab Augusto constitutum scribit [d]), alioque loco Tiberium etiam servos in caput dominorum torsisse narrat [e]). Partim enim omne hoc institutum repugnat clementi atque moderato Augusti ingenio, partim hunc ipsum Principem quaestionibus de servis habendis minime favisse scimus, quippe quas nec initio disceptationis, nec in quavis causa aut persona instituendas esse rescripsit [f]). Res igitur ipsa vindicanda Tiberio, eius autem severitatem impense auxit saevitia Gaii, servis, prouti placeret, dominos adcusare permittentis, referente Suida [g]) his verbis: *και δουλοκρατειαν νομοθετησας, ἐπετρεψε κατηγορειν των δεσποτων, εἰ τι ἀν εἰδειεν αὐτοις πλημμελημα. Κἀντευθεν*
3 *δεινη συμφορα κατειληφει την οἰκουμενην πασαν, των οἰκετων μεγαλαις τιμωριαις ὑποβαλλοντων τους δεσποτας· ἑκαστος γαρ ἀμυνεσθαι ἐβουλετο τον δεσποτην ὑπερ ὡν παρ᾽ αὐτου βασανων προεπασχεν.* Neque tamen servi insolenti hac omnemque civitatis ordinem turbante concessione diu gavisi sunt. Claudius enim Imperator, licet nondum firmato imperio servos etiam et libertos dominorum insidias deferentes audiebat [h]), postea tamen, cum libertus aliquando patronum adcusaret, valde indignatus ipsum cum sociis punivit, edixitque, ne quis servo contra priorem dominum subveniret [i]). Nero etiam, teste Tacito, Carinatem Celerem Senatorem, servo adcusante, inter reos recipi noluit [k]). Sublatum sic erat, quidquid Tiberius et Gaius male instituerant, nec ullo, ut videtur, tempore rediit,

---

c) Tacitus Annal. l. cit. et III. 67. Idem adcidisse videtur in causa Aemiliae Lepidae, apud eundem. III. 22. 23.

d) Dio Cassius lib. LV. c. 5. p. 775. T. II. ed. Reimar.

e) Idem lib. LVII. c. 19. pag. 866.

f) L. 1. pr. et L. 8. D. de quaestion.

g) Suidas in v. *Γαϊος*.

h) Dio Cassius lib. LX. c. 15. p. 953.

i) Idem lib. LX. c. 28. p. 965. coll. Suetonii v. Claud. c. 25.

k) Tacitus Annal. lib. XIII. c. 10.

certe Ulpianus adserit, Imperatorem suum cum D. Patre (h. e. Severum et Caracallam) de servo, cuius pretium apud magistratum depositum esset, (quo nimirum, si vere contra dominum quaedam diceret, emtus statim ideoque alienus servus, de alius domini facto interrogatus videretur,) quaestionem haberi non permisisse[1]).

Sed erant tamen universae illius regulae: servos neque adcusare dominos suos, neque in caput eorum torqueri posse, variae exceptiones, certe proponebantur
saepe species, quibus, vulgari ratione neglecta, servi 4
videri poterant contra ipsos dominos audiendi. Hinc fit, ut in libris iuris civilis multa de servorum in caput dominorum quaestionibus Principum rescripta reperiantur; in quibus cum et Antonini nostri quaedam legamus, ea iam, relictis caeteris, illustrabimus. Quodsi quis miretur, quidni potius iuri criminali, ad quod propius spectare videantur, has leges reservandas esse duxerim, ei repono: quaecunque ad definiendas rationes dominum ac servum intercedentes pertineant, qualia hic, ubi de casibus quaeritur, quibus servi contra dominum testimonium pronunciare vel possint vel nequeant, occurrunt, ea videri mihi ad ius civile magis, quam ad criminale referenda esse, quoniam eorum decisio non e iure criminali, sed ex iure civili eiusque analogia peti debet.

Ulpianus lib. VIII. de officio Proconsulis.

Si servus ad hoc erit manumissus, ne torqueatur, dummodo in caput domini non torqueatur, posse eum torqueri, Divus Pius rescripsit. L. 1. §. 13. D. de quaestionibus.

Depromtum est hoc fragmentum Ulpiani ex eodem libro, cuius particulam priori libello illustravimus, et quo ICtus maxime ea, quae Proconsuli vel Praesidi ratione servorum incumbunt, officia complexus esse videtur, unde ipsum hoc rescriptum ad eiusmodi magistratum ab An-
tonino Pio datum esse censeo. Species haec est. Adcu- 5

1) L. 1. §. 18. D. de quaestion.

satus iudicio criminali, dum quaestio habebatur, causam suam perditum iri videbat dictis servi alieni; cuius testimonium ut evitaret, adiit dominum, eumque pretio oblato rogavit, vellet servum manumittere, scilicet gnarus, liberos homines de factis alienis vel nunquam, vel certe rarissime interrogari [m]). Dominus servi, lucri cupidus, paratus erat ad vendendum. Sed adcusator, qui servi testimonio innixus causam detulerat, re comperta Principem adiit, a quo manumissio dolosa et rei publicae perniciosa (quippe qua crimina manerent impunita,) nulla iudicata, servusque, modo in caput domini, qui manumittere voluerit, non torqueretur, torqueri iussus est. Hanc speciem unice veram adgnoscit etiam Scholiastes Basilicorum, qui verbis Graecis locum reddentibus [n]): *Εἰ και ἐπι τῳ μη βασανισθηναι τις ἐλευθερωθῃ, βασανιζεται, οὐ μεντοι κατα του δεσποτου*, addidit: *Τυχον ἠξιωθη παρα του κατηγορουμενου ὁ δεσποτης του δουλου, και λαβων νουμμους ἠλευθερωσεν αὐτον, ἱνα, ὡς ἐλευθερος, μη βασανισθῃ και ἐξειπῃ.* Sed aliter alius Scholiastes statuisse videtur, qui ad verbum *βασανιζεται* notavit: *Ἐπι αἰτιᾳ, ἐφ᾽ ᾗ οἱ δουλοι κατα δεσποτων τιμωρουνται*, et ad verba: *οὐ μεντοι* etc. haec: *Τυχον ἐπι τοιαυτην αἰτιαν κατηγορειται, ἐφ᾽ ᾗ κατα δεσποτου οἱ δουλοι οὐκ ἐταζονται, ὡς ἐπι κλοπης, ἐπι ἀνδραποδισμου, και των ὁμοιων.* Sententiam igitur hic Scholiastes constituit hanc: Servus ad id manumissus, ne torqueatur in causa, qua servi adversus dominos torqueri solent, torquetur, exceptis causis, quibus adversus dominos servi torqueri non solent. Satis haec per se ridicula sunt; sed tamen seducere aliquem possent, ut de servi, cuius dominus ipse reus esset, manumissione ab ipso reo facta sermonem esse censeret. Quod fieri non posse, cuilibet diligentius rem perpendenti adparet, quippe verba *dummodo...torqueretur* huic explicationi plane repugnant. Praeterea servi proprii manumissio hunc a quaestione minime liberasset; nam quibus causis servi de dominis, iisdem

---

m) L. 12. et L. 15. pr. D. de quaestion.

n) BASILICA T. VII. p. 798. et Scholia ibid. p. 811.

et libertos de patronis quaeri potuisse, plura iuris loca ostendunt[o]). Veram explicationem secutus est etiam Cuiacius[p]), qui tamen, quae addidit: *idemque est, si, ne in suum vel domini caput ex causis exceptis torqueatur, manumissus sit*, cum alteri explicationi faverent et ex causis adlatis loco ipsi repugnarent, omittere debebat.

Marcianus lib. XI. de iudiciis publicis.

*Divus Pius rescripsit: posse de servis haberi quae-
stionem in pecuniaria causa, si aliter veritas inveniri
non possit, quod et aliis rescriptis cavetur; sed hoc ita* 7
*est, ut non facile in re pecuniaria quaestio habeatur,
sed si aliter veritas inveniri non possit, nisi per tormenta,
licet haberi quaestionem, ut et Divus Severus rescripsit.
Licet itaque et de servis alienis haberi quaestionem, si
ita res suadeat.* L. 9. pr. D. de quaestionibus.

Ante omnia quae sit pecuniaria causa, videndum est.
Iam cum vocabulum *pecunia*, interpretibus Ulpiano[q]) et Her-
mogeniano[r]), non modo quae numerari possunt bona, sed
etiam corporalia et incorporalia, mobilia et immobilia omnia,
civi cuidam propria, complectatur[s]), cum pecuniariae causae
soleant haud raro opponi criminalibus[t]), cum denique optimi
huius vocis interpretes, Imperatores Diocletianus et Ma-
ximianus, ubi Pii rescriptum repetierunt[u]), pecuniariam
causam explicent verbis his: *veluti quando per servos
depositi vel commodati nomine, vel aliis causis legibus
cognitis, res aliis praestitae sunt*, dubium mihi quidem
non videtur, *pecuniarias causas* easdem esse, quas civi- 8
les vocamus, in quibus de mutuis civium iuribus et obli-

---

o) v. c. L. 7. §. 2. D. ad leg. Iul. mai.

p) Cuiacius ad Paulli Sent. Rec. lib. V. tit. 16. §. 9. quo loco Paullus idem, quod h. l. Ulpianus, praecipit.

q) L. 178. pr. D. de V. S.

r) L. 222. D. eod.

s) De varia huius vocis significatione vid. Heineccii Synt. Ant. lib. I. tit. 13. §. 2. [ed. Haubold. p. 164.] Eckhardt Hermen. iur. lib. I. c. 5. §. 20. pag. 424. sqq. ed. recentiss. quosque ibi C. F. Walch laudavit.

t) v. c. ap. Paullum Rec. Sent. lib. V. tit. 16. §. ult. coll. L. ult. D. de fer. et dilat. — L. 22. D. ad SCt. Silan., L. 1. §. ult. D. de quaestion., L. 3. C. de requir. reis, L. 6. C. de quaestion.

u) L. 14. C. de quaestion.

gationibus quaeritur, quod et Graeci interpretes senserunt, qui haec habent[v]): *Και ἐπι χρηματικων αἰτιων ἐν ἀπορια ἀποδειξεων βασανιζονται οἱ δουλοι, και ἀλλοτριοι ὀντες.* Addit Scholiastes: *και ἐρωτωνται και ἐπι φυγαδος, και ἐπι κληρονομιων.* Rescripserunt igitur Antoninus Pius ac secuti eum Imperatores, primum quidem, ut ipse Marcianus memorat, Severus, tum, ut e loco modo laudato discimus, Diocletianus et Maximianus, in civilibus etiam causis, si veritas aliter inveniri nequeat, servos testimonium dicere posse. Convenit cum his Modestinus[x]), qui servi responso tunc credendum esse ait, cum alia probatio ad eruendam veritatem non suppetat, quod de criminalibus causis intelligi non potest. Sed et Pii et Severi rescripto aliam eiusdem Severi legem repugnare censeas, quae est in Codice[y]) atque ita desinit: *In pecuniariis vero causis nec inopia probationum servos contra dominum interrogari posse manifestum est.* Nonne hic contrarium plane eius, quod Marcianus adfert, Severum sanxisse legimus? Minime vero! Enarrat Severus in Codice varios casus, quibus servi contra dominum torqueri possint, ita ut in quibusdam criminalibus causis plenam iis fidem contra ipsos dominos tribuendam, in reliquis cri-
9 minibus non nisi adcedentibus aliis probationibus iis credendum, in pecuniariis vero eos nunquam contra dominum audiendos esse pronunciet, in quo consentientem etiam habet Paullum[z]), ad cuius verba Ant. Schulting verum nostri loci sensum divinavit magis, quam explicuit. Loquitur igitur Severus de servis propriis in causa civili contra dominum non torquendis. Quod Marcianus laudat D. Pii et eiusdem Severi rescriptum, in eo quaeritur in universum, num quaestiones quorumcunque servorum in causis pecuniariis admittantur, idque Severus, Pium secutus, adfirmavit, si quidem argumenta quaedam adsint, sufficientes vero probationes deficiant[a]); supple ex Codice:

---

v) Basilica T. VII. p. 801. et Scholia ibid. p. 814.

x) L. 7. D. de testibus.

y) L. 1. C. de quaestion.

z) Paullus S. R. V. 16. §. 5.

a) Deficientibus enim omnibus aliis argumentis numquam quaestio institui poterat. Paullus Sent. Rec. V. 14. §. 1.

modo contra dominum non torqueantur. Hinc addidit Marcianus: *Licet itaque et de servis alienis habere quaestionem;* in quibus vocabulum *alienis* praecipuum est et cardinem efficit. Eodem modo haec verba iam conciliavit Elbertus Leoninus [b]), et miror tot tantosque interpretes, qui in eodem negotio desudarunt, falsum feriisse. Primus enim Greg. Haloander, ut, quae discrepare viderentur, conciliaret, in Codice edidit: *ex* (pro *nec*) *inopia probationum,* quod probavit ipse Cuiacius [c]) et contra Roberti obiectiones [d]) postea defendit [e]). Neque tamen Cuiacius removere potuit dubium, quod contra istam emendationem adversarius ex alio loco iniecit [f]), ubi ipse Severus: *Insolitum,* inquit, *est et grave exemplo, servos contra tutores et matrem dominorum audiri, nisi tutelae agatur.* Ex quo loco sequitur, multo minus contra ipsum dominum in civilibus causis, de quibus sermonem esse addita exceptio: *nisi tutelae agatur*, docet, servos posse torqueri. Refragantur porro, quod miror alios non animadvertisse, Haloandrinae emendationi ipsa, quae praecedunt, verba. Si enim quaestio de servis non nisi in quibusdam, quae excepta sunt, criminibus in caput dominorum haberi potest, in caeteris autem ea, quae servi, de facto suo interrogati, contra dominum deponunt, *iudicaturi quidem sententiam formare* [g]) (*den Richter in seinem Urtheil bestimmen*) *non debent*, sed tamen nec ita nocent iis, quae aliunde probata sunt, ut et horum, quia a servis propriis confirmata sint, nulla habeatur ratio [h]): profecto non in-

---

b) LEONINUS Emendatt. et Observatt. lib. VI. c. 19. p. 359.

c) CUIACIUS Observatt. II. 33.

d) ROBERTUS Rec. Lectt. II. 28.

e) CUIACIUS Obss. XX. 28.

f) L. 2. C. de quaestion.

g) Cf. L. 1. §. 16. D. de quaestion. *Iudicaturus* pro iudice est etiam L. 40. §. 7. D. de statulib.

h) Hunc enim esse sensum difficilium illorum et vexatorum L. 1. cit. verborum: *In caeteris autem, quamquam ea, quae servus contra dominum dixit, iudicaturi sententiam formare non debeant, tamen, si aliis quoque probationibus fides veritatis investigetur, praescriptionis invidia evanescit*, acute profecto ostendit Io. GU. MARCKART in Probabb. receptarum lectt. iur. civ. P. II. p. 49—54. Primo adspectu haec verba indicare videntur, in reliquis criminibus, praeter excepta, adcedentibus aliis probationibus, si de servis quaestio habita sit, praescriptionis (h. e. exceptionis), quod id non liceat, invidiam evanescere. Unde

1 telligitur, quomodo civiles causae excipi potuerint ita, ut servos contra dominos torqueri, quod in criminalibus causis, vel deficientibus omnibus aliis probationibus, non permittitur, in civilibus eodem casu liceret. Probavit tamen Haloandrinam lectionem etiam Christfridus Waechtler[i]), (at quantus vir!) dicens, facere eam ad locum conciliandum cum duobus Diocletiani et Maximiani[k]), uno Iustiniani[l]), atque iis Antonini Pii et Severi, quae explicamus, rescriptis. Sed quod ad priora adtinet loca, e Codice depromta, sermo ibi est de illis casibus, quibus servi de factis suis in causis civilibus interrogari possunt, de quaestione autem contra dominos nihil commemoratur; quod ad ultima, non adsentior viro docto, adserenti, debere
2 Severum in Codice cum eo, qui in Pandectis et nostro et alio loco[m]) rescripsisse dicatur, consentire, si hoc ita intelligit, eundem debere esse horum rescriptorum sensum. Satis habeo, si sibi non repugnent rescripta, quod de prioribus locis antea effeci; novus, quem e Digestis adtulit Waechtlerus, locus de criminalibus causis agit neque huc pertinet, unde, quomodo nobis opponi possit, non video. Vulgatae lectioni unice favent Basilica, quae locum ita reddunt[n]): *Ἐν δε ταις χρηματικαις δικαις, οὐδε ἐν ἀπορια ἀποδειξεων, χρη τους δουλους κατα των δεσποτων*

---

necessario flueret, in criminibus exceptis servos, etiam omnibus aliis argumentis deficientibus, ad quaestionem duci potuisse. Id vero legibus manifesto repugnat. Vid. praecipue L. 1. §. 1. D. de quaestion. Repugnarent etiam sibi ipsis Imperatores, qui ab initio dicunt, quaestionem haberi non posse. Hinc το *caeteris* in *eis* mutare volebat, culpatus librarios, qui posteriorem vocem pro sigla *ctr.* habuerint, Ger. Noodt Probabil. lib. III. c. 5., ita ut et haec verba adciperentur de criminibus exceptis. Contra eum disputarunt Christfr. Waechtler in Notis ad Noodtii Probabilia p. 311. Opuscc. a Christ. Henr. Trotz editorum, et Marckartus l. cit. Prior tamen ipse verum non vidit, dum de servis dominos suos deferentibus et adcusantibus sermonem esse dixit, quod omni loco repugnat. Marckartianae expositioni, per se satis probabili, favet versio Basilicorum T. VII. p. 805.: *Ἐαν δε προς οἷς ὁ δουλος κατεθετο κατα του δεσποτου, εἰσι και ἑτεραι ἀποδειξεις, οὐ δυναμεθαται ἀλλας ἀποδειξεις διαβαλλειν, ἐξ ὧν ὁ δουλος κατεθετο.*

i) Waechtlerus loc. cit. pag. 316. sqq.

k) L. 12. et L. 15. C. de quaestion.

l) L. 18. C. eod.

m) L. 1. §. 16. D. eod.

n) Basilica loco modo cit.

ἐρωτᾶσθαι, quae cum verbis supra laudatis, quibus Pii
rescriptum Graeci reddiderunt, eodem modo, quo latina,
concilianda sunt, ut frustra de Graecorum quoque ficto
dissensu tollendo Waechtlerus cogitasse videatur. Neque
probandus est h. l. Ger. Noodt[o]), qui vocabulum *inopia*
idem ait esse quod *copia*, ut verba: *nec inopia probatio-
num* significent: ne in conflictu quidem probationum. Et-
enim legibus tales quasi εἰρωνείας obtrudere, durissimum
est, neque video, quid hac explicatione, quae omnia tur-
bat et legis nexum tollit, lucremur, cum praesertim longe
facilior in promtu sit. Nimium in ea refutanda versatus
est Io. Gu. Marckart[p]), quem, si plura cupis, consule.
Ipse tamen hic vir doctus non effugiet h. l. reprehensio-
nem nostram, qui, ut dubium removeat inde desumtum, 13
quod, vocula *nec* per *ne quidem* explicata, videatur in-
terdum de servis, etiam deficientibus omnibus argumen-
tis, quaestio habita esse, contorta sane explicatione uti-
tur, dum vocula ista pro *et non* accepta sensum hunc
constituit: in pecuniariis causis *et* inopia probationum
servos contra dominos interrogari *non* posse etc., atque
ita omnem difficultatem, omne dubium remotum esse pro-
nunciat. Num defendi possit hic vocis *nec* usus, nunc
non disquiro, forsan tamen ipsa exempla, quae Marckar-
tus adtulit, dubia sunt; hoc contendo, nobis eo non opus
esse, et miror ita sese torsisse viros doctos in vocabulo
inopia explicando, quod in promtu est non strictissime,
sed de iis casibus, ubi nonnulla quidem, sed non suffi-
cientia argumenta aderant, vel, ut ait Antoninus, *ubi ve-
ritas aliter inveniri non poterat*, esse intelligendum.

Iam ut, quae diximus, clariora reddantur, his ea propositionibus complecti lubet.

1) Ante tempora Antonini Pii de servis tantum in criminalibus causis, contra dominum autem non nisi in quibusdam criminibus expresse definitis, nominatim in

---

o) Noodtius Probabil. lib. III. cap. 6.

p) Marckartus l. cit. pag. 59. sqq.

crimine adulterii, fraudati census et maiestatis, quaestiones habebantur.

2) Antoninus Pius primus servorum tormenta in causis etiam civilibus admisit, si veritas aliter inveniri non possit.

3) Severus, eandem rationem secutus, Antonini rescriptum repetiit.

14 4) Idem tamen, contra dominum servos in causa civili nunquam, ne in summa quidem probationum inopia, audiendos esse constituit, quippe in qua singulorum magis, quam rei publicae interesset veritatem inveniri, ut ideo summa domini in servum iura non laedenda esse viderentur.

Quodsi quis in isto Antonini rescripto duritiem quandam et saevitiam animadvertere sibi videatur, qua tormenta servorum, summae crudelitatis et nefariae cupiditatis spectacula, non modo non abrogata, verum etiam aucta et in frequentiorem usum adducta sint, is meminerit, partim illis temporibus aliquid condonandum esse, quibus, etsi servos homines esse intelligeretur, iidem tamen maximo intervallo a reliquis separati et distincti censebantur; partim etiam causam deprehendi non posse, cur in tanto, quo ius Romanum pollet, analogiae studio quaestiones servorum criminalibus causis essent propriae, in civilibus veritas potius incognita maneret, quam ut illae adhiberentur. Et cum tormenta non nisi servis adfirmantibus vel negantibus, quae vel falsa, vel vera esse aliunde constaret, adhiberentur, reliqui aeque ac liberi homines tantum interrogarentur, etiam hac ex parte illa saevitiae species evanescit.

Callistratus lib. V. de cognitionibus.

Eum, qui vindicanti servum cavit, domini loco habendum, et ideo in caput eius servos torqueri non posse, Divus Pius in haec verba rescripsit: Causam tuam aliis
15 *probationibus instituere debes. Nam de servis quaestio haberi non debet, cum possessor hereditatis, qui peti-*

tori satisdedit, interim domini loco habeatur. L. 15. §. 2. D. de quaestionibus.

Species haec est. Vindicaverat servum cum omni hereditate petitor; possessor, aliquid inde distrahere cupiens, pro omni quantitate hereditatis satisdederat, quod ex ipsius Antonini nostri rescripto[q]) licebat; unde, quamvis alias hereditarios servos, quoties incertum erat, ad quem bona pertinerent, torqueri in causa hereditaria licebat[r]), quia nec de hereditatis totius, nec de servorum ad hereditatem pertinentium dominio constabat, ideoque hi contra dominum torqueri non videbantur[s]), recte tamen Imperator per hereditarios servos, cum semel petitor satisdationem admiserit, nihil amplius ab eo probari posse rescripsit. Repugnabat scilicet possessor, qui caverat, petitori, rem suam his ipsis servis probare instituenti, cui cum Praeses provinciae adsentiretur nec admitteret servos, rem ille ad Imperatorem detulit ac hoc ipsum rescriptum accepit. Nam qui cavit de hereditate, distrahendi maxime causa, interim dominus est, nec prius esse desinit, quam alius civis meliora sibi in eam iura competere probaverit; unde futurum fuisset hoc casu, ut in ipsum dominum servi torquerentur, 16
sapienterque et hic Antoninum versatum esse adparet

Graeci interpretes non senserunt, eum, qui servum vindicet, et hereditatis petitorem esse eundem. Reddiderunt enim locum nostrum ita[t]): *Ὁ δουλος, περι οὗ ἐκδικουμενου δωσει τις ἱκανα, οὐ βασανιζεται κατ᾽ αὐτου· οὔτε μην ὁ κληρονομιαιος κατα του νομεως δεδωκοτος τα ἱκανα τῳ ἐκδικουντι την κληρονομιαν, τεως γαρ δεσποται εἰσιν.* Addit Scholiastes: *Ἐαν ἐκδικουντι παρ᾽ ἐμου οἰκετην παρασχω την γεγενημενην παρ᾽ αὐτου ἀσφαλειαν, ἐν τῳ τοπῳ του δεσποτου γινομαι, και δια τουτο οὐ δυναται κατα της ἐμης κεφαλης βασανιζεσθαι ὁ οἰκετης. Ὁ θειος Πιος ἀντεγραψεν οὕτως εἰπων· Ἀλλαις ἀποδειξεσιν ὀφειλεις κατασκευασαι την δικην σου· τους γαρ κληρονομιαιους δουλους οὐ χρη βασανιζεσθαι κατα του νεμομενου την*

q) L. 5. D. de hered. petit.

r) L. 2. D. de quaestion. L. 10. C. eod.

s) L. 18. §. 8. D. de quaestion.

t) Basilica T. VII. pag. 803. et Scholia p. 816.

κληρονομιαν, ἐπει τα ἱκανα διδωκοτες ὑπερ αὐτων ἐν τοπῳ δεσποτων παραλαμβανονται. Errasse hos interpretes nemo non videt, ex hac enim explicatione non intelligitur, unde, cum initio de sola servi vindicatione sermo sit, in ipsis rescripti verbis hereditatis petitio commemoretur.

Ulpianus lib. VIII. de officio Proconsulis.

Divus Antoninus et Divus Hadrianus Sennio Sabino rescripserunt: cum servi pariter cum domino aurum et argentum exportasse dicerentur, non esse de domino interrogandos; ne quidem si ultro aliquid dixerint, obesse hoc domino. L. 1. §. 5. D. de quaestionibus.

Per *Divi Antonini* nomen, in Ulpiani scriptis memoratum, nostrum, ut fere semper, ita maxime h. l., quo patri Hadriano adiungatur, intelligendum esse, alibi monuimus [u]). Ad Sennium Sabinum etiam aliud occurrit Hadriani rescriptum [v]), quis tamen fuerit, iuxta cum ignarissimis scio, nisi quod ex titulo libri, unde hoc fragmentum depromtum est, Proconsulem eum fuisse verosimile sit. Argumentum rescripti, quo patris vestigia Antoninus pressit, non est obscurum. Sermo est de crimine peculatus; huius enim, quicunque aurum vel argentum e metallis Principis abstulerint, reos factos esse scimus [x]). Poena eius erat deportatio vel in metalla damnatio [y]). Cum igitur hoc crimen, uti illud fraudati census, ad excepta, h. e. ad ea, in quibus servi contra ipsos dominos audirentur, imo torquerentur, pertinere nonnullis videretur, quippe quo reditus Principis pariter atque illo minuerentur et securitas eorum laederetur, Hadrianus, eiusque post fata denuo Antoninus statuerunt: si hoc crimen servus cum domino patraverit, non magis quam alias contra dominum eum audiendum, sed de suis tantum factis interrogandum esse, nec iis, quae forte contra dominum dixerit, huic noceri. Habuisset enim alias ser-

---

u) vid. libellus noster primus p. 11. sq.

v) L. 1. §. 1. D. de quaestion.

x) L. 6. §. 2. D. ad leg. Iul. pecul.

y) L. 3. D. eod.

vus liberam dominum vel perdendi, vel conservandi potestatem, prouti vel veritatem fateri, vel mentiri in domini utilitatem fraudemve vellet; dominorum autem salus secundum Paullum[z]) servorum arbitrio non debet committi.

Ulpianus lib. L. ad Edictum.

In eo, cui fideicommissa libertas pure debetur, extat rescriptum Divi Pii ad Iubentium Sabinum, quo ostenditur: non esse festinandum ad tormenta servi eius, cui fideicommissa libertas debetur; et magis est, ne puniatur ob id, quod sub eodem tecto fuit, nisi particeps sceleris fuerit. L. 1. §. 5. D. ad SCtum Silanianum et Claudianum.

Constat, SCto Silaniano, facto imperante Augusto, ao. U. c. 763., introductum esse, ut interemto domino, antequam aperiretur testamentum, de familia eius quaestio haberetur, licet Tacitus idem *veteri mori* deberi tradit[a]). De quo dissidio nunc dicere nihil adtinet. Illud e Tacito scimus[b]), SCto Pisoniano, condito Nerone secundum et L. Pisone Coss., h. e. ao. U. c. 810., (cuius duo alia capita Paullus *SCti Neroniani* nomine adfert[c]), quodque *Claudiani* etiam nomine indicari, supra cum P. Fabro et 19
I. Cuiacio contendi[d]),) inter alia hoc sancitum fuisse, ut occiso domino etiam de iis servis quaestio institueretur, quos in testamento libertate ornatos esse constaret. Pronunciat idem sua etiam aetate Ulpianus[e]). In libertos, quos testator vivus manumisisset, quique, cum occideretur, sub eodem tecto fuissent, ut idem liceret, Traiani tempore SCto effectum est[f]), cum Neronis adhuc aetate Cingonius Verus, ut deportarentur, frustra efficere studuisset[g]). Hadrianum, si dominus interemtus esset, non

z) L. 18. §. 5. D. de quaestion.

a) Tacitus Annal. XIII. 42.

b) Idem Annal. XIII. 32.

c) Paullus L. 8. pr. D. ad SCt. Silan. et Sent. Rec. III. 5. 5.

d) vid. libellus noster primus, p. 24. sq.

e) L. 3. §. 16. D. ad SCt. Silan.

f) L. 10. §. 1. D. eod. coll. Io. Aug. Bachii Traiano, p. 123. sq.

g) Tacitus Ann. XIV. 45.

de omnibus servis, sed de iis tantum, qui per viciniam id sentire poterant, quaestionem habendam praecepisse, Spartianus tradit [h]), quod prudentissimum Imperatoris rescriptum in libris iuris civilis extare, Casaubonus ad eum locum negat, non ignorans, simile ab Ulpiano commemorari [i]), quod eodem quidem spectare, non vero idem, de quo historicus loquitur, rescriptum esse putat. Ego vero Spartianum non ad singulare aliquod rescriptum Hadriani respexisse, sed id proposuisse puto, quod Imperator oblatis iisdem casibus semper rescribere solebat, eiusque generis rescriptum nobis ab Ulpiano conservatum esse nemo negabit.

20 Post Hadrianum Antoninus Pius ad Iubentium Sabinum, (ignotum praeterea virum, sed quem suspicor fuisse Praefectum Urbi, cuius erat in eiusmodi causis cognitio,) rescripto declarasse dicitur, non esse festinandum ad tormenta servi eius, cui fideicommissa libertas *pure*, h. e. nulla addita conditione, debeatur, additque Ulpianus: *magis esse*, h. e. melius, convenientius videri, ne puniatur eiusmodi servus, sceleris non particeps, nulla culpa, quam quod sub eodem, quo illud patraretur, tecto fuerit. Puniebantur enim servi non modo qui dominum interfecisse, sed etiam qui, sub eodem tecto commorati, domino clamanti vel alia vis illatae signa edenti auxilio non venisse convicti erant. Disputavit quaedam ad nostrum locum Paganinus Gaudentius [k]), monuitque, mitigasse Antoninum hoc rescripto rigorem Pisoniani SCti, cuius antea e Tacito mentionem feci, quod et libertate in testamento donatos in quaestionem vocari iussit. *Si enim*, inquit Gaudentius, *D. Pius putavit non esse festinandum ad tormenta servi eius, cui fideicommissa data esset libertas, multo magis idem fieri statuit de eo, qui iussus fuisset simpliciter liber esse in testamento; nam hic erat melioris conditionis, quam ille.* Imo vero aliter se res habet.

---

h) SPARTIANUS in v. Hadr. c. 18. p. 174. ed. Hack.

i) L. 1. §. 28. D. ad SCt. Silan.

k) GAUDENTIUS iuridicarum Expositionum lib. II. c. 5. in OTTONIS Thes. T. III. p. 372.

Nam licet verum sit, libertates directas et per fideicom-
missum datas, uti et alias legata ac fideicommissa, in ve- 21
terum ICtorum libris non modo pari passu ambulare [l]),
sed priores etiam haud paucis in locis maiore favore
ornatas ab iisdem esse [m]), tamen non desunt nobis legum
volumina perscrutantibus alia exempla, quibus fideicom-
missariis libertatibus, ipsa earum natura iubente, com-
moda quaedam prae directis concessa esse videamus. Ipsum
illud in indole utriusque generis positum, legibus autem,
quae hac de re agunt, omnibus confirmatum [n]), quod 22
libertates directe non nisi propriis, per fideicommissum
etiam alienis servis tribui poterant, non levem posterio-

---

l) POMPONIUS lib. V. ex Plaut.: *In omnibus fere causis fideicommissae libertates pro directe datis habendae.* (L. 40. §. 1. D. de manum. testam.) — PAULLUS L. 56. D. eod. praecipit, si cui et directe et per fideicommissum data sit libertas, eligere permitti servo, utra ratione manumitti malit; cum, si alterutrius maior per omnia favor fuisset, ex analogia L. 5. D. eod. haec potius servo vel non interrogato praestanda fuisset. Praeterea eadem in multis utriusque libertatis iura fuisse, probat etiam L. 33. pr. D. de fideicomm. libert. et L. 26. pr. eod., ubi pro vulgato: *potest enim eo testamento dare libertatem utique directam. Sic fit, ut, quoties* etc. male edidit HALOANDER: *potest enim eo testamento dare libertatem: utique cum dictum sit, ut, quoties* etc., cui lectioni tria obstant: sensus incommodus sublata verborum iusta structura, codex Florentinus, et BASILICA, quae T. VI. p. 365. habent: *Ἠδυνατο γαρ ἐν τῃ διαθηκῃ καταλιπειν αὐτῳ ἐλευθεριαν και διρεκταν, εἰπερ ἠβουληθη. Καθολου τοινυν* etc., quae verba docent, pro vulgato: *eo testamento*, scribendum esse: *ei testamento.*

m) Ut exempla quaedam adferam: qui directe datam libertatem accepit, adita hereditate statim liber est ipso iure, (L. 11. §. 2. L. 23. §. 1. L. 25. D. de manum. testam.) fideicommissaria peti debet a Praetore, (L. 53. D. de iudiciis, L. 55. §. 1. D., L. 4. C. de fideic. lib. coll. I. A. BACHII D. Traiano p. 103.) et praecedere debet manumissio, etiamsi libertatium conservandarum causa uni e servis bona addicantur, (L. 4. §. 7. D. eod.) Quodsi ita quis scripserit: *Stichum Titio do, ut eum manumittat; si non manumiserit, liber esto*, praevalere directe datam libertatem, nec fideicommissariae rationem haberi, GAIUS docet (L. 37. D. de statulib.), cum quo IULIANUS (L. 19. D. de manum. testam.), POMPONIUS (L. 34. §. 2. D. de fideic. lib.) et ULPIANUS (L. 9. pr. de man. test.) consentiunt. Alia quaedam exempla inferius erunt adferenda.

n) GAIUS Institutt. lib. II. tit. 7. §. 8. [genuinarum Institutt. comm. II. §. 264. 272.] PAULLUS Sent. Rec. lib. III. tit. 4. §. 7., L. 49. pr. D. de hered. instit., L. 19. §. 1. L. 31. pr. D. de fideic. lib., L. 35. D. de manum. testam., L. 8. D. quando dies legati, L. 9. Cod. de testam. manum. etc.

ribus praerogativam adferebat, et ut crebrius occurrerent, efficiebat. Porro ex iisdem legum praeceptis certi iuris erat, directas libertates non nisi testamento aut codicillis testamento confirmatis, fideicommissarias, quae heredis institutionem non requirebant, etiam ab intestato vel codicillis non confirmatis relinqui posse [o]). Furiosi servus, ut specialem casum adferam, nec directam in testamento libertatem nancisci, nec vivi domini libertus fieri potest; partim enim furiosus testari ideoque et servis libertates scribere nequit [p]), partim curatori, vivo etiam illo, servum manumittere non licet [q]). Contra si ex fideicommisso furiosus libertatem debeat, potest curator servum fideicommissario, a quo manumittatur, tradere; id enim ex Octaveno Paullus praecipit [r]). Nam quae alias curatori vetita est bonorum furiosi in alium translatio [s]), eidem tamen, quoties secundum iudicis cognitionem ex magna illius utilitate fit, permittitur [t]). Omnino autem, quod Papinianus ait: *multa*
23 *contra juris rigorem pro libertate esse statuta* [u]), quodque Gaius: *omnibus rebus favorabiliorem esse libertatem* [v]), id in fideicommissariis maxime libertatibus, quae facilius subverti fraudibusque dominorum infringi poterant, locum habuisse videtur. Certe Ulpianus claris verbis ait: *fideicommissariis libertatibus favorem exhiberi, nec intercidere solere destinatam fideicommissam libertatem*, et paullo post: *libertatem fideicommissam nullum impedimentum pati debere* [x]); quippe *in fideicommissis praecipue spectandam servandamque esse testatoris voluntatem*, alio loco idem iurisconsultus pronunciat [y]). Tanto igitur favore fideicommissariae libertatis hoc quoque comprehendebatur, quod, qui ea donatus esset, interim, (h. e.

---

o) L. 43. D. de manum. testam.
p) L. 16. §. 1. L. 17. L. 18. pr. D. qui testam. facere poss.
q) L. 22. D. qui et a quib. manum., L. 17. D. de cur. fur.
r) L. 13. D. de manumiss.
s) L. 10. §. 1. D. eod.
t) L. 17. fin. D. eod.
u) L. 24. §. 10. D. de fid. lib.
v) L. 122. D. de reg. iur.
x) L. 26. pr. et §. 6. D. de fideic. lib.
y) L. 11. §. 19. de leg. III. coll. L. 95. eod., L. 127. de legat. I., L. 23. §. 8. de fid. lib., L. 16. C. de fideicomm.

ab adita hereditate usque ad factam manumissionem,) in possessione libertatis esse videbatur z), ita ut eum *liberi quodammodo loco esse et statuliberi locum obtinere*, ideoque *nec in alium transferendum esse, ut aut libertas eius impediatur, aut iura patronatus graviora experiatur*, Marcianus contenderet a), Marcellumque ea in re consentientem haberet b). Cui etsi repugnat Ulpianus, servum, cui fideicommissaria libertas relicta sit, servilis conditionis es- 24
se, nec, si nullam moram, qui praestare deberet libertatem, fecerit, de statu eius quidquam immutari, ideoque eum interim legari posse pronuncians c), adeo tamen certi iuris est, eius, cui ex fideicommisso libertas debetur, conditionem neutiquam posse ulla ratione reddi deteriorem d), ut Modestinus e), Pomponius f) atque ipse Ulpianus g) etiam venditum interdum eiusmodi servum atque ab emtore manumissum, si a fiduciario manumitti velit, audiendum esse pronuncient, qua de re inferius nobis erit dicendi occasio. Ex his vero omnibus satis, nisi fallor, adparet, tantum fuisse fideicommissariarum libertatum favorem, ut non possit sine omni dubio pronunciari, eodem iure, quo is, cui e fideicommisso libertas debeatur, multo etiam certius et firmius illum uti, qui directe liber esse iussus sit. Qua tamen ratione usus est in explicanda ea, de qua nunc loquimur, lege Gaudentius, colligens, D. Pium, qui fideicommissa libertate donatum, nisi aliorum testimoniis particeps sceleris fuisse convincatur, occiso domino torquendum non esse rescripsit, multo etiam magis id in eo voluisse, qui directam libertatem adcepisset. Fugit scilicet Gaudentium, ab Ulpiano eodem, qui diu post D. Pii aetatem vixit, alio loco praecipi h): *De his* 25
quoque servis, qui testamento manumissi essent, perinde atque servis, supplicium sumendum esse; quod, nisi quae-

---

z) L. 26. pr. cit. coll. L. 25. et 33. D. de statulib.
a) L. 51. §. 3. D. de fid. lib.
b) L. 10. §. 2. D. eod.
c) L. 45. §. 2. D. eod.
d) L. 30. §. 16. D. eod.
e) L. 15. D. eod.
f) L. 34. pr. D. eod.
g) L. 24. §. 21. D. eod.
h) L. 13. §. 16. D. ad SCtum Silanianum.

stionem antea de iis haberi licuisset, fieri nullo pacto potuisset. Quodsi rescriptum D. Pii per ἀναλογιαν etiam ad eos translatum fuisset, qui directe essent manumissi, profecto haec sua aetate scribere non potuisset Ulpianus. Adcedit, quod idem Antonini sancitum eadem fere ratione iisdemque verbis commemorat, quem post obitum eius vixisse constat, Claudius Tryphoninus libro IV. Disputationum [i]), his verbis: *Is cui fideicommissa libertas debetur, non aliter ut servus quaestioni adplicetur, nisi* (h. e. quam si, ut Ulpiano saepe [k]).) *aliorum quaestionibus oneretur.* Vides, quoad sensum, ne latum quidem unguem ab Antonino discedere Tryphoninum, qui, si per veritatem potuisset, haud dubie idem et de iis servis dixisset, qui libertatem directe adciperent. Aliud eiusdem rei testimonium denuncio Scaevolae, cuius haec verba adlegat Ulpianus [l]): *Constantius defendendum, herede instituto filio, eodemque ante aditam hereditatem occiso, de his quaestionem haberi, qui pure legati vel manumissi sint*; ubi patet, το *pure* ad utrosque, et ad legatos et ad manumissos servos, referendum esse. *Pure* autem *manu-*
26 *missi* dicuntur et illi, qui sine addita conditione, et vero, propter status similitudinem, etiam hi, qui directe, non per fideicommissum, liberi esse iussi sunt; ideoque ex hoc ipso loco adparet, conditionem eorum, qui fideicommissaria, horum, qui directa libertate donati essent, statui etiam eo praestitisse, quod priores, occiso domino, nisi aliorum testimoniis in caedis suspicionem vocati, torqueri nunquam potuerint, posteriores vel nulla ipsis suspicione mota, propter solam factae caedis viciniam quaestioni subiecti fuerint. Sed ecce! occurrit nobis suumque ipse testimonium infringere videtur Ulpianus. Nam libro LIV. ad Edictum [m]) ita loquitur ICtus Syrophoenix: *Sunt et aliae causae, ex quibus in libertatem proclamatio denegatur; veluti si quis ex eo testamento liber esse dicatur,*

i) L. 19. D. de quaestion.

k) v. c. L. 3. §. 12. D. de statulib., L. 13. §. 2. de manum. testam.

l) L. 1. §. 13. D. ad SCt. Silan.

m) L. 7. §. 4. D. de liberali causa.

quod testamentum aperiri Praetor vetuit, quia testator a familia necatus esse dicatur; cum enim in eo sit iste, ut supplicio forte sit adficiendus, non debet liberale iudicium ei concedi. Sed etsi data fuerit (sc. proclamatio), *differtur liberale iudicium, donec constet de morte eius, qui necatus est; adparebit enim, utrum supplicio adficiendus sit, an non.* Videntur omnino haec verba primo adspectu his, quae a D. Pio constituta diximus, repugnare. Quid enim? cum, qui fideicommissariam libertatem pariter ac qui directam adcipiunt, proclamatione indigeant, nonne hic de utrisque sermonem esse adparet! nonne utrosque supplicio adfici ideoque et quaestioni 27
subiici posse, claris verbis dicitur? Recte quidem, nec tamen id contra nostram sententiam omnino pugnabit. Scilicet conciliamus Ulpiani haec verba cum eo, quem interpretamur, loco ita, ut ex iis adparere dicamus, fideicommissaria libertate donatos torqueri quidem non ita, ut qui directam adceperint, manumitti tamen prius, quam quaestio omnis finita fuerit, non magis quam illos potuisse. Unde patet, nec servis, laedi se forte dilatione libertatis existimantibus, nondum finita quaestione in libertatem proclamare licuisse, nec, si proclamaverint, id ad maturandam iudicii liberalis disceptationem eis profuisse. Ipse autem Antoninus et qui eius rescriptum omisso nomine laudat, Tryphoninus, non negarunt, torqueri posse etiam eum, qui fideicommissam libertatem adceperit, modo aliorum quaestionibus oneretur et suspicio quaedam contra ipsum moveatur; quem inde recte dicere poterat Ulpianus, si aliorum testimoniis convictus et in tormentis deinde confessus esset, *supplicio forte adficiendum.* Non competiisse autem fideicommissam libertatem ante finitas quaestiones, vel exinde patet, quod ante aditam hereditatem non competit; adiri autem hereditas testamentumque aperiri ante habitas quaestiones e SCto Silaniano non poterat.

Ex his omnibus satis elucet, Antoninum hoc rescripto memoratum a Tacito SCti Pisoniani caput non prorsus, sed quatenus ad fideicommissas libertates pertineret, sustulisse. Quaeritur iam, quae fuerit huius rei causa?

28 de quo breviter adhuc dicemus. Ait Ulpianus [n]), quo loco de iis dicit, qui e SCto Silaniano torqueri possint: *Servi adpellatione et hi continentur*, (supple e sententiarum nexu: *ideoque et quaestioni subiiciuntur,*) *qui sub conditione legati sunt*; hos enim, addit, medio tempore (dum nimirum pendeat conditio,) heredis esse, et licet conditione existente desinant esse heredis, tamen, donec id fiat, eius esse videri. Idem alio loco idem ICtus repetit [o]). Unde colligimus, eos, qui medio tempore non sint heredis, quaestioni subiici non posse; quod ipsum docet Paullus [p]), statuliberum in adulterio postulari posse, quod sit servus heredis, quoad nimirum conditio pendeat, contendens. Sed qui fideicommissam libertatem pure adceperat, melioris erat quam statuliber conditionis, quippe qui, ut ante dixi, iam quasi in possessione libertatis constitutus neque heredis servus (qui solus, vel nullam in suspicionem deductus, quaestioni subiici poterat,) esse videbatur. Sapienter igitur iuris analogiae consuluit Imperator, qui fideicommissaria libertate donatis parem cum aliis ingenuis et liberis praerogativam concessit, ut nimirum prius, quam suspicio urgeret, ad tormenta non vocarentur.

CAPUT IV.

DE MANUMISSIONIBUS SERVORUM.

Callistratus lib. I. Quaestionum.

29 *Senatus censuit: ut, si servus domini sui iussu testamento codicillisve libertatem sibi adscripserit, ob eam rem, quod ipsius manu adscriptum est, minus liber sit; sed libertas ei ex fideicommissi causa praestatur, si modo post eam scripturam testator testamento codicillisve subscripsit. Et quatenus de sola specie fideicommissae libertatis hoc SCto continetur, Divus Pius rescripsit: sententiam magis sequendam esse SCti, quam scripturam;*

---

n) L. 1. §. 4. D. ad SCt. Silan. o) L. 12. §. 2. D. famil. herciscundae. p) L. 8. §. 1. D. de quaestion.

nam servos, cum dominis suis parent, necessitate potestatis excusari, si tamen adcedat domini auctoritas, subscribentis, se ea dictasse et recognovisse. Videri enim, ait, ipsius domini manu scripta, cuius voluntate ea scripta sint. Quod tametsi, inquit, ad liberas personas, in quas nullum ius testator habuerit, extendi non debet, quaeri 30
tamen debet: an aeque subsequendi necessitas et honesta excusatio sit facientibus, quod non sit concessum? L. 15. §. 2. et 3. D. ad legem Corneliam de falso et SCtum Libonianum.

Ut de verbis primum dicamus, in vulgatis editionibus ipsaque Haloandrina legitur addita negatione: *ob eam rem....est, non ideo minus liber sit.* Quemadmodum autem vocabulum *ideo*, cum praecesserint verba: *ob eam rem*, plane redundaret, ita negationem a Florentino cod. recte abesse iam docuit Siegm. Reichardus Iauch [a]). Utrumque deberi videtur librario, qui verba: *minus liber sit*, non intelligeret, particulas autem *non ideo minus*, melius sonantes, aliquoties in libris iuris civilis coniungi sciret [b]). SCti sententia pertinet usque ad verba: *liber sit;* quae deinde sequuntur, ICti sunt, decretum Senatus: *minus liber sit*, ita interpretantis, ut pro directa libertate fideicommissariam deberi ostendat. Hinc illud, quod in iisdem editionibus est: *praestetur*, relatum ad *ut*, vel propterea non ferendum, quod necessario sequi deberet: *subscripserit.* Addita negatione sensus incommodus vel potius nullus est, legendumque *praestetur*, cum tamen, qui fideicommissariam libertatem pro directa adciperet, revera minus liber fuerit. In sequentibus, si quid unquam recte fecit Haloander, hoc profecto fecit, quod, cum vulgo et in ipso adeo cod. Florentino legeretur: 31
Quod tamen, inquit etc., tum in editis sententia duabus periodis absolveretur, quarum altera in verbis: *extendi non debet*, desineret, altera ab his: *quaeri tamen debet*,

---

a) Iauchii Meditationes criticae de negationibus Pandectarum p. 43.

b) v. c. L. 39. D. de iudic., L. 34. §. 13. D. de leg. I., L. 78. §. 3. D. de leg. II., L. 5. C. de hered. inst., L. 5. C. de liber. causa.

inciperet, ipse levissima emendatione utrumque membrum coniunxit, et prius *tamen* in *tametsi* transmutavit. Ubi enim scriptum fuerat *tametsi inquit*, facillime scriba *tamen* videri sibi poterat aberrantibus oculis usurpare. Haloandrinam emendationem omnis sententia exigit. Pro illis: *subsequendi necessitas et honesta excusatio*, quae Florentinus et Haloandrina exhibent, in vulgatis ante Haloandrum editionibus legitur: *nec honesta excusatio*, sine sensu, rectissime improbante Iauchio [c]). Ipsa enim *subsequendi*, seu, ut Brencmanus, cui non magnopere repugnaverim, legendum suspicatus est, *obsequendi necessitas* efficit *honestam excusationem*. Verba: *an . . . . sit*, Haloander ita primus restituit, cum ante eum ex cod. Florentini aliorumque fide legeretur: *est*, quod plerasque inde editiones occupavit. Sed subiunctivum verum esse, vix quisquam dubitet. Cohaeret cum isto mendo, quod particula *an* in Taurelli et Russardi editionibus asteriscis inclusa est, tanquam a seriori correctoris manu cod. Florentino adscripta. Inepte etiam in hoc ipso codice addita est negatio illis: *facientibus, quod non sit concessum*, ut legatur: *non facientibus* etc. Qua enim, quaeso, excusatione indigent, qui non concessa non faciunt? Vi-
32 dit id, qui hac de re ex instituto disputavit, Iauchius [d]), cui tamen in eo adsentiri nequeo, quod hanc negationem falso positam, ante verbum substantivum (ipse legit: *excusatio est*,) collocandam, particulam *an* tollendam, totumque locum ita legendum putat: *quaeri tamen debet: aeque subsequendi necessitas et honesta excusatio non est* (vel *nonn' est*, h. e. nonne est,) *facientibus, quod non sit concessum?* Quem enim non offendat directa haec interrogatio, nec ICtis nec aliis scriptoribus bonis hoc nexu usitata! Ego *το an* neutiquam eliminandum, sed summo iure a correctore cod. Florentini adscriptum puto, quanquam idem indicativum sequentem in subiunctivum mutare omiserit. Negatio hinc vel prorsus eiicienda, vel, quod malim, cum *an* coniungenda, et locus ipse hunc in

c) Iauchius l. cit. d) Iauchius lib. cit. pag. 339. sq.

modum legendus est: *an non aeque subsequendi* etc., aut facilius: *an aeque....excusatio non sit* etc.

Ad rem ipsam quod adtinet, constat, eos, qui testamentum aut codicillos edere vellent, potuisse in hunc finem uti servis vel propriis vel alienis, praesentibusque, quos leges adesse iuberent, illis quae scriberent dictitare[e]). Filios etiam interdum, imo et liberos homines alios huic negotio adhibitos esse scimus. Quam rem facile adparet aditum multis ac ingentibus dolosae fraudis machinationibus patefecisse, aliis ea, de quibus nunquam cogitaverit testator, in chartam coniicientibus, ac vel sibi vel secum coniunctis plus minusve, prout audaciores meticulosioresve 33 essent, adscribentibus, aliis aperta vi testatorem, ut coram testibus, quaecunque sibi placerent, scribi iuberet, adigentibus. Hinc scribentium testiumque perfidia beneficiis emi omnisque testandi utilitas tolli coepit. Nam nec quomodo legarit paterfamilias super pecunia sua, quidque ipse fieri voluerit, certo constabat, nec iurgiis et altercationibus tam amplo aperto campo parcebatur. Itaque patres Scribonio Libone auctore censuerunt: *ne quis sibi in testamento alieno legatum aliudve adscriberet; quod adscripserit, ut pro non scripto habeatur*, quod SCtum, aliis etiam sancitis clarum et Liboniani nomine celebratum, non est ut quando latum sit inquiramus. Ante Neronem certe latum est, quem Claudii nomine, non solum in Digestis, et alio, et eo, unde noster locus depromptus est, titulo, sed etiam eo, quo ipsa, quae statim laudabitur, Neronis lex commemoratur, Codicis loco intelligendum esse, nuper ostendi[f]). Etenim Nero, acuens rigorem, augens ambitum SCti, edicto praecepit: *ut, si quis, cum alterius testamentum vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu scripserit, proinde teneatur, ac si commisisset in legem Corneliam*, (de falso, scilicet ut liber deportatione, servus ultimo supplicio puniatur[g]),) *et*

---

e) L. 24. D. qui testamenta facere possunt.

f) Vid. libell. noster prim. p. 25.

g) L. 1. §. 13. D. ad leg. Corn. d. f. Quod adscriptum erat, etiam post Neronem, licet punito reo, pro non scripto habebatur. Poena vero etiam rupto postea testamento, aut ab initio non iure facto, modo perfectum fuerit, decernebatur. L. 6. pr. D. ad leg. Corn. d. f.

34 *ne vel iis venia detur, qui se ignorasse edicti severitatem praetendant* [h]); addiditque: *Scribere sibi legatum videri non solum eum, qui manu sua id fecerit, sed etiam, qui per servum vel filium, quem in potestate habeat, legato, dictante testatore, honoretur* [i]), h. e. et eum, qui a filio servoque adscribi sibi aliquid in alieno testamento iusserit, et eum, qui filio vel servo aliquid adscripserit, quod tamen, patriae vel dominicae potestatis ratione, ad se potius perveniret [k]). Ne tamen immanis legis Corneliae poena nimis crebro et tum quoque, cum non tam peccatum, quam erratum videretur, decernenda esset, neu arctius iusto compesceretur testatorum in deligendis testamenti scriptoribus libertas, si, quemcunque delegerint, vel certissimum fidelissimumque hominem, eum hoc ipso ab omni liberalitatis suae fructu excluderent, ipso iam SCto Liboniano institutum est, ut subscriptione testatoris et poena averteretur, et vero etiam ea, quae quis sibi adscripserit, vim et effectum quendam nanciscerentur. Quid vero, dices, nonne omnibus testamentis, quae scriptim conciperentur, iam tum subscribebat testator? Recte quidem, sed non nisi suum nomen, et post Iustiniani demum legem [l]) nomen heredis vel heredum. Qui autem scribenti testamentum relinquere aliquid vellet,
35 eum Libo, in cuius sententiam pedibus ivit Senatus, non modo nomen suum, sed etiam hoc: se dictasse testamentum huic vel illi et recognovisse, subscribere iussit, addita vel neglecta legati eidem dati mentione. Prouti enim haec mentio vel clare iniecta vel omissa erat, subscriptio testatoris vel specialis dicebatur vel generalis. Itaque specialis his fere verbis: *Titio dictavi legatum* (vel *fideicommissum*) *et recognovi*, generalis his: *Titio dictavi testamentum et recognovi*, concipiebatur, nisi forte, ut interdum factum esse videtur, specialis non fini testamenti, sed eius statim loci, in quem ipsum legatum

h) Quod ab Imperatoribus non observatum est; L. 3. 4. 5. C. de his qui sibi adscrib., L. 15. §. 5. D. cit.

i) L. 15. pr. D. eod.

k) cf. L. 10. pr. L. 11. pr. D. eod.

l) L. 29. C. de testamentis.

modum legendus est: *an non aeque subsequendi* etc., aut facilius: *an aeque ... excusatio non sit* etc.

Ad rem ipsam quod adtinet, constat, eos, qui testamentum aut codicillos edere vellent, potuisse in hunc finem uti servis vel propriis vel alienis, praesentibusque, quos leges adesse iuberent, illis quae scriberent dictitare[e]. Filios etiam interdum, imo et liberos homines alios huic negotio adhibitos esse scimus. Quam rem facile adparet aditum multis ac ingentibus dolosae fraudis machinationibus patefecisse, aliis ea, de quibus nunquam cogitaverit testator, in chartam coniicientibus, ac vel sibi vel secum coniunctis plus minusve, prout audaciores meticulosioresve 83 essent, adscribentibus, aliis aperta vi testatorem, ut coram testibus, quaecunque sibi placerent, scribi iuberet, adigentibus. Hinc scribentium testiumque perfidia beneficiis emi omnisque testandi utilitas tolli coepit. Nam nec quomodo legarit paterfamilias super pecunia sua, quidque ipse fieri voluerit, certo constabat, nec iurgiis et altercationibus tam amplo aperto campo parcebatur. Itaque patres Scribonio Libone auctore censuerunt: *ne quis sibi in testamento alieno legatum aliudve adscriberet; quod adscripserit, ut pro non scripto habeatur*, quod SCtum, aliis etiam sancitis clarum et Liboniani nomine celebratum, non est ut quando latum sit inquiramus. Ante Neronem certe latum est, quem Claudii nomine, non solum in Digestis, et alio, et eo, unde noster locus depromptus est, titulo, sed etiam eo, quo ipsa, quae statim laudabitur, Neronis lex commemoratur, Codicis loco intelligendum esse, nuper ostendi[f]. Etenim Nero, acuens rigorem, augens ambitum SCti, edicto praecepit: *ut, si quis, cum alterius testamentum vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu scripserit, proinde teneatur, ac si commisisset in legem Corneliam*, (de falso, scilicet ut liber deportatione, servus ultimo supplicio puniatur[g],) *et*

---

e) L. 24. D. qui testamenta facere possunt.

f) Vid. libell. noster prim. p. 25.

g) L. 1. §. 13. D. ad leg. Corn. d. f. Quod adscriptum erat, etiam post Neronem, licet punito reo, pro non scripto habebatur. Poena vero etiam rupto postea testamento, aut ab initio non iure facto, modo perfectum fuerit, decernebatur. L. 6. pr. D. ad leg. Corn. d. f.

34 *ne vel iis venia detur, qui se ignorasse edicti severitatem praetendant* [h]); addiditque: *Scribere sibi legatum videri non solum eum, qui manu sua id fecerit, sed etiam, qui per servum vel filium, quem in potestate habeat, legato, dictante testatore, honoretur* [i]), h. e. et eum, qui a filio servoque adscribi sibi aliquid in alieno testamento iusserit, et eum, qui filio vel servo aliquid adscripserit, quod tamen, patriae vel dominicae potestatis ratione, ad se potius perveniret [k]). Ne tamen immanis legis Corneliae poena nimis crebro et tum quoque, cum non tam peccatum, quam erratum videretur, decernenda esset, neu arctius iusto compesceretur testatorum in deligendis testamenti scriptoribus libertas, si, quemcunque delegerint, vel certissimum fidelissimumque hominem, eum hoc ipso ab omni liberalitatis suae fructu excluderent, ipso iam SCto Liboniano institutum est, ut subscriptione testatoris et poena averteretur, et vero etiam ea, quae quis sibi adscripserit, vim et effectum quendam nanciscerentur. Quid vero, dices, nonne omnibus testamentis, quae scriptim conciperentur, iam tum subscribebat testator? Recte quidem, sed non nisi suum nomen, et post Iustiniani demum legem [l]) nomen heredis vel heredum. Qui autem scribenti testamentum relinquere aliquid vellet,
35 eum Libo, in cuius sententiam pedibus ivit Senatus, non modo nomen suum, sed etiam hoc: se dictasse testamentum huic vel illi et recognovisse, subscribere iussit, addita vel neglecta legati eidem dati mentione. Prouti enim haec mentio vel clare iniecta vel omissa erat, subscriptio testatoris vel specialis dicebatur vel generalis. Itaque specialis his fere verbis: *Titio dictavi legatum* (vel *fideicommissum*) *et recognovi*, generalis his: *Titio dictavi testamentum et recognovi*, concipiebatur, nisi forte, ut interdum factum esse videtur, specialis non fini testamenti, sed eius statim loci, in quem ipsum legatum

h) Quod ab Imperatoribus non observatum est; L. 3. 4. 5. C. de his qui sibi adscrib., L. 15. §. 5. D. cit.

i) L. 15. pr. D. eod.

k) cf. L. 10. pr. L. 11. pr. D. eod.

l) L. 20. C. de testamentis.

modum legendus est: *an non aeque subsequendi* etc., aut facilius: *an aeque....excusatio non sit* etc.

Ad rem ipsam quod adtinet, constat, eos, qui testamentum aut codicillos edere vellent, potuisse in hunc finem uti servis vel propriis vel alienis, praesentibusque, quos leges adesse iuberent, illis quae scriberent dictitare[e]). Filios etiam interdum, imo et liberos homines alios huic negotio adhibitos esse scimus. Quam rem facile adparet aditum multis ac ingentibus dolosae fraudis machinationibus patefecisse, aliis ea, de quibus nunquam cogitaverit testator, in chartam coniicientibus, ac vel sibi vel secum coniunctis plus minusve, prout audaciores meticulosioresve 33
essent, adscribentibus, aliis aperta vi testatorem, ut coram testibus, quaecunque sibi placerent, scribi iuberet, adigentibus. Hinc scribentium testiumque perfidia beneficiis emi omnisque testandi utilitas tolli coepit. Nam nec quomodo legarit paterfamilias super pecunia sua, quidque ipse fieri voluerit, certo constabat, nec iurgiis et altercationibus tam amplo aperto campo parcebatur. Itaque patres Scribonio Libone auctore censuerunt: *ne quis sibi in testamento alieno legatum aliudve adscriberet; quod adscripserit, ut pro non scripto habeatur*, quod SCtum, aliis etiam sancitis clarum et Liboniani nomine celebratum, non est ut quando latum sit inquiramus. Ante Neronem certe latum est, quem Claudii nomine, non solum in Digestis, et alio, et eo, unde noster locus depromptus est, titulo, sed etiam eo, quo ipsa, quae statim laudabitur, Neronis lex commemoratur, Codicis loco intelligendum esse, nuper ostendi[f]). Etenim Nero, acuens rigorem, augens ambitum SCti, edicto praecepit: *ut, si quis, cum alterius testamentum vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu scripserit, proinde teneatur, ac si commisisset in legem Corneliam*, (de falso, scilicet ut liber deportatione, servus ultimo supplicio puniatur[g]),) *et*

e) L. 24. D. qui testamenta facere possunt.

f) Vid. libell. noster prim. p. 25.

g) L. 1. §. 13. D. ad leg. Corn. d. f. Quod adscriptum erat, etiam post Neronem, licet punito reo, pro non scripto habebatur. Poena vero etiam rupto postea testamento, aut ab initio non iure facto, modo perfectum fuerit, decernebatur. L. 6. pr. D. ad leg. Corn. d. f.

4 *ne vel iis venia detur, qui se ignorasse edicti severitatem praetendant* [h]); addiditque: *Scribere sibi legatum videri non solum eum, qui manu sua id fecerit, sed etiam, qui per servum vel filium, quem in potestate habeat, legato, dictante testatore, honoretur* [i]), h. e. et eum, qui a filio servoque adscribi sibi aliquid in alieno testamento iusserit, et eum, qui filio vel servo aliquid adscripserit, quod tamen, patriae vel dominicae potestatis ratione, ad se potius perveniret [k]). Ne tamen immanis legis Corneliae poena nimis crebro et tum quoque, cum non tam peccatum, quam erratum videretur, decernenda esset, neu arctius iusto compesceretur testatorum in deligendis testamenti scriptoribus libertas, si, quemcunque delegerint, vel certissimum fidelissimumque hominem, eum hoc ipso ab omni liberalitatis suae fructu excluderent, ipso iam SCto Liboniano institutum est, ut subscriptione testatoris et poena averteretur, et vero etiam ea, quae quis sibi adscripserit, vim et effectum quendam nanciscerentur. Quid vero, dices, nonne omnibus testamentis, quae scriptim conciperentur, iam tum subscribebat testator? Recte quidem, sed non nisi suum nomen, et post Iustiniani demum legem [l]) nomen heredis vel heredum. Qui autem scribenti testamentum relinquere aliquid vellet,
5 eum Libo, in cuius sententiam pedibus ivit Senatus, non modo nomen suum, sed etiam hoc: se dictasse testamentum huic vel illi et recognovisse, subscribere iussit, addita vel neglecta legati eidem dati mentione. Prouti enim haec mentio vel clare iniecta vel omissa erat, subscriptio testatoris vel specialis dicebatur vel generalis. Itaque specialis his fere verbis: *Titio dictavi legatum* (vel *fideicommissum*) *et recognovi*, generalis his: *Titio dictavi testamentum et recognovi*, concipiebatur, nisi forte, ut interdum factum esse videtur, specialis non fini testamenti, sed eius statim loci, in quem ipsum legatum

h) Quod ab Imperatoribus non observatum est; L. 3. 4. 5. C. de his qui sibi adscrib., L. 15. §. 5. D. cit.

i) L. 15. pr. D. eod.

k) cf. L. 10. pr. L. 11. pr. D. eod.

l) L. 29. C. de testamentis.

vel fideicommissum relatum esset, margini adderetur, verbis: *Haec Titio dictavi et recognovi.* Cuius quidem utriusque speciei vis et natura in eo congruebat, quod alterutra adiecta, certe ex gratia Imperatoris, poena semper cessaret; differebat eo, quod specialis, quoties extraneus sibi in cuiuscunque civis testamento aliquid adscripserit, necessaria, generalis, si filius vel servus in patris vel domini ultima voluntate id fecerit, sufficiens putaretur. Scilicet adcuratiori quasi ad causam legitimatione indigere videbatur extraneus, legato, quod ipse scripserit, honoratus, quam filius vel servus, in quos, cum naturale aliquod supponi posset testatoris studium, liberalem illum testamento fuisse a veri similitudine non abhorreret. Praeterea potestas testatoris, qua iidem homines tanquam iugo premerentur, effecit, ut non ab ipsis pendere videretur, quo minus, quidquid a domino iuberentur, scriberent, utque, modo in universum dominus 86
se ea dictasse et recognovisse professus esset, ipse scripsisse, quaecunque iussu nutuque suo scripta essent, censeretur.

Praemonitis his ad intellectum sequentium necessariis, quorum fontes infra indicavimus [m]), lectoribus, qui uberiorem expositionem desiderent, ad eos relegatis, qui hoc ex instituto persecuti sunt [n]), ad ipsam legem nostram convertamur. Incidebat enim quaestio, quid de libertate statuendum esset, propria eius, cui daretur, manu in testamento scripta: num et ipsa intercideret, an ex noto et plane singulari, quo gaudet, favore conservari deberet? Hinc ipso SCto Liboniano (id enim est, quod hoc titulo, inscriptione eius docente, verbis: *Senatus censuit,* κατ' ἐξοχὴν indicatur,) ut Callistrati verba supra posita ostendunt, cautum est: ut, qui servus libertatem directam testamento domini ipse sibi adscripserit, *modo post eam scripturam testator testamento vel codicillis subscripserit,*

m) L. 1. §. 8. L. 14. pr. L. 15. §. 1. D. ad leg. Corn. d. f., L. 2. C. de his qui sibi adscrib.

n) Vid. Io. Iac. Mascovii et Io. Gu. Marckarti scripta, libelli primi pag. 26. a nobis laudata.

et poena falsi liberaretur, et libertatem, non quidem directam, fideicommissariam tamen, ab herede nancisceretur [o]). Scilicet generalem subscriptionem Senatus tantum
7 desiderabat [p]), hanc autem, quae aliis legatis a servo sibi ipsi adscriptis, ut modo diximus, plenam fidem tribuebat, idem in libertate testamento data efficere noluit. Nam legati servo sine libertate relicti omnis usus ad heredem pertinebat, ideoque huic non multum subtrahebatur; contra libertate data servum, forte etiam quidquid peculii nomine dominus hactenus usui habuisset, heres perdebat, quam iacturam ab ipso servo, suae utilitatis studioso, ei illatam esse, suspicio certe, cum is sua manu scripsisset, testator generaliter tantum testamentum subsignasset, oriebatur. Itaque libertatem quidem servi non plane impedivit Senatus, sed ita tamen, *ut minus liber esset.* Etenim ab herede ex fideicommissi lege manumissi cum eodem patronatus vinculo arctius coniuncti manebant, imo patrono successionis spes, etsi, quod antea peculii nomine administrasset, iam reddere cogeretur, salva tectaque erat; unde hi recte *minus liberi* dicuntur, quam directe manumissi, in quos, quamprimum adita erat hereditas, nullum ius heredi neque spes ulla in bona eorum competebat. Hactenus igitur, mutata testamenti sententia, probitati consuli et iura heredum certe aliquatenus conservari speravit Senatus. Neque desunt similia exempla. Notum est, testamentis vel legatis, qui-
8 bus ex rigore legum civilium ad plenum effectum aliquid deesse, quae tamen plane infringi durum et iniquum videretur, solitos esse ICtos Romanos fideicommissorum,

---

o) Falsissima enim est interpretatio EDMUNDI MERILLII, in Comm. ad lib. I. Quaestionum Callistrati, (T. I. pag. 621. Thes. Otton.) qui Senatum censuisse ait: *ut e tali testamento fideicommissariae tantum libertates competerent, reliquae intercidérent.* Imo omnes e SCti sententia competunt, sed directae mutantur in fideicommissarias.

p) Verba: *post eam scripturam*, non hoc indicant, singulari subscriptione in hac testamenti parte opus esse, ita enim specialis existeret subscriptio, sed hoc tantum, debere legatum libertatis supra subscriptionem positum, non infra eandem adfixum esse.

in quibus indulgentiores essent ac voluntatem testatoris strictissime sequendam praeciperent [q]), auctoritatem tribuere. Hoc in testamento clausula efficit codicillaris; hoc in servo pignorato, cui directa a creditore data esset libertas, cum id proprie non liceret, libertatis favore statuendum ac pro directa fideicommissariam libertatem praestandam esse, Ulpianus scribit [r]); hoc, in casu ei, qui SCto continetur, plane simili, modo hoc, quod de libertate non agatur, excipias, fieri debere, etiam Scaevola docet [s]). Cum enim quidam, nec liberos nec cognatos habens, in discrimine vitae constitutus per infirmitatem, arcessitis amicis, Gaio Seio, contubernali suo, dixisset: velle se ei praedia, quae nominasset, relinquere, eaque dicta ipse Gaius Seius in testationem redegisset, (i. e. consignasset,) ipse etiam testator interrogatus: num ea dixisset, μαλιςα, respondisset, consultus ICtus non dubitandum esse pronunciavit, quin id, quod Gaio Seio datum sit, tanquam fideicommissum valeat, a fisco scilicet, ad quem hereditas, bonum vacans, pertinebat, eidem praestandum. Hac igitur specie videmus, cum, qui perciperet aliquid, ipse scripsisset, ac testatoris quidem subscriptio omnis deesset, attamen fraudis suspicio in percipientem vix caderet, quasi suppleta codicillari clausula, 39
legatum in fideicommissum esse mutatum, perinde ac nostro loco in libertate directa a servo, adcedente generali tantum domini subscriptione, sibi adscripta, fieri voluit Senatus.

Aliter autem re ad ipsum quoque delata Divus Pius iudicavit. Nam *quatenus de sola specie fideicommissae libertatis hoc SCto contineretur*, (h. e. quatenus cautum esset, ut illi, qui sibi libertatem adscripsissent, non nisi fideicommissariam consequi possent,) rescripsit, sententiam magis SCti, quam ipsa verba sequenda, neque ideo his stricte inhaerendum esse, sententiam autem hanc esse: servos,

---

q) Vid. loca supra pag. 81. not. y. adlata.

r) L. 24. §. 10. D. de fideic. libertatibus.

s) L. 39. §. 1. D. de leg. III.

dum dominis suis pareant, *necessitate potestatis* (h. e. potestate dominorum et obsequio iis debito, quod fugere et denegare nullo modo possint,) excusari, si tamen (h. e. modo) adcedat domini auctoritas, subscribentis, se ea (sc. testamentum) dictasse et recognovisse [t]), quae quidem est, ut diximus, subscriptio generalis; tum autem videri testamentum ab ipso testatore, quippe huius voluntate, scriptum, et libertatem scribenti ab eodem concessam, unde nec quidquam in ea mutandum esse recte Imperator intulit. Quod igitur dixit Divus Pius, istam magis sententiam, quam verba SCti, esse sequendam, sic debet intelligi, ut libertatem non modo non intercidere, sed etiam ita, uti testamento data esset, si directe, directam, sin per fideicommissum, fideicommissariam, praestari voluerit, manente tamen eadem conditione, ut nempe generalis certe, quam antea descripsimus, addita esset subscriptio. Graviorem enim censuit Imperator optimus causam servi, nulla forte culpa, dum domini iussui obtemperarit, merae suspicionis causa ita puniendi, ut contra testatoris voluntatem status eius deterior redderetur, quam heredis. Hic enim, si iniuriam sibi factam falsumque commissum esse sciret, servum convenire poterat, ut non modo libertate privaretur, sed et legis Corneliae poena adficeretur; sin probare nequiret, durum erat, eum aliquam in servum potestatem retinere, cui testator hanc omnino adimi voluerat. Ignosci servo, quidquid domini voluntate commiserit, modo sceleris atrocitatem non haberet, constanter legibus declaratur [u]), atque id, quod Ulpianus ait [v]): *Qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, quia parere necesse habet*, multo etiam magis ad servum domini iussu agentem per-

---

t) Eadem mens et fere eadem verba Paulli lib. XXII. Quaestion. L. 14. pr. D. ad. leg. Corn. d. f.: *Excusatus enim is videtur, qui in potestate est, sicut servus, si tamen iussum* (sc. testamenti scribendi) *ex subscriptione adpareat: sic enim inveni Senatum censuisse.* Nempe idem est SCtum, ad quod Paullus et Antoninus respiciunt.

u) L. 2. pr. D. de noxalibus actt., L. 157. pr. de reg. iur., L. ult. in fine C. de his qui sibi adscr.

v) L. 167. §. 1. D. de reg. iur.

tinet. Hae causae et rationes rescripti fuisse videntur, sapientis sane et aequitatis pariter ac iustitiae praeceptis magis, quam SCtum, consentanei.

Ita vero cum mens Antonini, quatenus rescriptum eius ad libertatem servis ipsorum manu adscriptam pertinet, satis clara sit, adparebit etiam facile, Io. Gu. 41
Marckartum [x], frustra sollicitum esse de tollendo dissidio, quod inter hoc rescriptum atque duo Pandectarum alia loca, alterum Marciani, alterum Paulli, deprehendisse sibi videtur. Etenim Marcianus lib. XIV. Institutionum, eo loco, ad quem iam antea provocavi [y]: *Inter filium*, inquit, *et servum et extraneum*, *testamentum scribentes*, *hoc interest*, *quod in extraneo*, *si specialiter subscriptio facta est:* *„Quod illi dictavi, et recognovi,“* *poena cessat et capi potest; in filio vel servo vel generalis subscriptio sufficit*, *et ad poenam evitandam*, *et ad capiendum;* quibus verbis nil continetur, nisi quod monuimus antea, extraneo legatum sibi adscribenti ad fidem ei, quod scriptum sit, conciliandam speciali, filiofamilias vel servo idem facientibus generali tantum subscriptione opus esse, quae duplex subscriptio quomodo differat, ipse Marckartus bene e legibus docuit [z]). Iam vero quid hic sibi repugnat? Indiget servus, vel legato vel libertate donatus, generali subscriptione; e SCti autem sententia, libertate a servo sibi adscripta, heredis iure non plane sublato, fideicommissaria libertas dabatur; quae exceptio erat ab illa regula, generalem in servo subscriptionem sufficere, quoniam non plene valebat, quod scriptum erat, sed ab eo, quod verba testamenti volebant, aliquid detrahebatur. Verum hoc ipsum Antoninus 42
mutavit, sublataque omni exceptione istam regulam etiam in libertatibus constanter valere voluit. Omnia hic optime congruunt.

Nec maius loco nostro cum Paullo dissidium, qui

---

x) MARCKARTUS in exercitat. supra laud. §. 7. pag. 155.
y) L. 1. §. 8. D. ad leg. Corneliam de falsis.
z) MARCKARTUS l. c. §. 14. p. 165.

libro singulari ad SCtum Libonianum[a]) haec habet: *Non continetur verbis* (SCti) *servus, qui alieno testamento fideicommissam libertatem sibi adscripsit; sed de hoc potest haesitari, quoniam Senatus ita demum ei, qui sibi libertatem fideicommissam in testamento domini adscripsit, poenam remisit, si dominus subscripsit. Imo magis dicendum est, hunc contra SCtum facere, quam eum, qui legatum sibi adscribit, cum libertas omnimodo ipsi competitura sit, legatum autem domino adquiri possit.* Quaeritur de servo, qui in alieno, non in domini, testamento libertatem fideicommissariam (directam enim solus dominus dare poterat,) sibi adscripserat. Eum Paullus ait verbis SCti non contineri, quippe quod de iis tantum diserte agat, qui in domini testamento sibi adscribant; sed haesitari posse, an non sententia, ut paullo ante dixit, teneatur, quoniam Senatus, ut locum haberet libertas a servo sibi adscripta, certe subscriptionem domini postulaverit, ne servi sese, dummodo ad testamentum domini scribendum admitterentur, potestati heredis pro lubitu subtrahere possent. Cum igitur haec domini subscriptio alieno testamento, quo sibi servus libertatem adscripsisset, 43 addi nequeat, ideoque, etsi testator (ut fieri debebat,) specialiter subscripserit, tamen non constaret, utrum sponte egerit, an excitatus sit a scribente ad tribuendum in fraudem domini, quem is odisset et cui se subtrahere vellet, libertatis beneficium, propterea censet Paullus, hunc servum magis etiam contra SCtum agere, quam illum, qui legatum sibi (sc. in alieno testamento) adscripserit; huius enim commodum ad dominum pervenire, libertatem servo, etiam cum detrimento domini, competere. Ita enucleatus locus ostendit, servum, alieno testamento libertatem sibi adscribentem, licet testatoris subscriptione speciali munitum, neque poena Corneliae legis stricto iure absolutum fuisse, quamquam hanc ipsi pro ea, quam iam ante laudavi, clementia Imperatores haud dubie semper remiserint, neque aliquid scriptione

---

a) L. 22. §. 9. D. cit.

sua lucratum esse [b]). Quae quidem uti hic exposuisse nexus interioris causa non piget, ita non intelligas, quomodo illis, quae supra diximus, adversentur. Nam quod dicitur, Senatum ei, qui fideicommissam libertatem in testamento domini sibi adscripserit, poenam remisisse, si dominus subscripserit, idem est, quod nos proposuimus, 44 nec Callistrato repugnat, quippe hic libertatem sine mora consequebatur, nec aliquid, ut in directa, subtrahebatur. Caetera de alieno servo aliaque, quam de qua Pius rescripsit, specie agunt. Itaque de ficto dissensu satis.

Non cognovisse autem, certe non secuti esse Antonini rescriptum videntur Impp. Diocletianus et Maximianus, dum Aufidio cuidam, qui ipse sibi in testamento domini libertatem adscripserat, deque eius scriptionis effectu illorum voluntatem expetierat, his verbis rescripserunt [c]): *Si libertatem tibi tua manu, imperante domino, adscripsisti, cum proponas, dominum non subscripsisse et suis litteris tuam libertatem expressim adgnovisse, ad impetrandam libertatem SCti auctoritas tibi obest, poena tamen falsi tibi remittitur, quoniam non potueras contra domini voluntatem venire.* Licet enim Marckartus [d]) coniiciat, hoc loco sermonem esse de servo, cuius dominus nec generali nec speciali formula subscripserit, tamen verba: *non subscripsisse et suis literis tuam libertatem expressim adgnovisse*, generalem subscriptionem, sine speciali, adfuisse satis ostendunt. Posteriori enim, ut formula supra proposita docet, libertatem *expressim* adgnoscebat testator, cum in priori ne mentio quidem

b) Digna est, quae observetur, constantia et conformitas huius SCti, quod eodem modo, quo paullo ante vidimus heredi, hic ipsi domino videmus consuluisse, atque uti illic, ita et hic iuribus servorum favorique libertatis aliquid detrahi, quam dominos laedi, maluisse. Non laudo hanc duritiem, cui humanitas Antonini longe praeferenda est; prudentiam laudo et principiorum egregiam *ἀφορμήν*, Antonini rescripto aliquatenus certe sublatam, nisi forte coniicias, eundem etiam de servo in testamento alieno libertatem sibi adscribente, ut ad libertatem perveniret, nec puniretur, vel incognita aliqua et a iuris auctoribus nobis non servata constitutione re vera rescripsisse, vel certe, si occasio ita ferret, rescribere voluisse.

c) L. 6. C. de his q. s. adscrib.

d) Marckartus l. cit. pag. 16.

datae scriptori libertatis iniiceretur. Induxerunt Marckartum ad istam coniecturam verba: *non subscripsisse*, quo-
45 rum tamen sententia sequentibus definitur. Imperatores igitur, sublato ex parte tam SCto quam Divi Pii rescripto, eos, qui sibi adscripserint, non nisi speciali subscriptione addita liberos esse iusserunt, cum in generali Senatus et Antoninus adquievissent; illud vero retinuisse videntur, ut, si directa libertas scripta esset, servus orcini liberti iure (secus ac SCtum vellet,) potiretur. Et specialem quidem subscriptionem quod requisiverunt, ac SCti auctoritatem, quo minus generalis sufficeret, obstare dixerunt, in eo parum adcurate et diligenter, parum etiam commode et utiliter versati esse videntur. Quippe repugnat id SCti verbis non minus, quam sententiae, et non intelligitur, quam ob causam ab universa illa regula, qua in iis, quae in domini testamento servus sibi adscripsit, generalem subscriptionem sufficere sancitur, in ipso libertatis, alias tam egregiis privilegiis munitae, casu usque eo discedendum fuerit, ut non modo non adiuvaretur causa servi, sed nova etiam impetrandae libertati difficultas obiiceretur, novi limites scriberentur.

Caeterum ad omnem hanc quaestionem non inepte conferas illum Marciani locum, quo legitur [e]): *Ille servus liber non erit, qui coegerit, ut eum dominus manumittat, et ille perterritus scripsit, liberum eum esse*, quae verba ostendunt, etiamsi ipse testator, non servus, libertatem adscripserit, quantumvis magnus huius fuerit favor, quaestionem tamen de vi vel dolo servi incidere potuisse.

46 Hactenus de servis. Addidit autem Antoninus: quae de his, iussu domini scribentibus, constituerit, ad liberas personas, in quas nullam testator potestatem habuerit, referenda quidem non esse; quaeri autem nihilosecius debere, annon necessitas obsequii eodem modo, quo servos, eos excuset, qui, quae non liceat, faciant, ideoque etiam liberi interdum ad capiendas, quas sibi vel suis adscri-

---

e) L. 8. pr. D. qui et a quib. manum.

pserint, portiones admittendi, certe omni poena eximen-
di sint? Cuius rei luculentissimum exemplum ipsa illa,
quam supra [f]) ex Scaevolae loco proposui, specie conti-
netur, quaedam autem alia adfert Callistratus, his, quae
sequuntur, verbis. Ait enim: *Matri quoque, cui per
servum suum, dictante filio, legatum scriptum esset, ve-
niam tribuendam legis Corneliae, placuit.* Monitum est
antea, cum ab iis, quos in potestate civis haberet, ali-
quid ipsi fuerit adscriptum, non modo capere id eum non
potuisse, sed etiam in poenam incidisse. Eam vero poe-
nam, forsitan ipso D. Pio auctore, remitti placuit matri,
quae per servum suum adscribi sibi aliquid in filii testa-
mento passa esset. Succurrebat enim ei honestissima ex-
cusatio ex ipsa, quae eam filiumque intercedebat, ar-
ctissima coniunctione, deficiente tamen potestatis, quae
patri in filium competeret, vinculo. Ipsa igitur rei natu-
ra suadebat, ut, quidquid per servum matri adscriptum
esset, huius iussu neque a filio dictatum, neque a servo
scriptum, sed sponte a filio, sola in matrem pietate mo- 47
to, huic relictum censeretur, maxime postquam, facto
SCto Tertulliano, mater etiam ab intestato liberis succe-
dere poterat, eoque matris, nisi et alii ab intestato here-
des adessent, non intererat, vel ad testamentum in ipsius
favorem condendum filium adigere, vel per fraudem ac
dolum in illud irrepere. Hinc, referente Marciano [g]), ho-
nestam adeo excusationem esse filio Divi Fratres iudica-
runt, cum is in alieno testamento iussu testatoris matri
aliquid adscripserit, in cuius quippe potestate non esset,
et cuius aucta re familiari nullum ipse in praesens com-
modum caperet. Adfert ipse Callistratus et aliud hone-
stae eiusmodi excusationis exemplum: *Idem*, inquit, *in
filiam, quae, dictante matre, per ignorantiam iuris lega-
tum sibi scripserit, Senatus censuit.* Cum enim Liboia-
num SCtum ferretur, non statim adcessit Claudii edictum,
quo etiam ignorantibus veniam dari prohibebatur, quod
tamen, hac certe parte, non diu, ut ante dixi, obtinuit.

---

f) Vid. pag. 92. *g*) L. 11. §. 1. D. ad leg. Cornel. d. f.

Sed haec, quibus in liberas personas indulgentius inquiri iussit Antoninus, nec stricte huc pertinent, nec ita sunt definita et circumscripta, ut, quid iis effectum sit, adcurate possit constitui. Hoc igitur sufficit scire, Antoninum, neglecta prioris aevi immani duritie, altius in id inquiri iussisse: utrum voluntas peccandi pravaque cupido adfuerit ac vere peccatum sit, an necessitas et περιςα-
48 σεως illud tantum, quod crimini simile, neque tamen crimen esset, produxerint, an denique ignorantia ipsa optimam suppeditaverit commissi criminis excusationem.

Haec de his hactenus; quae, si nimia videbuntur, ipsa rei et gravitas et difficultas excusabit.

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Rhyso.

Si heredes iure facto testamento solemniter adierint hereditatem, ex testamento tibi libertas quaesita, postea colludentibus [h]) *tam scriptis heredibus, quam ab intestato vindicantibus successionem, adimi non potuit. Quodsi sponte repudiaverint sibi delatam successionem, omnia, quae in testamento fuerant scripta, defecisse convenit. Si vero, ut vos defraudarent libertate, collusisse eos Praeses animadverterit, secundum haec, quae Divus Pius Antoninus constituit, libertatibus consuli providebit.* L. 12. C. de testamentaria manumissione.

Ulpianus libro XIV. ad Sabinum.

Interdum etiam sine hereditate tutela defertur, interdum hereditas sine tutela, ut puta in eo, qui latitavit, cum servum rogatus esset manumittere. Nam gene-
49 *raliter Divus Pius rescripsit Aurelio Basso* [i]), *ius patroni eum non habere, his verbis: Plane tergiversatio eorum, qui subvertere fideicommissam libertatem velint, eo*

---

h) An legendum *collidentibus?* Certe sententia melior erit, et potuit error e sequentibus irrepere.

i) Num idem sit hic *Bassus*, ad quem Imperator noster etiam L. 1. C. de alend. lib. ac par. rescripsit, decernere non ausim. Nec inepte tamen id censeas, atque imperante Antonino provinciae cuiusdam praesidem fuisse coniicias.

modo puniatur, ne ius patroni adquirant in eo, quem liberum esse nolunt. L. 1. §. 3. D. de legitimis tutoribus.

Unam eamdemque constitutionem laudari, haud scio an his in locis nondum a viris doctis animadversum sit*). Locus Ulpiani est ex iis, quos *fugitivos* adpellant; adripit enim ICtus occasionem dicendi id, quod proxime huc non pertinebat. Quaerebat de casibus, quibus vel hereditas sine tutela, vel tutela sine hereditate, ex lege scilicet, deferretur, ut exceptiones regulae paullo ante propositae, legitimam tutelam iisdem deferri, qui ad hereditatem legitimam admitterentur, adferret. Cum igitur legitimi et tutores et heredes libertorum sint patroni, casum exponit, quo his hereditas sine tutela deferatur, scilicet si latitet heres rogatus servum manumittere. Si enim, ut mox legitur plenius apud Ulpianum [k]), forte ex Rubriano SCto, pervenerit servus ad libertatem, non habebit tutorem eum, qui rogatus est ipsum manumittere, licet heredem, sed orcinus libertus factus, ipse ad familiam testatoris, quem patronum colit, *tutela* autem eius, *quae ad patronos*, h. e. manumissores testamento destinatos, *non pertinuit*, si sit 50
impubes, *ad liberos patroni*, h. e. testatoris, *primos pertinebit*, quamquam illis prioribus ius succedendi maneat. Quod quo certius sit, adfert ICtus generale rescriptum (i. e. constitutionem) Divi Pii, qua sancitur, tergiversationem (i. e. fraudem, dolum) eorum, qui subvertere fideicommissam libertatem voluerint, ita esse puniendam, ut ius patroni non adquirant fiduciarii. Qui autem patronus non est, nec tutor liberti legitimus erit. Generalius igitur est rescriptum, quam ut ad solam speciem, de qua Ulpianus loquitur, referendum sit. De latitante enim herede idem dudum SCto Rubriano cautum erat; Antonini autem sanctio ad quamcunque malitiosam debitae libertatis vel impugnationem, vel obtrectationem pertinet, ut, si forte serius heres adierit hereditatem, vel servo criminis

---

*) [Retractavit haec ipse auctor in Iudicum corp. iur. civ. supplemento (infra num. IV.) §. 5 ad L. 12. C. de testam. manumiss, id quod ZIMMERNIUM *Gesch. des Röm. Privatr.* Vol. I. §. 203. not. 37. p. 751. latuisse videtur.]

k) L. 3. §. 3. D. de legit. tutor.

quaestionem moverit, vel alienum servum non redemerit, vel cum aliis de impedienda libertate colluserit, decretum magistratus servo perinde libertatem tribuat, ac si directe in testamento data esset. Est igitur lex supplementum Rubriani SCti. Et licet *eum locupletiorem non esse factum, qui libertum adquisierit*, ipse Ulpianus alibi [l]) profiteatur, neque igitur poena inesse constitutioni, quam prae se ferat, videri possit, non contemnenda tamen erant commoda cum patronatus iure coniuncta, certe qui servum libertum retinebat, aequius id ferre poterat, quam qui omnem in eum potestatem amittebat. Atque idem Ulpianus alio loco [m]): *Interest*, inquit, *nostra libertos libertasque habere*. Sapientissima igitur fuit haec Imperatoris nostri constitutio, sapientissima ea, quam statuit, poena, quae simul servum, serius aut difficilius ad libertatem venientem, indemnem praestaret.

Imperatores Diocletianus et Maximianus, cum eos Rhysus quidam, fideicommissa libertate testamento domini, quod legitimi heredes impugnarint, cum pluribus aliis servis donatus, cui iam, uti caeteris, variae impetrandae libertatis difficultates moverentur, adiisset, hereditate semel adita libertatem testamento datam necessario deberi nec adimi posse, etsi a legitimis heredibus hereditas vindicetur, rescripserunt. Quodsi scripti heredes successionem *sponte* repudiaverint, omnia deficere, neque libertates deberi; quae sunt satis nota iuris principia; si vero, addunt Principes, Praeses eos animadverterit subvertendarum libertatum causa cum legitimis heredibus collusisse, eumdem, secundum ea, quae Divus Pius Antoninus constituerit, libertatibus consulere debere. Etenim in eo, qui magnam relinqueret familiam, fieri potuit, ut heredes legitimi scriptis, minus forte firmo iure innisis, pecuniam offerrent, quo, hereditate repudiata atque ad se translata, servos in potestate retinerent, cum, si prius scriptum heredem adire paterentur, dein cum eodem de iure suo contenderent, interim libertas deberi servis inceperit. Hinc

---

l) L. 126. §. 1. D. de reg. iur. *m*) L. 5. pr. D. de liber. causa

τῳ sponte repudiare opponitur *το colludere.* Itaque, sive hoc modo cum legitimis heredibus, sive alio modo inter se colluserint scripti heredes, ad Divi Pii constitutionem ablegant Praesidem Imperatores, quae quidem est haud dubie ea, quam modo explicuimus. Cum enim heredes subvertere fideicommissam libertatem voluerint, rectissime servi liberi orcinorum libertorum iure declarabantur, atque illi, penes quos remanebat hereditas, sive legitimi, sive scripti, iure patronatus privabantur. Tam clara est legum conformitas, ut vix quemquam putem dubitaturum, eamdem, de qua Imperatores cogitarunt, D. Pii constitutionem in Digestis nobis esse servatam.

Ulpianus libro V. Fideicommissorum.

Quoties autem fideicommissaria libertas relinquitur efficaciter, in ea causa est, ut neque alienatione, neque usucapione extingui possit. Ad quemcunque enim pervenerit is servus, cui fideicommissa libertas relicta est, cogi eum manumittere; et ita est saepissime constitutum. Cogetur igitur is, ad quem servus pervenerit, fideicommissam libertatem praestare, si hoc maluit is, qui rogatus est; latius enim adceptum est, ut et si sub conditione fuit ei libertas relicta, et pendente conditione alienatus sit; attamen cum sua causa alienetur. Quodsi nolit ab eo manumitti, seu potius ab eo velit ad libertatem
perduci, qui erat rogatus eum manumittere, audiri eum 53
oportere, Divus Hadrianus et Divus Pius rescripserunt. Quinimo et si iam manumissus est, velit tamen potius eius libertus fieri, qui erat rogatus eum manumittere, audiendum eum, Divus Pius rescripsit. Sed et si ex persona manumissoris vel ex quacunque causa manumissus ostendere potest, ius suum laedi manumissione vel etiam laesum, succurri ei ex his constitutionibus oportet, ne contra voluntatem defuncti durior eius conditio constituatur. Plane si ea sit defuncti voluntas, ut vel a quocunque manumitti voluerit, dicendum est, constitutiones supra scriptas cessare.

Paullus lib. III. Fideicommissorum.

Si heres, qui vendidit servum, sine successore decesserit, emtor autem extet, et velit servus defuncti libertus esse, non emtoris, non esse eum audiendum, Valens scripsit, ne emtor et pretium et libertum perdat.

Ulpianus lib. V. Fideicommissorum.

Cum vero is, qui rogatus est alienum servum manumittere, mortalitatis necessitate vel bonorum publicatione ad alium servum perduxit, magis opinor, constitutionibus esse locum, ne deterior conditio fideicommissae libertatis fiat. Nam et cum quidam rogatus esset, cum moreretur, servum manumittere, isque decessisset libertate servo non data, perinde eum habendum constitutum est, atque si ad
54 *libertatem ab eo perductus esset; potest enim ei testamento dare libertatem utique directam. Sic fit, ut, quoties quis libertatem adcepit fideicommissariam, si ab alio, quam qui erat rogatus, manumittatur, auxilium constitutionum habeat, perindeque habeatur, atque si ab eo manumissus fuisset, quoniam fideicommissis libertatibus favor exhibetur, nec intercidere solet destinata fideicommissa libertas; qui enim ea donatus est, in possessione libertatis interim esse videtur.* L. 24. §. 21. L. 25. L. 26. princ. D. de fideicommissariis libertatibus.

Marcianus libro IX. Institutionum.

Si non hereditarium servum quis rogatus fuerit manumittere, sed proprium, ex SCto Iunciano post pronunciationem pervenit ad libertatem. Sive iusta ex causa absit, sive latitet, sive praesens non vult manumittere, pro absente eum haberi, Divus Pius rescripsit. L. 51. §. 8. 9. D. eod.

Tam arcte totus prior locus cohaeret, ut salvo sensu singulae partes separari nequeant. Ait ICtus: eum, ad quem servus, ultima voluntate testatoris domini fideicommissa libertate donatus, alienatione, usucapione, aliove modo, sine culpa tamen fiduciarii, (quippe vel conditio-

nem servi ignorantis, vel alio modo, quo minus manumitteret, impediti,) pervenerit, ad manumittendum cogi posse, atque ita esse saepissime (haud dubie etiam ab Antonino Pio) constitutum. De statulibero idem et mox ad- 55
dit Ulpianus, et alio etiam loco tradit [n]). Quodsi ipse servus non ab eo, ad quem pervenerit, sed ab eo, qui id facere in testamento rogatus sit, manumitti velit, post Hadrianum dicit D. Pium rescripsisse, eum esse audiendum. Petens nimirum libertatem servus poterat simul a Praetore, ut potius eius, qui patronus sibi in testamento constitutus esset, quam extranei libertus fieret, desiderare, atque tum audiri eum, examinari rationes, et, si idoneae visae sint, vel possessorem ad retrovendendum priori domino servum, dominum autem ad manumittendum cogi, vel brevi statim manu servum pristini domini libertum declarari, emtorem tamen a patrono indemnem praestari, aequum erat. Unde in huius rescripti sententiam aperte etiam Paullum descendisse legimus, quo loco [o]): *Invitus*, ait, *is, cui fideicommisso libertas relicta est, non est tradendus alii, ut ab eo manumittatur et fiat alterius libertus, quam qui rogatus est manumittere;* nec minus clare Marcianum, qui [p]) eumdem *non esse*, dicit, *in alium transferendum, ut aut libertas impediatur, aut patronatus iura graviora experiatur. Interest enim nonnunquam*, ut ait Modestinus [q]), *a sene potius, quam a iuvene manumitti; si quis* (autem) *ex causa fideicommissi manumissurus est, nullo modo deteriorem eius servi con-* 56
ditionem facere potest, ideoque nec vendere eum interdum (sc. si sit servus hereditarius, ad quem solum Antonini constitutio pertinet,) *alii potest, ut ab eo, cui traditus est, manumittatur, et si tradiderit, redimere illum cogitur et manumittere;* qui locus egregiam nostro lucem adfert. Neque aetas tantum diversa, (quippe morte patroni ἀπαιδος patronatus nexus extinguebatur,) sed et mores diversi facere poterant, ut quis alium prae alio patro-

n) L. 2. pr. D. de statulib.
o) L. 34. pr. D. de fideic. lib.
p) L. 51. §. 3. D. de fideic. lib.
q) L. 15. D. eod.

num habere mallet. Hinc in Basilicis legimus [r]): *Ὁ ὑπο ὅρον ἡ ὑπο αἱρεσιν ἀξιωθεις ἐλευθεριας, ὁποσουν ἐκποιηθεις, ἐλευθερουται, και ἐπιλογην ἐχει, ἠ του κληρονομου ἠ του ἀγοραςου εἰναι ἀπελευθερος.* Quod Imperatores dixerunt, audiri servum querentem oportere, id Graeci statim electionem ei dandam reddiderunt. Sed adcuratius locum vertit Scholiastes.

Addidit D. Pius constitutioni Hadrianeae a se repetitae novum hoc, ut servo, etsi emtor eum iam manumiserit, si rogatum potius patronum habere vellet, ne conditio eius ulla ratione deterior redderetur, facultas adeundi Praetoris competeret; qui haud dubie auctoritatem suam interponebat declarando: eodem iure statum servandum, ac si ab eo, qui rogatus esset ipsum manumittere, libertatem impetrasset.

Per interpretationem autem harum Antonini legum, quam in sequentibus Ulpianus persequitur, ait ex istis etiam ei succurri oportere, qui ulla ratione ostendere possit, ius suum manumissione laedi, vel iam laesum statumque contra voluntatem defuncti deteriorem redditum esse. In quam sententiam idem Ulpianus loco paullo post sequenti [s]) Divum Marcum rescripsisse dicit, his verbis: *Fideicommissas libertates neque aetate, neque conditione, neque mora non praestantium tardiusve reddentium, corrumpi aut in deteriorem statum perduci.* Sed si ipsa defuncti fuerit voluntas, ut a quocunque, ad quem pervenerit servus iste, manumitteretur, cessare illas leges iure declaratur, quippe ista voluntas prae caeteris consulenda, nec in deteriorem status servi mutatur, quem testator ipse mutari voluit. Iam interpositus est locus Paulli, ex Valente (qui Antonini, ut scimus, consiliarius, haud dubie leges eius diligentissime est interpretatus,) adferentis alium casum, quo iussa illa Imperatoris cessent. Nam si heres vendito servo sine successore moriatur, servus autem defuncti, non emtoris, libertus esse cupiat, iam eum non

---

r) Basilica T. VI. p. 333. et Scholia p. 365.

s) L. 30. §. 16. D. eod.

audiendum Valens scripsit, ne emtor et pretio et liberto
defraudaretur. Nempe quoties ab emtore servus manu-
mittendus repetebatur, pretium emtionis ab eo, qui ser-
vum manumittere volebat, restituendum erat. Quod ut
aequitati convenientissimum, ita in Caecilii cuiusdam an-
cilla mox expresse ab Imperatoribus sancitum videmus [t].
Herede vero, qui debebat libertatem servumque vendi- 58
derat, sine successore mortuo, non aderat, qui pretium
exsolveret, unde emtor, si Praetor servum defuncti liber-
tum declarasset, et pretium et libertum sine culpa sua
perdidisset; quod quidem non ferendum, imo hoc potius
casu a constitutionibus discedendum erat. Interpositis his
pergit Ulpianus, in eo, qui alienum servum manumittere
rogatus sit, si vel morte eius ad heredem, vel bonorum
publicatione ad fiscum servus, iam redemtus, sed non-
dum manumissus, cum bonis rogati pervenerit, constitu-
tionibus esse locum, ita nimirum, ut servus defuncti li-
bertus declaretur, non heredis, aut, publicatis bonis, rei,
non fisci. Nam etiamsi is, qui rogatus sit, cum morere-
tur, servum manumittere, ante libertatem ei datam deces-
serit, constitutum esse, perinde habendum, ac si ad li-
bertatem ab eo, qui rogatus erat, perductus esset. Quod
quidem hoc nexu nemo dubitabit ab ipso Antonino Pio
esse constitutum. Ratio adfertur: *quia possit servo testa-
mento libertatem dare utique directam* [u]. Hoc autem
cum is, qui rogatus esset, facere potuerit, et vero ex
officii ratione facere debuerit, favore libertatis, etiam non
factum, factum fingitur. In eo, qui sub conditione ma-
numissionis venierit, mortuo emtore, necdum manumisso
servo, idem postea D. Marcus [v] constituit. Addit deni-
que ICtus in universum, quotiescunque libertas data sit
fideicommissaria, si ab alio, quam qui rogatus sit, ser- 59
vus manumittatur, auxilium constitutionum eum habere,
ob favorem fideicommissariae libertatis, qua donatus, in

---

t) L. 26. §. 2. D. eod.

u) De scriptura horum verborum vid. quae supra pag. 80. nota l. diximus.

v) L. 1. et 3. D. de his qui sine manum. ad libert. perven.

possessione statim libertatis esse et ius in eam quaesitum habere videatur.

Cum vero vim et ambitum harum legum tam utilium tamque late patentium ipse ICtus adeo diligenter ac sedulo exposuerit, non est, ut multa addantur; de hoc vero lectores monendi sunt, ad eos tantum, qui *inscii*, *certe nolentes*, *servum hereditarium*, fideicommissa libertate donatum, vendiderint, *antequam coram tribunali Praetoris libertatem peteret*, has constitutiones pertinuisse. Docent id cum verba ipsa ICti, maxime quae ad *mortis necessitatem* et *bonorum publicationem* pertinent, eorumque, quae post verba a nobis exhibita apud eum sequuntur, similitudo, (quamquam inter principium et §. 1. loci nostri quaedam vel excidisse, vel potius incuria Triboniani inepte omissa censeam, quippe non bene cohaeret sententia,) tum alia ICtorum loca, huic nostro, nisi ita concilies, e contrario opposita. Nam petita a servo libertate, qui eumdem dissimulata eius conditione vendiderat, non modo ab emtore actione emti conveniri poterat, atque in stellionatus crimen et poenam incidebat [x]), sed etiam patronatus iura amissa in emtorem transmittebat; quippe qui, cum servum libertate, omnium bonorum summo, privare voluerit, adeo infensum in eumdem animum probasse videretur, ut dubitari non posset,
60 emtorem, quicunque tandem esset, meliorem patronum, nec servi conditionem ullo modo deteriorem esse futuram, quam testator voluerit. Praeterea quadrabat in illum ipsa, quam modo explicuimus, constitutio, qua eorum, qui subvertere libertatem voluerint, poenam Imperator definivit. Itaque Ulpianus non longe a nostro loco [y]): *Si eum servum*, inquit, *cui erat fideicommissa libertas relicta, distraxerit is, qui erat rogatus*, (supple: sciens conditionem eius petitaque iam ab eo libertate; et animadverte discrimen του *distrahere* hoc loco, et του *ad alium pervenire* nostro,) *et emtor quidem latitet, is autem, qui rogatus erat, praesens sit, an Rubriano SCto locus sit?*

---

x) L. 9. §. 1. D. de statulib. *y*) L. 28. pr. D. de fideic. lib.

*Et ait Marcellus, Rubriano locum esse, quia abest, quem
manumittere oportet*; ex causis enim adlatis is, qui ro-
gatus erat, manumittere non poterat. Cum igitur emtor
latitaret et ipse, ac puniendus, libertati autem, deficien-
tibus, qui eam praestarent, omnibus, ne frustra scripta
videretur, subveniendum esset, ex Rubriano SCto liber
declaratus servus, orcini liberti iure potietur; nisi forte,
quem casum ipse, ad quem nunc Ulpianus provocavit,
Marcellus alibi [z]) tractat, latitante emtore, ipse servus ab
herede praesente manumitti atque hunc, quam nullum,
patronum habere malit. Tum enim *non esse ei interve-
niendum, quoniam potuerit uti SCto, ut quasi ex testa-
mento ad libertatem perveniret*, suaeque voluntatis incom- 61
moda ipse sentire debeat, ICtus modo nominatus respondit.

Haec in hereditariis servis, prouti vel ante vel post petitam libertatem, et hinc vel bona fide vel fraudulenter, venditi erant, varie obtinebant. Sed servi non hereditarii alia rursus causa erat; de hoc enim SCto Iunciano diserte cautum est, Marciano teste [a]), *ut emtor manumitteret.* Scilicet si servum, vel proprium vel alienum, heres iussus erat manumittere, eumque dolose, petita iam libertate, vendiderat, (nam si prius ignorans fecerat, constitutiones Antonini, ut vidimus, ei succurrebant,) emtor tenebatur ad manumittendum, ac manumittere expresse SCto Iunciano iubebatur. Nec latitante emtore diversa erat ratio, sed servus decreto Praetoris eius, qui manumittere tenebatur, h. e. unice emtoris, libertus declarabatur. Neque enim SCtum Iuncianum ullam poenam minatum est, sed iussit tantum [b]): *Si quis ex his, qui fideicommissam libertatem ex quacunque causa deberent servo, qui mortis tempore eius, qui rogavit, non fuerit, adesse negabitur, Praetor cognoscat; et si in ea causa*

---

z) L. 10. §. 1. D. eod.

a) L. 51. §. 3. [imo 10.] D. eod. — [Non ad Iuncianum, sed ad Dasumianum SCtum rectius hunc locum referunt ZIMMERN *Gesch. d. Röm. Privatr.* Vol. I. P. II. §. 203. not. 30. p. 751. et KAEMMERER Probabil. iur. civ. cap. I. Interpretatio Fr. 20. D. de fideic. lib. (XL. 5.) Rostochii 1828. 8. p. 25. not. 29.]

b) L. 28. §. 4. eod.

esse videbitur, *ut*, *si praesens esset*, *manumittere cogi deberet*, *id ita esse pronunciet*. *Cumque ita pronunciasset*, *idem iuris fore*, *quod esset*, *si ita*, *ut ex fideicom-*
62 *misso manumitti debuisset*, *manumissus esset*; unde ipse Ulpianus [c]) addit: *non esse necesse evocari* (hoc casu) *eum*, *qui fideicommissam libertatem debere dicatur*; *quia etiam absente eo*, *si constiterit libertatem deberi*, *pronunciari possit*, *iusta de causa eum abesse*, *nec libertum perdat*; et propius ad rem nostram Paullus [d]): *Si quis*, ait, *posteaquam in ea causa esse coeperit*, *ut ex fideicommisso manumitti deberet*, *alienatus sit*, *is quidem*, *cuius interim servus erit* (h. e. emtor), *manumittere cogetur*, *sed hic non distinguitur*, *iusta an non iusta causa absit*, *omnimodo enim libertus* [e]) *ei servatur*, quae verba ad servum tantum heredis proprium, non ad hereditarium manumitti iussum referenda esse, ipse nexus, quo posita sunt, ostendit. Atque in eamdem sententiam rescripsit etiam eo, quem interni huius nexus causa Ulpiani verbis adiunximus, Marciani loco, Imperator noster Antoninus. Cum enim proprium heredis servum, latitante herede vel ulla de causa libertatem non praestante, post pronunciationem Praetoris, libertatem deberi, ad eamdem
63 pervenire ICtus docuisset, addidit: Divum Pium rescripsisse, quemlibet, sive iusta ex causa absentem, sive latitantem, sive praesentem, sed manumittere nolentem, *pro absente* (sc. non dolose) *haberi*, i. e. excusari, nec patronatus iuribus privari. Quo quidem rescripto non tam supplevisse, quam declarasse et interpretatus esse SCtum Iuncianum *) optimus Princeps videtur; ipsius enim SCti

c) L. 28. §. 5. eod.

d) L. 29. eod.

e) Ita enim, non *libertas*, legendum esse, quod Florentinam et Haloandrinam indeque editiones, quantum scio, omnes occupavit, sensus facile quemque doceret, licet Graeci interpretes minus clare proderent, qui (T. VI. p. 336.) habent: *και ἀπελευθερος αὐτου ἐςαι*; et clarius Scholia p. 370. *πασι γαρ τροποις αὐτου γινεται ἀπελευθερος ὁ οἰκετης ἐλευθερουμενος*. Neque nos primi id observavimus. Vid. praeter alios Em. Merillii Observatt. lib. VI. c 24. in Opuscc. (Neap. 1720.) P. I. p. 219., qui rectissime locum interpretatus est. — [Consentit Kaemmerer in libello not. a. allegato p. 26. not. 30.]

*) [Zimmern tamen l. l. nec hunc locum (§. 9. L. 51. cit.) ad SC. Iuncianum pertinere censet; cf. pag. 111. not *)]

verbis et sententiae hoc ipsum iam inerat [f]). Quodsi causam requiras, cur hereditarium servum manumittere rogatus, ubi latitet vel fraudulenter agat, patronatus iura perdat, proprium qui ad libertatem perducere deberet, eadem non perdat, peti eam iubeo ab ipso Paullo, qui alio loco [g]) haec habet: *In fideicommissariis libertatibus, si absente herede Praetor pronunciasset, libertatem deberi, est et liber, et defuncti libertus, si et servus eius* (sc. defuncti) *fuit, aut heredis, si servus heredis sit.* Iniquum enim ex SCti Iunciani et qui hoc interpretatus est, Divi Pii auctoritate censebatur, heredem vel eum, qui absentia sua subvertere libertatem voluerit, cui iam de suis bonis aliquid subtraheretur, adeo puniri, ut in servum, quem antea pleno iure possedisset, nullam am- 6
plius potestatem retineret, neque ferendum, servum, domino vivente et invito, subito magistratus decreto omni eius potestate eximi. Quod igitur in herede, etiam in eo valebat, cui idem servum suum manumittendum dolose vendidisset, ubi emtor latitaret, ad quem servus quidem cum causa sua, sed domini tamen iura plena pervenissent. Itaque servus statim quidem liber, sed absentis etiam heredis aut emtoris libertus declarabatur.

Sic igitur loca, primo obtuitu plane sibi contraria, censeo optime posse conciliari.

Ceterum movet me illud Antonini Pii, quo SCtum Iuncianum declaravit, rescriptum, ut ipsum SCtum non Commodi, ut plerique [h]) putant, temporibus, sed prius

---

f) Digna est memoratu versio huius loci, quam Scholia Basilicorum T. VI. p. 387. exhibent: *'Εαν δε μη κληρονομιαιον οἰκετην, ἀλλα τον ἰδιον παρακεκληται τις ἐλευθερωσαι, ἐξ ἑτερου δογματος λεγομενου* Iuncianum *ἐλευθερουται ὁ οἰκετης, ἀποφασεως μονης δηλουσης, ἠ ἀπο δικαιας αἰτιας ἀπολιμπανεσθαι τον χρεωστουντα, ἠ παρειναι μεν, μη βουλεσθαι δε αὐτον ἐλευθερωσαι· ἀντι γαρ παροντος και τουτον νοεισθαι ὁ θειος Πιος ἀντεγραψεν.* Bene circumscripsit locum Scholiastes, atque uno tantum decreto opus esse, claris verbis dixit. Sed pro *παροντος* haud dubie scripsit, certe scribere voluit: *ἀποντος*.

g) L. 5. coll. L. 49. D. eod.

h) v. c. CASAUBONUS ad Lampridii Commod. c. 4. p. 486. ed. Hack., RELANDUS ad Fastos p. 314., BRENCMANUS in Ep. de Consulibus, quorum in Pandectis fit mentio, adi. Fastis Almeloveenii p. 604., HEINECCIUS in Hist. iur. Rom. lib. I. c. 4. §. 302. p. 397. et BACHIUS Hist. iurispr. Rom. lib. III. c. 2. Sect. 2. §. 12. p. 429.

factum esse censeam. Licet enim Aemilius Iuncus et Iulius Severus in Digestis [i]) auctores SCti dicantur, atque a. U. c. 935. Aemilium Iuncum Atiliumque Severum Coss. suffectos fuisse, e Fastis ad eum annum et Lampridio [k]) discamus, tamen, ne levem illam in nomine Severi diversitatem urgeam, fieri facile potuit, ut iidem Coss. vel alii eiusdem nominis, iam Hadriani vel Traiani temporibus aliquando suffecti, SCtum suaderent *). Certe verosimilius
35 est, Antoninum nostrum rescripto SCtum declarasse, quam vicissim hoc illi lucem adtulisse.

Paullus lib. III. Fideicommissorum.

Si et dominus vendere (sc. servum suum, cui ab herede extraneo libertas erat relicta,) *paratus sit*, *et servus velit manumitti*, *cogendus est heres redimere et manumittere*, *nisi dominus velit servum manumittere*, *ut actio sibi pretii in heredem detur*. *Idque faciendum etiam*, *si heres latitet; et ita Imperator Antoninus rescripsit*. L. 31. §. 4. D. de fideicommissariis libertatibus.

Imperatoris Antonini nomine nostrum a Paullo insigniri, licet per se non sit verosimile, (quippe hunc ICtum Severi et Caracallae consiliarium et sub Alexandro Severo Praefectum Praetorio fuisse constat [l]), ut D. Pii temporibus vivere, imo librum scribere vix potuerit,) tamen e collatione duorum locorum [m]) luce clarius est, quibus, quas leges Paullus *Imperatori Antonino*, easdem alibi Marcianus [n]) et Modestinus [o]) D. Pio tribuunt. Itaque Paullum a communi consuetudine discessisse, et mortuum

---

i) L. 28. §. 4. D. cit.

k) Lampridius in v. Commodi c. 4. p. 486.

*) [Vulgarem de SCti Iunciani aetate sententiam defendit Zimmern l. l. not. 39. ut qui nec §. 9. L. 51. cit. ad SC. Iuncianum spectare censet. Sed vix est, ut §. 9. ad eum, qui servum non hereditarium manumittere iussus est, pertinere negemus. Quid igitur, si vel ante SC. Iuncianum de libertate servo non hereditario relicta Imperatorem rescripsisse, sed postea demum generali lege (SCto Iunciano) de ea re constitutum esse statuamus?]

l) Lampridius in v. Alex. Sev. c. 26.

m) L. 15. pr. D. qui et a quib. manum. L. 49. D. de iure fisci.

n) L. 8. §. 2. D. de manum.

o) L. 59. §. 1. D. ad leg. Falcid. coll. I. A. Bachii Traiano p. 63. in nota.

Imperatorem vocasse, eoque nomine etiam duobus aliis
locis p) D. Pium intelligendum esse, dubitari nullo modo 66
potest, licet Augustinus et Labittus haec omnia ad Caracallam referant *).

Res ipsa non obscura est. Agit Paullus de herede servum alienum manumittere iusso. Ait hunc cogendum esse, si dominus servum vendere paratus sit, (scilicet ad vendendum dominus non cogebatur, ut et Paullus ipse brevi ante dixit, et alia quaedam ICtorum loca ostendunt q),) ad emendum atque manumittendum. Quod si facere nolit, pergit, posse dominum servum manumittere heredemque pretii nomine convenire, in quo nihil periclitari poterat, cum servum ita libertum etiam adciperet, sin venderet, heredem faceret patronum. Idem vero Antoninus noster tum faciendum censuit, cum heres latitaret, ut nimirum dominus, manumisso interim servo, redire ad heredem atque eum de pretio convenire, patronatus autem iura ad eumdem transferre deberet, quippe quibus contra voluntatem defuncti, ex ipso SCto Iunciano, qui rogatus erat alienum vel non hereditarium servum manumittere, privari non poterat.

Ulpianus libro V. Fideicommissorum.

Si infans sit inter eos, qui manumittere debent, Senatus censuit: cum unius aetas impedierit, ut liberi liberaeque sint hi, quibus libertates ex causa fideicommissi
praestari oportet. Hoc idem erit dicendum, et si solus 67
sit heres institutus, qui fari non potest..... Quicunque igitur casus inciderit, quo is, qui fari non potest, fideicommissae libertati subiectus est, adcommodabimus mentem SCti, quae etiam ad heredem infantem rogati trahenda est.... Si plures heredes sunt instituti, et inter eos, qui fari non potest, sed non ipse rogatus sit servum

---

p) L. 43. D. de hered. pet., L. ult. D. de poenis.

*) [Quibus assentitur etiam Kaemmerer *Beitr. zur Gesch. und Theorie des R. R.* vol. I. p. 18. —24. Caracallam enim non raro D. Pii rescripta repetiisse, p. 23. recte monet.]

q) L. 92. §. 1. coll. L. 71. §. 3. D. de leg. I.

manumittere, non oportet intercidere libertatem ob hoc, quod coheredibes suis vendere eam infans non possit. Et extat quidem SCtum Vitrasianum, sed et Divus Pius Cassio Dextro rescripsit: ita rem explicari, ut partes servorum, quibus per fideicommissum libertas data est, iusto pretio aestimentur, atque ita servus ab his, qui rogati sunt, manumittatur. Hi autem, qui eos manumiserunt, pretii nomine perinde fratribus et coheredibus suis obligati erunt, atque si ob eam rem ex iudicati causa cum his agi possit. L. 30. §. 1. 2. 4. et 6. D. de fideicommissariis libertatibus.

Marcianus lib. IX. Institutionum.

Praesens coheres perinde manumittat, atque si traditum a coherede adcepisset. Quod et in impuberis persona coheredis, qui non erat rogatus manumittere, eumdem Principem [r]) *rescripsisse relatum est.* L. 51. §. 11. D. eod.

Coniungenda Ulpiani verba, omissis, quae aliena essent, putavi, quo facilius de omni re possit disputari.
68 Sermo est de infante instituto cum aliis heredibus, et rogato, servum unum vel plures manumittere. Quae species magna laboravit difficultate, eam ob causam, quod nullus locus esset in infantis negotiis administrandis tutoris auctoritati [s]), nec tamen manumissio, quae administrationis officio contineri non videbatur [t]), a tutore solo plane peragi posset [u]). Patet igitur, quando infans fideicommissam libertatem deberet, neque in ipsius infantis, neque etiam in tutoris potestate positum fuisse, ut testatoris voluntati satisfieret. Verum enim vero *non intercidere solet, nec ullum impedimentum pati debet*, uti paullo ante [v]) dixit Ulpianus, *destinata fideicommissaria liber-*

r) h. e. *Divum Pium.* Praecesserat enim locus supra pag. 103. exhibitus.

s) L. 1. §. 2. D. de admin. et peric. tut. coll. L. 9. D. de adquir. v. omitt. hered.

t) L. ult. D. de cur. fur., L. 13. D. de manum.

u) L. 6. C. qui manum. n. poss.

v) L. 26. pr. et §. 6. D. de fideic. lib.

tas. Itaque Senatus censuit: *cum unius* (sc. ex heredibus) *aetas impedierit, ut liberi liberaeque sint, quibus fideicommissaria libertas data sit.* Excidisse quaedam videri possent post verbum *impedierit*, (vix enim scimus, quid impeditum sit,) cum praesertim Basilicorum Scholia exhibeant locum ita [x]): *'Εαν εἷς των χρεωςουντων την φιδεϊκομμισσαριαν ἐλευθεριαν ἐμφας ἐςι, ἡ συγκλητος ἐδογματισεν, μη ἐμποδιζεσθαι την ἐλευθεριαν την κατα φιδεϊκομμισσον κεχρεωςουμενην δια την του χρεωςουντος αὐτην ἡλικιαν.* Attamen non male fluit oratio, si suppleas liber- 69
tatis vel manumissionis vocabulum, et sequens *ut* ad *censuit* referas, ut nulla opus sit coniectura et Basilicorum Scholiastes ellipsin tantum supplevisse videatur. Iubet autem SCtum, liberos liberasque esse fideicommissaria libertate donatos, ita nimirum, ut interponatur decretum Praetoris: *perinde liberos liberasque servos servasve esse, ac si ab eo, qui rogatus esset manumittere, manumissi manumissaeque essent*, qualia decreta solebant etiam e Dasumiano et Iunciano SCto interponi, quoties citra eius, qui libertate donatus esset, culpam, propter legitimum autem eius, qui eamdem deberet, impedimentum, fideicommissaria libertas in discrimen vocabatur. Quod addit Ulpianus: idem et si solus infans heres institutus sit, valere, per se clarum est. Interpositis quibusdam de pupillo infantiam egresso, quae ad nos non pertinent, Ulpianus pergit: *Adcommodandam esse mentem SCti ad omnes casus, quibus, qui fari non possit, libertatem debeat, atque etiam ad heredem infantem rogati*, quando nempe is, qui manumittere rogatus esset, ante quam id facere vel potuerit vel voluerit, decesserit et heredem infantem reliquerit. Sunt haec luce clariora. Pessime autem Haloander edidit: *ad heredem infantem rogatum*, sine sensu, esset enim haec mera praecedentium repetitio; recte Basilica exhibent [y]): *το αὐτο κἂν ὁ κληρονομος του ἀξιωθεντος ἐλευθερωσαι ἐπταετης ἐςιν.*

---

x) Basilica T. VI. p. 370.

y) Basilica T. VI. p. 336. et Scholia pag. 370.

70 Transimus hinc ad §. 6. Ait ICtus: *Si plures heredes, et inter eos infans, instituti sint, sed non ipse infans rogatus sit servum manumittere, non oportet* [z]) *intercidere libertatem ob hoc, quod infans vendere eum coheredibus non possit*, tutori enim id facere non licebat. Iam addit: *et extat quidem SCtum Vitrasianum;* cuius SCti cum nullibi alias fiat mentio, quaesitum est de aetate et argumento eius curiose. Nomen recte se habere, licet codd. et editiones quaedam *Thrasianum* habeant, cod. Florentinus et Basilica docent, quae reddunt: *δογμα συγκλητου Βιτρασιανιον.* Antonius Augustinus primum [a]) se nihil hac de re scire ingenue professus est; postea [b]) vero Vitrasium Pollionem, sub Antonino Pio, ut putabat, bis Consulem, auctorem designavit. Franciscus Hotomanus [c]) primus ad T. Vespasiani tempora retulit, auctorem laudans T. Vitrasium Pollionem, quem cum Sulpicio Galba, in M. Plautii Silvani et M. Annii Veri Pollionis, Consulum ao. p. Chr. nat. 81., locum ex Calendis Iuliis suffectum esse ait. Sed unde vir doctus haec sua hauserit,
71 neque a quopiam hucusque ostendi potuit, neque ego scio; per omne enim Flaviae gentis imperium Vitrasius Consul non comparet. Recte igitur reprehensus est, licet nomine non addito, a P. Fabro [d], qui tamen et ipse ab erroris nota non liber est. Caeterum Hotomani sententia, licet nomine tantum viri, sed nullis plane argumentis fulta, ita auctoritatem suam tuita est, ut viri docti, qui leges et SCta referrent, ubi ad Vespasianum ventum esset, ad unum omnes etiam Vitrasiani mentionem iniicerent [e]);

---

z) Male enim Florentiae legitur *oportere*, quod primus recte mutavit Haloander. Deest scilicet, quo infinitivus referatur. Per ellipsin autem supplere *constat*, durissimum est. Schol. Basilicorum: *οὐ χρη ἐμποδιζεσθαι δια τουτο την ἐλευθεριαν* etc.

a) Augustinus de Legg. et SCtis s. v. *Vitrasianum.*

b) Idem de nominibus propr. *του Πανδεκτου* Florentini, in Ottonis Thes. T. I. p. 330. not. c. et p. 348. not. k.

c) Hotomani Antt. Rom. lib. I. P. III. c. 9. s. v. *Vitrasianum*, in ei. Opp. T. III. p. 300.

d) Fabri Semestria lib. III. c. 12. p. 164.

e) Vid. praecipuos Heineccium in Hist. iur. Rom. lib. I. c. 4. §. 235. p. 328. 329. ed. Ritter. et Bachium in Hist. iurisprud. Rom. lib. III. c. I. sect. 3. §. 33. pag. 359. 360. ed. Stockmanni.

unde etiam factum est, ut de eo exponeret, qui Vespa-
siani leges singulari eoque elegantissimo libello enarra-
vit, Andr. Guil. Cramer, Vir Celeberrimus f). Dubius ta-
men sua profert Heineccius, quippe qui intelligeret, deesse
vel levissima argumenta, quae Flavianae aetati SCtum
vindicent; sed dum parum abesse dicit, ut hoc SCtum
potius sub M. Aurelio Antonino Imp. factum censeat, pro-
fecto Charybdim evitaturus in Scyllam incidit. Est enim
haec futilis illa P. Fabri opinio, auctorem SCti esse T.
Vitrasium Pollionem, qui imperante Marco primum cum
Servilio Pudente, ao. U. c. 919., iterum cum M. Flavio
Apro, ao. U. c. 929. Consul fuit. Verum recte huic
opinioni suum *male* adscripsit Buchius g), recte etiam 72
Cramerus monnit, rescriptum Pii, interpretationem SCti
continens, manifesto prodere aetatem Pii temporibus anti-
quiorem, idemque ex Norisio h), ab Ev. Ottone i) lauda-
to, in Fastis ad ann. 919. legendum esse: *M. Fufidius
Pollio*, contendit; minus recte forsitan Marci temporibus
Vitrasium Consulem fuisse plane negavit. Sed magnum
errorem Ever. Otto hoc loco erravit, dicens, annum 919.
U. c. ad *Antoninum Philosophum* non pertinere, cum in
M. Antonini tempora incidat. Quasi vero hi diversi es-
sent! Imo, cum M. Antoninus ab a. 914. ad a. 933. regna-
verit, utrumque annum, et 918. et 928. (quo Vitrasium
Consulem fuisse nemo, quod sciam, negavit, imo confir-
mat Lampridius k),) in eius imperium incidere liquet, ut
igitur, nisi priore anno, certe altero Vitrasius Consul
SCti auctor existere potuerit. Caeterum Faber, ne illud,
quod sequitur, Antonini Pii rescriptum a peritissimo quo-
que sententiae suae obiiceretur, veritus, hoc novi figmenti
addidit: eum, quem hic *Divi Pii* nomine insignitum Cas-
sio Dextro rescripsisse legamus, non alium esse, quam

f) CRAMERI Divus Vespasianus s. de vita et legibus T. Flavii Vespasiani Imp. Comment. Ien. 1785. 8. pag. 175—182.

g) BACHIUS l. cit. not. y.

h) NORISII Epist. Cons. p. 457. T. XI. Thes. Graev.

i) OTTONIS Praef. ad T. I. Thes. iur. pag. ult.

k) LAMPRIDIUS in v. Commodi. c. 2. p. 478. c. 12. p. 508. ed Hack., add. inscr. ap. GRUTERUM p. 30. num. 4.

ipsum Antoninum Philosophum. Sed id fieri non posse, imo, quoties Pii nomen legatur in libris nostris, T. Antoninum intelligendum esse, et prolegomena nostra docuerunt l), et vidi deinde cum aliis etiam Herm. Noordkerk m), (a cuius placitis alias et fecimus et crebrius faciemus divortium,) recte statuisse. Praeterea Faber, ut id nobis persuaderet, debuisset etiam duo alia Divi Pii rescripta, quorum alterum hoc praecedit, alterum sequitur, Marco vindicare, si enim h. l. Ulpianus M. Antoninum *D. Pium* vocavit, mox eodem nomine patrem adpellare non potuit; debuisset ostendere, qui factum sit, ut paullo post n) ipsi Antonino Philosopho aliud et quidem genuinum *D. Marci* nomen in eodem eiusdem Ulpiani fragmento tribuatur; debuisset et eum locum, quo aliud *Divi Pii* rescriptum ad eumdem *Cassium Dextrum* legitur o), ad Philosophum trahere.

Cum vero adeo res omnis incerta sit, vix ausim ego de aetate SCti certi et explorati aliquid definire, quod nec Ill. Cramerum fecisse video. Si tamen licet profiteri, quod sentio, auctorem legis coniicio occurrere in fragmento Modestini p), quod Divi Hadriani *ad Vitrasium Pollionem, legatum Lugdunensem*, rescriptum nobis conservavit, quamvis de eo non quaeram, num forte hic Vitrasius idem sit, qui sub Marco Consulatum gessit, nec ne. Licet enim Cuiacius q) et P. Faber in eo Modestini loco Pium nostrum Hadriani nomine significari velint, adeo tamen deesse mihi videntur omnia, quae id firment, argumenta, ut, qui strenuum nuper egerim illius nominum mutationis in quibusdam locis obviae defensorem, eamdem in hoc quoque fragmento admittere nullo modo sustineam. Ille igitur Vitrasius, ad quem, legatum in Gallia, Hadrianus rescripsit, et cuius memoriam vetus etiam inscri-

---

l) Vid. libellus noster primus, pag. 3—5.

m) NOORDKERK Decas Observationum cap. VI. p. 122. 123.

n) L. 30. §. 13. et 16. D. de fideic. lib.

o) L. 16. §. 17. D. ad SCt. Trebell.

p) L. 15. §. ult. D. de excusatt.

q) CUIACIUS in Comm. ad tit. D. de excusatt.

ptio servavit [r]), vel Consul suffectus, vel alio magistratu ornatus, SCti nostri auctor suasorque exsistere potuit, ut Antoninus Pius hoc etiam loco, quod a patre vel auctoritate eius sapienter institutum esset, confirmasse et magis illustrasse censendus sit *). Sed piget diutius in his haerere.

Quaeramus potius de argumento SCti, quod, nescio qua ratione moti, Heineccius et Bachius *de manumissis ac pretio manumissi* egisse, sententiam vero ipsam obscuram esse, tradunt. Qui quidem viri docti parum adcurate locum et inspexerint et examinaverint necesse est. Ill. Cramerus nihil aliud fecit, quam ut speciem ab Ulpiano propositam, quam deinde examinabimus, explicaret, deque eadem et SCtum egisse pronunciaret; verum, quod pace Viri Summi dixerim, minus idonea, ut mihi quidem videtur, ratione. Namque de illa singulari specie, quam Ulpianus profert et de qua Divus Pius rescripsit, mihi quidem non verosimile est, Senatum aliquid decrevisse, 75
qui generalia tractaret, ius universe constitueret, neutiquam vero singulos casus decideret. Itaque, ut SCti sententiam investigemus, non tam explicandum, quem casum Ulpianus et D. Pius ante oculos habuerint, quam integra loci ratio consulenda videtur. Agitur autem in toto hoc loco de infante fideicommissariam libertatem debente, et ad singulas species principia generalia adcommodantur. De infante igitur manumittere servum rogato, vel solo, vel cum pluribus, aliquid universe constituisse, unde singulae quaestiones hoc in genere obviae deciderentur, SCtum Vitrasianum censemus, atque sic sponte deferimur ad hanc coniecturam, illud SCtum, quod paullo ante non

---

r) Inscriptio vetus Nemausi in Gallia reperta: VITRASI. POLLIONIS. LEGATI. AUG. legitur ap. REINESIUM, cl. VIII. num. 52. Eius notitiam OTTONI debeo.

*) [ZIMMERN, *Gesch. des Röm. Privatr.* vol. I. part. II. §. 203. p. 749. WENCKII nostri de aetate SCti Vitrasiani sententiam comprobans, ibid. not. 27. praeter L. 15. cit. etiam L. 5. in fin. D. de fideic. libertatt. adfert, ubi PAULUS: *Si sine successore*, inquit, *heres decesserit, conservandam esse libertatem, Senatus Hadriani temporibus censuit;* quae verba de SCto Vitrasiano intelligenda esse, ex L. 30. §. 9. 10. coll. §. 6. D. eod. patet.]

addito nomine Ulpianus laudaverat, (*cum unius ... oportet*) idem esse, quod nunc addito nomine *Vitrasianum* vocat. Quae res adeo mihi videtur extra omnem dubitationis aleam posita, ut mirari satis non possim, qui factum sit, ut viri his in literis summi, vel obiter inspecto loco, nobis opinionem nostram proferentibus verba non praeirent. Quam ut confirmem, maxime urgeo §. 4. fragmenti nostri. Etenim si SCti illius prioris mens ad omnes casus, quibus, qui fari non potest, fideicommissariae libertati praestandae obnoxius est, adcommodari debet, profecto non video, quomodo §. 6., qua similis casus proponitur, (nam *το subiectum esse* ad omnes modos pertinet, quibus infantem causa fideicommissariae libertatis tangeret, etiamsi non ipse rogatus esset manumittere,) nulla fieri huius SCti mentio, neque qua id ratione ad hunc ipsum potissimum casum adplicandum esset, ostendi potuerit. Sed habemus, ex nostra opinione, exemplum factae adplicationis in Papiniani loco [s]), quo, cum quis tres servos habens a duobus coheredibus petat, ut duos manumittant, altero heredum latitante, altero autem, quos manumittere velit, declarante, fieri hos liberos respondet, perinde ac si praesens solus manumittere potuisset, additque: *Si unus e servis decesserit, sive iusta ex causa absit heres, sive fari non possit, a quo petitum est, decernente Praetore duos, qui supersint, fieri libertos* (sc. eius, a quo petitum sit). Nempe unius aetas vel iusta absentia libertatem impediebat, unde Praetor auctoritatem suam ex SCto interponebat. Quodsi e tribus servis nemo decesserit, optionem duorum manumittendorum tutor non magis, quam ipsam manumissionem aut venditionem servi valide instituere poterat. Praeterea observanda est in eodem loco eius, qui e iusta causa absit, et infantis coniunctio, quae rursus ducit ad SCti Vitrasiani, e nostra sententia intellecti, cum Dasumiano comparationem. Cum enim hoc, Traiani tempore conditum [t]), fiduciario

s) L. 22. §. 1. D. de fideic. libertatt.

t) Vid. I. A. Bachii Traianus p. 111. sqq., ubi egregie de eo expositum est.

iusta de causa absente libertatem non impediri, nec tamen et fiduciarium iacturam facere voluisset, illud imperante, ut coniecimus, Traiani filio, idem de eo, qui adesset quidem, sed iusta ex causa servum ad liberta- 77
tem perducere non posset, constituit.

Sed age, iam ipsam, quam Ulpianus proposuit et Divus Pius decidit, speciem examinemus. Ait ICtus: *Pluribus heredibus institutis, et inter eos, qui fari non possit nec ipse rogatus sit servum manumittere, libertatem fideicommissam intercidere non oportere ideo, quod coheredibus suis vendere servum infans nequeat.* Quaeritur, de quo sermo sit? Ill. Cramerus firmiter contendit, de proprio infantis servo agi, idque colligit e verbis: *sed non ipse . . . manumittere*, quibus num id vere insit, dubito. Quod enim non adpositum est, cuius servus sit, inde inferri non potest, esse infantis. Fingit autem Vir Celeb. hanc speciem: Titium testamento heredes scripsisse Sempronium et Lucium, unaque, qui fari non possit, Gaium; rogasse autem duo priores, ut unum e servis infantis vel plures manumitterent. Ego vero, partim eo, quod in praecedentibus ac sequentibus verbis de servis hereditariis sermo est, partim ipso D. Pii rescripto et auctoritate Basilicorum, quam deinde adferam, permotus, non de proprio infantis, sed de hereditario servo sermonem esse puto, atque hanc speciem constituo: Coheredes instituti erant Sempronius, Lucius, et qui fari non poterat, Caius; priores vero duos, non infantem, rogaverat testator, ut unum e servis ad hereditatem pertinentibus vel plures manumitterent. Iam vero oneratos ita duos coheredes (quod fieri ex ipsis legibus licet [u]),) oportuit in- 78
fanti pretium eius partis, quam tamquam coheres in servo haberet, restituere [v]); neque enim permissum est ei, qui manumittere rogatur, pretium servi coheredis non rogati

u) L. 20. §. 5. D. famil. herc.

v) Una erat exceptio in servo peculii castrensis, quem miles idemque dominus cum fratre suo liberare rogatus erat. Posterior enim suam portionem redimere non cogebatur. L. 23. §. 2. D. de fideic. lib.

portioni pro rata imputare [x]); imo cum non omnium sed
quorumdam heredum fidei servos hereditarios manumit-
tere commissum sit, latitantibus his, servum orcinum qui-
dem libertum fieri, in eos autem, qui latitaverint, cohe-
redibus, *a quibus redimendae partes essent*, utilem actio-
nem eo nomine dari, vel etiam familiae herciscundae iu-
dicio recte eos acturos, Africanus respondit [y]). Vendi-
tionem vero partis, quam infans non rogatus in heredita-
rio servo possideret, quaeque prius ad coheredes esset
transferenda, quam hi voluntatem testatoris implere pos-
sent, nec infans ipse, nec eius loco tutor peragere pot-
erat, ut recte ostendit Ill. Cramerus, partim quia manci-
pia praecipuam rei familiaris partem apud veteres efficie-
bant, partim quia ipsa servorum libertas, tutore forte tam
immensum pretium postulante, ut coheredes, exhaustum
iri portiones suas videntes, spernere hereditatem cogeren-
tur, periclitabatur. Quaeritur: quomodo res expedienda
9 sit? Ait Ulpianus: *extat SCtum Vitrasianum*, cuius ar-
gumentum ante commemoratum non repetit. Eo vero
exprimitur: *cum unius aetas impedierit vel impediat liber-
tatem, ut liberi liberaeque sint hi, quibus libertates ex
causa fideicommissi debeantur.* Ergo et ad nostrum ca-
sum ex Ulpiani sententia SCtum adcommodabimus, ut
res ita decidatur: quoniam unius, qui alienare servum
nequeat, aetas libertatem impediat, eos, quibus fideicom-
missaria libertas a reliquis coheredibus debeatur, a Prae-
tore liberos simulque horum coheredum libertos decla-
randos esse, quamvis in plenam eorum potestatem non-
dum venerint.

Iam vero e SCto Vitrasiano, ad hanc speciem ex-
presse non condito, probavit quidem Ulpianus, libertati
casu proposito esse prospiciendum; quid vero de pretio
infanti restituendo statuendum, et quomodo plenum servi
dominium, quod nec infans nec tutor transferre possit,
coheredi adquirendum sit, nondum scimus. Hinc Anto-
nini nostri rescriptum ad Cassium Dextrum (de quo, prae-

---

x) L. 41. D. famil. herc. y) L. 49. D. de fideic. lib.

ter id, quod supra commemoravimus, nihil memoriae proditum est,) adfert, quod ad eum ipsum casum tantum pertinet atque Vitrasianum SCtum hactenus supplet, cuius tamen, quoad priorem partem, pleniorem notitiam Marciano debemus, eo, quem supra exhibui, loco; quo, postquam *praesentem coheredem perinde manumittere, atque si traditum servum a coherede adcepisset*, (h. e. si ab uno herede, rogato servum hereditarium manumittere, pretium alteri coheredi ex parte ab illo redimenda restituendum sit, absente coherede rogatum interim nihilominus 80
manumittere posse, imo debere, eodemque statu rem esse, ac si vere traditum servum a coherede adcepisset, ita ut iusta de causa absente eodem pretium manumissor debere desinat, latitante autem hoc ipsum reliquis coheredibus adcrescat,) ostenderat, addit: *idem et in impuberis persona coheredis, non rogati manumittere, Divum Pium rescripsisse.* Est haec eadem species, quam Ulpianus proposuit, est locus, qui, ab Ill. Cramero plane praeteritus, sententiae eius, ut quislibet videt, prorsus adversatur. Habetur infans, docente Marciano, pro absente, sc. ex iusta causa; coheres, ne libertas impediatur, quod SCtum vetat, manumittit perinde, ac si traditum ab infante servum adcepisset, pretii autem nomine infanti manet obligatus [z]). Quod quomodo constituendum sit, ut discamus, redeundum est ad Ulpianum. Partes, ut is ait, servorum [a]) fideicommissa libertate donatorum Imperator iusto pretio aestimari, (a Praetore scilicet fideicommissario,) atque ita servum a rogatis id facere manumitti iussit, sic nempe, ut duo coheredes tertiam totius pretii partem (sin-

---

z) Bene ad nostram sententiam in Scholiis Basilicorum T. VI. p. 387. 388. locus ita redditus legitur: *Και ὁ μερικὸς δε κληρονομος ἀναγκαζεται τον οἰκετην ἐλευθερωσαι, ὡσανει ἐτραδιτευθη αὐτῳ παρα του ἰδιου συγκληρονομου, ὁπερ δεχομεθα εἰ και ἀνηβος εἰη ὁ συγκληρονομος ὁ μη παρακληθεις ἐλευθερωσαι. Τα γαρ αὐτα και περι τουτου ἀντιγραψαι τον αὐτον βασιλεα εἰπον οἱ νομικοι.*

a) h. e. servos ipsos, de quorum pretio si constabat, nec partis pretium inaestimatum erat; ne forte censeas repugnare Iulianum L. 52. §. 3. D. famil. herc. ita docentem: *Cum familiae herciscundae vel communi dividundo agitur, universae res aestimari debent, non singularum rerum partes.*

81 guli ergo sextantem) infanti restituerent. Iam addit ICtus:
*hos, qui manumiserint, pretii nomine perinde fratribus
et coheredibus suis obligatos fore, atque si ob eam rem
ex iudicati causa cum his agi possit.* Ponit enim ipse,
esse praeter Lucium et Sempronium, manumittere rogatos,
plures etiam cum Gaio infante non rogatos, iisque dicit
duos priores pretii nomine obligari, tamquam ex re iu-
dicata, ut actioni rei iudicatae locus sit, ad partem pre-
tii, quod Praetor ipse vel arbiter ab eo datus aestimave-
rat, consequendam. Decreto quippe Praetoris, quo istius
servi pretium erat aestimatum, recte etiam hoc inesse
videbatur, ut manumissor coheredem, qui partis suae
iacturam faceret, exsolvendo huius ipsius partis pretio
praestaret indemnem; alterum enim alterius causa factum
erat. Atque haec ultima maxime verba obstare videntur
interpretationi Ill. Crameri, de proprio infantis servo lo-
cum adcipientis. Pone enim, quinque heredes scriptos, ex
his duos rogatos esse tertii, infantis, servum manumitte-
re, num hi duo illis duobus, qui supersunt, ad quos om-
nis huius servi causa plane non pertinet, pretii nomine
ullo modo obligabuntur? Quem igitur sensum, nisi iuris
principiis contrarium, his verbis inesse censeremus? No-
strae sane sententiae egregie favent Basilica, quae sic
habent [b]): *῾Οι συγκληρονομοι του ἑπταετους, ἀξιωθεντες ἐλευ-
θερωσαι τινα, ὑποκεινται τῳ ἑπταετει κατα ἀναλογιαν* (i. e.
82 pro rata) *ἐπι τῃ τιμῃ τ ο υ μ ε ρ ο υ ς α ὐ τ ο υ.* Quibus addit
Scholiastes: *᾿Εαν πολλοι εἰσιν οἱ γεγραμμενοι κληρονομοι, μετ᾽
αὐτων δε και ἰμφας γεγραπται, μη βεβαρηται δε τῃ ἐλευθεριᾳ
ὁ ἰμφας, οὐ χρη ἐμποδιζεσθαι δια τουτο την ἐλευθεριαν, ὁτι
οὐ δυναται πωλησαι ὁ ἰμφας τ ο ἐ π ι τ ῳ δ ο υ λ ῳ μ ε ρ ο ς
α ὐ τ ο υ*, (non igitur integrum servum, sed partem tantum
eius possedit,) *τοις ἰδιοις συγκληρονομοις. Και ὑπεξι μεν
δογμα συγκλητου π ε ρ ι τ ο υ τ ο υ* (male hoc insertum) *λεγομε-
νον Βιτρασιανειον, και ὁ θειος Πιος προς Κασιον* Dextrum
ἀντεγραψεν etc. reliqua enim, ex verbo reddita, huc trans-
scribere non adtinet. Ill. Cramerus, cum hunc locum si-

---

b) Basilica T. VI. p. 337. et Scholia p. 370. 371.

bi repugnare videret, ex eo etiam de servo, quem infans cum extraneo possideret et coheres infantis manumittere rogatus esset, cautum aliquid SCto fuisse coniecit. Sed partim res ipsa non probabilis et multis aliis difficultatibus obnoxia est, partim non intelligitur, unde novum huius SCti, semel tantum memorati, caput Scholiastes Basilicorum haurire potuerit.

Quodsi, quae ad hunc locum disputavimus, idoneis iudicibus non displicuerint, iidem forsitan concedent nobis, non procul a vero abesse, quod supra diximus, Hadriani Imperatoris aetati SCtum Vitrasianum deberi; partim, quia vix credibile est, inter hoc et D. Pii rescriptum multum temporis intercessisse, partim propter internam necessitudinem, qua id SCtum cum Rubriano et maxime Dasumiano, Traiani aetate factis, coniunctum est; unde colligere licet, eum, qui inter Traianum et D. Pium regnavit, Principem auctorem SCti extitisse.

Ulpianus libro V. Fideicommissorum. 83

Adeundus est ... etiam ex hac (sc. infantis) *causa Praetor; praesertim cum Divi Pii rescripto effectum est, ut, si quidam ex rogatis praesentes sint, alii latitent, alii ex causa absint, intercedente infantis persona, non omnium libertus efficiatur, sed tantum infantis et eorum, qui ex iusta causa absunt, vel etiam praesentium.* L. 30. §. 5. D. de fideicommissariis libertatibus.

Cum SCtum Rubrianum eos, qui, fideicommissam libertatem servo debentes, latitarent vel praesentes eamdem praestare detrectarent, patronatus iura amittere, servum autem directam libertatem Praetoris decreto nancisci voluerit, non poterat dubitari, quin, pluribus ad eiusdem servi manumissionem a testatore vocatis, quorum alii latitarent vel manumittere nollent, alii adessent, priores eodem modo puniri deberent; et, cum orcini liberti iure servus hoc casu potiri non potuerit, quippe praesentibus aliis, quos patronos veneraretur, certe illi absentes suae partis iacturam facerent, atque integer patronatus, quasi

portio vacans, reliquis adcresceret. Quaerebatur de in-
fante fideicommissam libertatem cum pluribus debente.
Nam latitantibus quibusdam, et Praetore, quidquid ad
eos pertineret, decreto, quo pro iniuste absentibus decla-
rarentur, ad reliquos coheredes transferente, ita ut ma-
numissione ab his peracta servus praesentium tantum
libertus existeret, obiiciebant haud dubie et reliqui prae-
sentes, eamdem, quam latitantium, esse infantis causam, a
4 quo ipso cum debita manumissio non perficienda, sed
Praetorio demum decreto quasi supplenda esset, necessa-
rio eum patronatus partem, pariter ac latitantes, amittere;
et vero ipsi latitantes, qui astutiam ita punitam male ces-
sisse viderent, cum infanti manumissio a Praetore suppleta
ad impetranda patronatus iura nihil nocuerit, se quoque
(ideoque omnes rogatos) ad eadem iura admittendos et
contra prius, quo exclusi essent, decretum quasi in inte-
grum restituendos esse. Sed utrorumque conatus Antoni-
nus Pius sapientissimo rescripto repressit. Etenim infan-
ti, qui non latitanti, sed iusta de causa absenti compa-
randus erat, succurrebat SCtum Vitrasianum, quo patro-
natus iura expresse ipsi erant reservata, succurrebat uni-
versi iuris analogia, quippe nemo, quia per naturam suam
expedire aliquid non potest, poena adficitur. Itaque nec
praesentes coheredes infantem excludere, nec absentes
eiusdem exemplo sese tueri poterant; unde *non omnium*
libertum fieri servum, sed tantum infantis et praesentium
vel iusta de causa absentium, Antoninus rescripsit. Quod
autem Ulpianus ait: *praesertim* cum hoc Divi Pii rescri-
pto effectum sit, Praetorem esse adeundum, id spectat ad
plurima decreta, quibus hoc casu opus erat, quaeque Prae-
toris opem magis quam alias necessariam reddebant. Quo-
ties enim aliquis vel iure suo propter iniustam absentiam
aut detrectationem privandus, vel ei idem ius ob legiti-
mam excusationem conservandum ac manumissioni, cui
ipse praestandae invalidus esset, aliquid supplendum erat,
peragi id recte sine Praetoris auxilio non poterat.

Ulpianus eodem libro. 85

In furiosi persona Divus Pius rescripsit fideicommissam libertatem non impediri sub conditione scripti heredis, quem compotem mentis non esse adfirmetur. Igitur, si constiterit, ei recte datam per fideicommissum libertatem, decretum interponetur, quod id ipsum complectatur. L. 30. §. 7. D. de fideicommissariis libertatibus.

Si SCto Vitrasiano id constitutum est, ne propter unius aetatem libertas impediatur, praesente Antonini rescripto idem et ad furiosum prolatum est, ne scilicet propter eius, qui manumittere rogatus sit, furorem libertati impedimentum subnascatur. Ratio saltim prorsus fuit eadem. Curator furiosi cum et ipse manumittere non posset, libertati a Praetore erat subveniendum. Itaque interpretatione supersedere poterimus, dum, quaecumque de infante dicta sint, et ad furiosos pertinere monuerimus. Nam furiosos in rebus gerendis infantibus esse aequiparandos, Paulli locus ostendit [c]), quo ait: *In negotiis contrahendis aliam esse causam habitam furiosorum, aliam eorum, qui fari possint, quamvis actum rei non intelligerent; nam furiosum nullum negotium contrahere posse, pupillum omnia, tutore auctore, agere posse*, unde infantis et furiosi eamdem esse causam, prono alveo fluit. Eumdem absentis loco esse, idem Paullus alibi [d]) ex Pomponio rectissime tradit. Nam absentis et infantis et furiosi quoad negotia gerenda aequa sunt iura; unde eadem etiam quoad libertatem ex fideicommissi causa ab iis debitam SCto Dasumiano, Vitrasiano, atque hoc Antonini rescripto, denique adcommodatis ad has leges insequentis temporis ICtorum responsis, exaequata [e]), mutis adeo et surdis, ut Ulpiani verba statim sequentia docent, ex legum analogia et benigna interpretatione sunt tributa. Quod ad verba adtinet, illa: *sub conditione scripti heredes*, nil denotant nisi: cum heres scriptus sit, verba autem: *ei recte datam* etc. referenda sunt ad servum libertate donatum, licet nulla

c) L. 5. D. de reg. iur.
d) L. 124. §. 1. D. de reg. iur.
e) L. 22. §. 1. D. de fideic. lib.

eius mentio praecesserit. Recepit enim vel Ulpianus vel Tribonianus verba rescripti, parum sollicitus, num orationis nexui convenirent. Bene Basilica [f]: *Κἂν μεμηνως (ἢ ἀλαλος* insertum ex iis, quae apud Ulpianum sequuntur, cuius verba Graeci contraxerunt,) *ἠξιωθῃ ἐλευθερωσαι, ὁ ἀρχων διδωσι την ἐλευθεριαν, ὡς ἐπι του ἐπταιτους.* Addit Scholiastes: *Περι μεμηνοτος ἀξιωθεντος ἐλευθερωσαι οἰκετην, ὁ θειος Πιος ἀντεγραψε· μη ἐμποδιζεσθαι την ἐλευθεριαν δια το μαινεσθαι αὐτον.*

Supersunt nonnullae Divi Pii leges ad libertatem servis datam omninoque ad servorum iura pertinentes [g], inter quas illae, quae de conditione rationum reddendarum libertatibus testamentariis adscripta [h]) et de causis liberalibus earumque iudicio [i]) agunt, difficultatibus enodandis non carent, sed harum legum explicationem, ne in nimiam molem hic libellus excrescat, alii tempori reservandam putavimus, interim lectori valedicentes eximiumque opellae qualiscumque praemium laturi, si huic periculo benigna virorum gravium iudicia non omnino defuisse cognoverimus.

---

f) Basilica T. VI. p. 337. et Scholia p. 371.

g) L. 15. pr. D. qui et a quib. manum., L. 8. §. 2. D. de manum. vind., L. 90. de cond. et dem., L. 24. §. 6. L. 26. §. 2. 4. de fideic. lib.

h) L. 50. D. de cond. et dem.

i) L. 38. D. de re iudic.

III.

DE TRADITIONE

INTER

POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS TRANSFERENDAE MODUM FLUCTUANTE.

EXERCITATIO IURIS CIVILIS

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

PRIDIE CALENDAS FEBR. MDCCCIX. DEFENSA.

PRAEFATIO.

Cum inauguralis libellus esset scribendus, diu incerti hae- 1
simus, cui potissimum argumento qualemcunque operam nostram dicaremus. Neque enim defuit Summorum Virorum auctoritas, qua, quae ad Antonini Pii leges fusius olim, quam par erat, binis libellis commentari coeperamus, continuare et pertexere iuberemur, a qua ut alias discedere religio est, ita haec ipsa voluntas studiis nostris adeo propitia poscere nobis et flagitare videbatur, ut eam quotidie magis promereri et aliquando ad Antoninum redeuntes concisius et non raro acutius dicere studeremus. Praeterea non diffitemur, inclinasse nos, labore, quem in fragmentario illo scribendi genere exantlaveramus, fatigatos, ad integrum quoddam argumentum una serie pertractandum, in quo non verbis legum ut glebae adscriberemur, sed opiniones nostras e legibus collectas et probatas atque ad artis quandam regulam redactas libere profiteremur.

Atque hic, cum vis illa ingenii iudiciique, quam in Generosissimo Viro Friderico Carolo de Savigny mi-

ramur, illustrasset nuper iteratis curis difficillimam possessionis doctrinam *), nihil magis nos allexit, quam hoc ipsum argumentum, cuius noctem, tamquam chaos *informe ingens*, *cui lumen ademtum*, unus ille mentis et doctrinae copiis quasi fulmine fregisset. Quum igitur non semel neque obiter librum, quo adeo delectaremur, evolveremus, ut sumus iuvenes ad dissentiendum proclives, dubia hic illic nata observationibus ansam dederunt, quas novo subiectas examini huic libello destinabamus, gnari, omni tempore disceptando magis, quam laudando, literas effloruisse; gnari, dubia vera atque iusta ab ipso Viro egregio, quem virtus sua et animus promovendis literis natus ab omni vanitatis studio remotissimum esse iubent, benevole exceptum iri, futilia et falsa mox in *vicum* migratura esse *vendentem thus et odores*, neutris autem gloriam talis Viri ullo modo posse diminui. Sed ipsum illud *συστηματικως* scribendi studium effecit, ut tandem aliis reiectis et rescissis, additis aliis, quae ad Savignii de apprehensione caput notavissemus, ad unam quandam sententiarum seriem revocaremus, atque inter unius primarii argumenti capita coniungeremus.

Quae libera originis professio, ut et inscriptio libelli et finis ostendunt, non totam traditionis materiam potuisse hoc loco a nobis pertractari, cum in naturam tantum eius inquireremus, omnibus aliis, quae vel e praxi, ut vocant, vel ex ipsis adeo legibus accesserunt, neglectis. Similiter argumenti ratio non passa est, ut ubique Savignium persequeremur, cum dicenda et probanda essent, quae Vir ille Summus in causa sua dicere nec volebat nec poterat. Sed cum duplex finis nobis propositus esset: alter, ut nostras de traditionis varia natura opiniones probaremus, alter, ut Savignii de apprehensione possessionis sententiam refelleremus, ex his priorem assecuti ab altero abesse non possumus, cum posteriorem attingere liceat, frustranea quoad priorem opera.

---

*) *Das Recht des Besitzes, eine civilistische Abhandlung*, *von* D. Fr. Carl von Savigny. *2te verm. u. verb. Aufl. Giessen*, 1806. 8. [tertia editio prodiit ibid. 1818., quarta 1822., quinta 1827. 8.]

Quod ipsum iam Lectoris Benevoli iudicio permittimus, ordinem libelli facile ipsa argumenti natura vindicaturi. Quo enim modo traditione vel possessio vel dominium quaereretur, constitui nullo modo poterat, nisi de regulis constaret, quae in omni possessionis et dominii acquisitione valerent, quas capite primo breviter exposuimus; tum traditionis indoles, origo et fata obiter capite altero consideranda erant, ut ad quaestionem nostram capite tertio perveniri posset, cuius ordinem ex re ipsa petitum in fronte capitis indicavimus.

CAPUT I.

GENERALIA QUAEDAM DE POSSESSIONE ET PROPRIETATE ACQUIRENDA PRINCIPIA.

De dominii et possessionis vel differentia vel simili- 4
tudine non est nostrum multa hoc loco praemittere, quae, nota simul et a fine nostro remota, ponimus potius, quam ipsi repetimus. Primaria quaedam capita, quibus sequens disputatio regitur, lectoris in animum revocabimus:

I. Possessio facti est, dominium iuris.

II. Hinc diu ante, quam de dominio instituendo et de possessione quaereretur, factum possessionis vel detentionis extitit, et, quamdiu continuaretur, vim alios a re possessa arcendi habuit.

III. Dominium occasione rerum immobilium vel soli, quod proprie detineri non possit, institutum est[a]; possessionis natura magis e rebus mobilibus aestimari debet[b].

IV. Dominium igitur nihil aliud est, quam auctoritate publica munita possessio.

---

a) Dignissima lectu est Viri Clarissimi nobisque amicissimi Amad. Wendt Diss. de fundamento et origine dominii, Lips. 1808. 4.

b) Vocabula *possessionis* et *des Besitzes*, utique, si etymologiam spectes, a solo repetita, nihil contra nos faciunt, nam ea recentioris sunt originis, in antiquioribus autem linguis nec hicce tropus, nec notiones dominii et possessionis clare distinctae reperiuntur.

5 V. Civitatis salus postulat, ut, qui facto possidet, animumque habet commoda, ex lege civili non nisi domino propria, percipiendi, iure id facere censeatur, donec alius dominium probaverit. (Rei vindicatio.)

VI. Eadem de causa necessarium est, ut et amissa detentione possessori iusto ius quoddam remaneat contra possidentem infirmiore iure. (Publiciana in rem actio.)

VII. Hinc iuris quendam colorem nanciscitur possessio, ut duabus partibus constet: facto detentionis et animo rem sibi habendi; quae coniuncta, absque ulteriore de iure possidendi quaestione, usucapionem pariunt et interdicta.

§. 1.
De acquirenda possessione.

Cum igitur negari neutiquam possit, possessionem in facto consistere, lege civili et munito et commodis peculiaribus instructo, non poterit ullo modo dubitari, quin illa eo demum temporis momento acquiratur, quo factum, in quo consistit, plane repraesentetur; et quod ICti praecipiunt, non animo solum, sed et corpore quaerendam esse possessionem, reprehensis, qui vel solum animum sufficere statuerant, antiquioribus, manifeste indicat, positivo facto opus esse, quo rei ipsius corpus afficiatur. Ut igitur ante constitutam civitatem gemmam nemo possidet, nisi qui manibus tenet, ita et lege Romana non prius possidetur, quam manibus fuerit apprehensa, eo tantum discrimine, quod in civitate possessio, apprehensione corporali quaesita, detentione cessante non statim amittitur. In immobilibus autem huius apprehensionis locum sustinebit actus ingrediendi, quo fit, ut praesens sit in fundo, qui eum
6 possidere velit. Quod ne sine argumentis dicere videar, expendat mihi aliquis Paulli locos, in quorum altero [e])

e) L. 1. §. 3. D. de acqu. v. am. poss.

furiosum negat posse incipere possidere, *licet maxime corpore rem contingat*, altero [d]) ei, qui fundum possidere velit, non omnes quidem glebas circumambulandas, sed *quamlibet partem fundi* introeundam esse docet, dum mente et cogitatione hac fiat, ut totum fundum usque ad terminum velit possidere. Quorum similia crebro leguntur in libris nostris, ex quibus quaedam infra excitabimus.

Cumque ita et legum verba, et natura possessionis conspirent, videtur mihi hoc quidem in capite abusus esse acumine, quo pollet, ingenii Savignius [e]), dum probare annisus est, solam sufficere physicam, exclusis aliis, rem afficiendi potestatem [f]), etiamsi rem vere non affeceris. Quo quidem seduxerunt illum loca quaedam iuris Romani, in quibus sine apprehensione actuque corporali possessionem acquisitam legimus. In quibus locis quum antiquiores symbolicam quandam acquirendae possessionis rationem reperisse sibi viderentur, ab his quidem Savignius recte nobis recessisse videtur; idem vero, ex his locis regulam deducens, contra naturam possessionis pariter ac loca ante laudata eorumque similia offendit. Quomodo vero ipsa illa Paulli verba, quibus *quamlibet* (h. e. quam quis vellet) *partem fundi introeundam esse* docet, pro sua sententia laudare indeque colligere potuerit, non opus esse, ut solum calcibus prematur, sed propinquitatem sufficere, qua fiat, ut quis omnem fundi partem quolibet temporis momento possit ingredi, ingres- 7
sus eandem prouti placuerit contrectare [g]), hoc fateor me nullo modo intelligere. Etenim si meminerimus regulae alibi ab ipso Savignio propositae, possessionem eatenus tantum acquiri, quatenus novus possessor rem, quam possidere velit, eiusque ambitum mente luculenter comple-

---

d) L. 3. §. 1. D. eod.

e) Savigny *R. d. B.* §. 14—18. p. 181. sqq. [158—199. ed. IV. vel 185—233. ed. V.]

f) *Die physische Möglichkeit, auf die Sache unmittelbar zu wirken und jede fremde Wirkung auf sie auszuschliessen.* Idem l. cit. p. 186. [163. ed. IV., 190. sq. ed. V.]

g) *Es ist nicht das Betreten selbst, was den Besitz des Bodens verschafft, sondern die unmittelbare Nähe, wodurch es möglich wird, jedes Stück augenblicklich nicht nur zu betreten, sondern auf jede andere Art zu behandeln.* Idem l. cit. §. 15. p. 188. [166. ed. IV., 194. ed. V.]

xus sit [h]), facile intelligimus, accommodate ad hanc regulam Paullum non ingressus, sed eius in singulis partibus repetendi necessitatem negare, ita ut factum apprehensionis unum ad plures fundi partes possidendas sufficere doceat, modo animo cunctas complectaris; quo natura facti ad possessionem acquirendam necessarii non mutatur.

Simili modo lapsus esse videtur Vir Generosissimus eo loco, quo potestatem fundum afficiendi parem esse, sive quis e propinquo eum uno obtutu consideraverit, sive eum ipse fuerit ingressus [i]), e loco quodam Celsi colligit. Nam si tale quid Celsus dixisset, vereor ne a veritate longe aberrasse iudicaretur. Quis enim neget, praesentis in fundo maiorem esse in eundem potestatem, quam e turre extra limites fundi posita in eum prospicientis aut ad fines circumeuntis?

Aut igitur omnia me fallunt, aut casus isti, quibus possessionem et sine corporis apprehensione acquiri a ICtis praecipitur, exceptiones regulae communis conti-
8 nent, neutiquam ipsam regulam commutantes. De quibus casibus, qui fere omnes traditionem attingunt, infra erit dicendi occasio, nunc autem regulam constituisse sufficit:

> *Possessionem simplicem et genuinam in re mobili unice corporis apprehensione, qua in custodiam redigatur, in re immobili autem introitu acquiri.*

Nunquam enim nobis persuadebit Savignius, quantumvis arte dialectica exercitatus, *potestatem* rem apprehendendi aut fundum introeundi, etsi vel maxime immediatam

---

h) *Es wird nur soweit Besitz erworben, als der neue Besitzer sich die Sache als Gegenstand des Besitzes bestimmt vorstellt.* Idem l. cit. §. 22. p. 245. [219. ed. IV. vel 256. ed. V.]

i) *Es ist nicht einmal nöthig in das Grundstück einzugehen; denn wer dicht daneben steht, hat nicht weniger Gewalt darüber, als wer hineingegangen ist.* Idem l. cit. §. 15. p. 189. [166. sq. ed. IV. 194. sq. ed. V.] Praeivit verba DONELLUS Comm. iur. civ. l. V. c. 9. T. I. p. 350. ed. Francof. 1596.: *Quid enim necesse fundum ingredi, ut potestati nostrae subiiciatur, cum in re praesenti traditus tam sit in nostra potestate, quam si millies ingressi essemus? Satis est ad potestatem, quod ingredi potuimus, si vellemus, et quidem statim cum res esset in praesenti et nemo prohiberet.*

et praesentem [k]), facti locum sustinere posse, cum huius potestatis ipsa notio vaga, initium plane obscurum sit, nec nisi ab eo ipso, qui possidendi animum habet, agnosci queat.

§. 2.

De acquirendo dominio.

Quum constet, dominium conventione civium mutua niti, facile apparet, a momento huius conventionis acquisitionem et originem dominii quoad eas res, quas tum quidem possiderent, singulis fuisse computandam. Sed quoniam neque res omnes eodem tempore distribui, neque mutationes primae distributionis, quae commerciis hominum contingerent, prohiberi poterant, etiam post hanc primam dominii originem de modis quaerendum est, quibus dominium acquiratur.

Cumque publica auctoritate constituta fuerint dominia, pronum est colligere, quod et historia confirmat, neque mutationem eorum, maxime quoad immobilia, neque
9
novam acquisitionem potuisse primis temporibus privata auctoritate peragi. Acquiri igitur dominium non aliter potuit, quam auctoritate reliquorum civium, qui illud agnoscerent; posteaquam autem modis certis dominii acquirendi civilibus haec auctoritas tributa erat, dominium a tali modo adimpleto pendere coepit. Unde causa elucet, cur iure Romano antiquiori ii modi, quibus extra civitatem possessio acquiritur, h. e. naturales, perfectum dominium non tribuant, sed accedere debeat usucapio, qua nondum exacta mere naturale dominium acquiratur. Quod enim meri est facti, ut possessio, quae occupatione [l])

---

k) *Es muss die Möglichkeit, auf die Sache nach Willkühr zu wirken, von dem welcher den Besitz erwerben will, als unmittelbare gegenwärtige Möglichkeit gedacht werden können.* SAVIGNY *R. d. B.* §. 18. p. 219. [194. ed. IV., 227. ed. V.)

l) Loquor de omni occupatione, etiam bellica, nam et hanc cum Ill. HUGO (*Lehrbuch der Gesch. des R. R.* p. 73. n. 6. ed. III. [p. 157. ed. IX.]) naturale tantum dominium, usucapione confirmandum, tribuisse existimo, quamquam contradixerit amicissimus mihi THEOD. MAX. ZACHARIAE (in Coniecturis de reb. manc. et nec manc. P. II. pag. 23. n.

vel traditione acquiritur [m]), continuatione demum iuris quendam colorem induit, quem reliqui cives vereri et legitimum agnoscere teneantur.

0 Sero demum, cum Iustinianus, sublatis antiquis, omnia in novam formam redigeret, naturalibus modis perfectum dominium tribuendi auctoritas legibus civilibus est concessa. Quo tamen ipso non mutata est omnis dominii ratio et indoles; nam qui eam rem occupat, quae vel non debet occupari, vel alii propria est, non magis fit dominus, quam olim factus est, nec nisi in re nullius vel derelicta cum possessione sola hodie etiam dominium eiusque praecipuum commodum, ius vindicandi, acquiritur. Cuius rei ratio non in possessione quaerenda est cum Viro Ill. A. I. Thibaut [n]), qui Savignium refellere et dominium inter effectus possessionis referre sustinuit, sed in legibus Iustiniani, quae apprehensioni effectum dominii tribuerunt. Nam neque id, quod facti est, per se ullo modo in ius mutari potest, neque possessio iure antiquo dominium tribuit, neque effectum dicere licet, quod uno cum causa temporis momento oritur, perpetuo autem in eundem finem non prodest.

Quodsi quaeras: a quonam momento temporis dominii initium possit et debeat computari? respondemus:

---

54. et p. 25. n. 59.) Quaerenti scilicet: qua id auctoritate doceatur? respondeo: analogiae; res enim hostium censentur nullius esse; quod autem dicit, dominium bonitarium serioris esse quam occupationem bellicam originis, de verbo concedo, de re concedere nequeo; quod enim nos diximus *naturale* dominium, quod amicus *praetorium simplex*, quod alii *fictum*, id Romani serioris aetatis bonitarium dixerunt. Sunt igitur haec fere synonyma, ut recte docuisse videtur Vir egregie doctus in Ephem. Litt. Halens. ai. 1806. sched. 251. Neque illud concedere possum, dominium bonitarium haberi non potuisse, nisi alii Quiritarium nudum competeret; quid enim de re occupata vel inventa et non usucapta statueremus? — Obiter addo, occupationem rerum immobilium, quam cum Hoepfnero nonnulli hodienum somniant, nullam esse, agri enim vacui vel derelicti in civitate fiunt publici.

m) Accessionem omittimus, quoniam ea non tam novi quid acquiritur, quam ambitus pristini iuris crescit, ut, quo quis iure in re accessoria usus est, utatur etiam in principali, recte monente Viro docto in Ephem. Halens. l. cit.

n) Thibaut in Ephem. Litt. Hal. ai. 1806. sched. 41. p. 325.

ab eo, quo ratione legitima posci potest, ut omnes cives possessionem, vel, quam habemus, unice iustam agnoscant nec ullo modo turbent, vel, qua caremus, a nobis solis apprehendi patiantur.

§. 3.

Consectaria.

Ex his, quae breviter, sed pro libelli consilio sufficienter disputavimus, elucere videtur, apprehensionem lege demum civili hanc vim esse nactam, ut dominium tribueret, cum, natura rei spectata, magis continuatae 11
possessionis, quam primum apprehensae hic deberet esse effectus. Iam illae quaestiones: utrum possessio sine dominio an dominium sine possessione acquiri possit? in originariis acquirendi modis occurrere vix possunt, in quibus semper cum possessione et per eam solam dominium quaeritur.

Cuius rei unam statuimus, sed quam maxime memorabilem, in thesauri inventione exceptionem, de qua quae dixit Savignius [o]), ut egregia multa continent, ita omnem notam non videntur effugere. In vulgus notum est, ICtos Romanos *thesauri* vocabulum duplici adhibere significatione: altera latiori, qua pretiosae res loco insolito, alieno potissimum, reconditae intelligantur, etsi dominum habeant; altera strictiori, qua secundum Paullum [p]) est: *vetus depositio pecuniae, cuius non extat memoria, ut iam dominum non habeat;* quarum significationum utra singulis locis conveniat, interpretis periti est quaerere. Iam utraque species quoad dominium differt, quod in priore deponenti, in altera domino fundi sine ullo dubio competit [q]); quoad possessionem num differant, quaeritur. Et inventorem quidem quemcunque, qui alterutrius spe-

---

o) SAVIGNY *R. d. B.* §. 17. p. 207. sqq. [184. sqq. ed. IV. vel 216. sqq. ed. V.]

p) L. 31. §. 1. D. de acqu. rer. dom.

q) Quae enim pars inventori nonnunquam cedit, praemium est, nec ex dominio ei acquisito derivatur.

ciei thesaurum effossum apprehenderit, ea possidere, quae vere in custodiam redegerit suam, nemo negaverit. Dominus etiam fundi, in quo alius pecuniam suam condidit, secundum clara Pomponii [r]) et Papiniani [s]) testimonia, naturae rei quam maxime consentanea, non prius eam possidere censetur, quam eam *loco moverit* et *possessio-*
12 *nem supra terram fuerit adeptus.* Sed thesauri, qui domino careat, possessionem quando dominus fundi lucretur, non reperimus in libris nostris clare expositum; nisi eo retuleris vexatissimum Paulli locum [t]), de quo ne omnia, quae post plurimorum interpretum et Savignii curas dicenda restant, in hunc locum coniiciam, instituti ratio prohibet. Diligenti igitur eius interpretatione in aliud tempus dilata, hoc tantum delibasse sufficiat, posteriorem loci partem (a vocula: *Caeterum*), cum Pomponii et Papiniani effatis plane conspirantem, a nobis ad thesaurum referri, qui dominum habeat, priorem ad eum, qui domino careat; cuius possessionem domino fundi, rem scienti, animo acquiri, Neratius et Proculus, non dissentiente Paullo [u]), dicunt, *quia id, quod desit naturali possessioni, animus implet*, h. e. quia naturalis possessio, detentio, quam dominus nondum habet, suppletur tamen animo non modo possidendi, sed iusti dominii exercendi.

Hoc enim mihi utique aequissimum videtur, ut dominus, qui thesaurum stricte sic dictum in fundo suo conditum sciat, etsi detentionem supra terram nondum nactus, *possessionem* tamen *quasi per dominium quaerat*, quoniam ius possidendi, modo animum habeat, in dubium vocari nequit, atque ipse etiam alios a thesauro via facti arcere potest. Hic igitur in dominio possessionis causam reperisse mihi videor.

Savignius autem, cum extrema loci verba sibi obstare videret integrumque locum promiscue ad utramque the-

---

r) L. 15. D. ad exhibendum.

s) L. 44. pr. D. de acqu. v. am. poss.

t) L. 3. §. 3. D. eodem.

u) Dum enim *implet* dicit, non *impleat*, neque, ut mox Bruti et Manilii, ita Neratii et Proculi sententiam graviter refellit, manifeste horum rationem suam facit.

sauri speciem referret, et nihilominus praesentiam solam ad thesauri quoque possessionem acquirendam sufficere, argumentis docere anniteretur, legum verba partim vi, partim dialectica arte in suam detorsit sententiam v), dis- 13
sentiens a nobis etiam in eo, quod Neratii et Proculi opinionem a Paullo reprobari cum reliquis interpretibus putat, initio autem ad dominium fundi ut necessarium non respici, contra legis verba et sententiam contendit.

CAPUT II.

DE INDOLE TRADITIONIS.

Iam si ad principia capite superiore proposita traditionem examinemus, facile apparet, eam proprie inter modos dominii acquirendi non esse referendam. Cum enim ipsa vocabuli etymologia traditionem nil nisi de manu in manum dationem esse doceat, hanc ipsam per se nec ad immobilia et incorporalia spectare, nec iuris causam esse posse, quum et ab eo, qui dominus non sit, et ei, qui dominii iure careat, fieri possit et soleat, sponte intelligitur. Hinc iam ante conditas civitates traditionis usum animadvertimus, nempe ad solam possessionem transferendam. Ubi quidem necessario requiritur, ut alter possessione cedat, alter rem apprehendat novamque possessionem ordiatur; nemo enim factum alienum suum facere et possessionem ab alio inchoatam ipso iure, sed proprio nomine, continuare potest. Et quamvis possessio, traditione vel occupatione quaesita, usucapione mature in dominium mutari potuit, tamen ubi aut conditio usucapiendi deest, aut alterutrius partis interest, ut vel transferat confestim vel accipiat dominium, actus requiritur, quo id sine omni mora efficiatur.

Itaque apud plerosque antiquitatis populos ad trans- 14
ferendum dominium actus quidam publicus inventus est,

v) Vid. maxime nota a SAVIGNIO p. 216. [188. sq. not. 1. ed. IV. vel. 220. sq. not. 2. ed. V.] adiecta, [cui quae in recentioribus editionibus accesserunt, Nostri interpretationem impugnant.]

quo, in immobilibus maxime, mutatio eius, quod publica auctoritate esset constitutum, confirmaretur. Quae quidem apud Romanos *mancipatio* est, cuius ritum satis notum hic describere non attinet.

Neque enim ea aliud proprie fuisse videtur, quam actus, quo dominia publica auctoritate [a]) mutarentur, non restrictus ille ad certum genus rerum, sed ad omnia omnino, quae alienarentur, necessarius. Cumque tam parva tamque obscura essent prima rerum Romanarum initia, ut nec opum magnitudine, nec nominis claritate ad commercii vincula contrahenda exteras gentes allicerent, imo harum finitimas per plura secula hostes haberent et aemulas, mirum non videbitur, ea tantum, quae ad agriculturam maxime necessaria essent, commercii inter ipsos cives agitati causam constituisse. Hinc agri eorumque iura, domus, servi et quaedam bestiarum genera ab alio in alium iam eo tempore transmittebantur, quo rerum pretiosarum aliarumque, quibus postea vel ad necessitatem vel ad iucunditatem vitae carere non poterant, nisi ignari, certe egeni erant Romani. Fruges et ea pecora, quae collo et dorso non domantur, quoniam istae si possessor eis usus sit, statim pereunt, haec autem nullam agricolis utilitatem praestant, alienationis solennitatem non poscere videbantur; denique aedificiorum iura longe serioris sunt originis, ubi ista solennitas ne ad affines quidem species amplius extendebatur.

Aucto enim ambitu atque flore rei publicae Romanae, cum larga mercium exterarum copia in urbem conflueret,
5 artibusque ipsis eruditi cives iis, quae natura subministraret, commodius uti suaque peregrinis commutare didicissent, ipsa mercaturae nullis finibus et caerimoniis constrictae commoda nimis clara erant atque in omnium oculis posita, quam ut mancipationis solennitas ad omne om-

a) Testes enim, eosque quinque, non alia de causa puto adhibitos esse, quam ut populum eiusque singulas classes repraesentarent; cui explicationi etsi amicus mox laudandus contradixit, meliorem tamen et faciliorem non substituit.

nino mercim
ros neque l
rimoniis se
patio poste
rio adhibe
iam anti
commerci
quovis p
In l
nuit ita
tione, :
enim s
rium,
ac do
comm
patet
taba:

pro
iur
co
m
f
n
r

...emur regulam:
... *dominii, traditionem*
... *proprium et peculiarem*

... modo diximus, rei nec
... i tria sunt quae respon-
... quae antea diximus, man-
... ubie ad rerum omnino om-
... pertinuit, quum effectus do-
... ...ioni non e iure gentium in-
... ibus [i]), ad quas prius perve-
... moribus et ingeniis hominum
... maxime gentium cultis [k]; deinde
... traditionis effectum esse volue-
... mancipi, quarum dominium inter
... alias gentes alienabatur, sed
... aestimari, in quibus peculiari et 18
... denique vix negatur hodie, etiam
... dari potuisse, quo clarius pa-
... et firmiorem simplici traditione
...
... am reiecta omni mancipi et nec
... que vel bonitarii vel Quiritarii dif-
... solam, modo iusta causa non desti-
... dominium sufficere voluit, con-
... um et illimitatum dominii acquirendi
... sum ICti omnes *naturalem*, Grotius
... dixerunt. Cumque iure Iustinia-
... plane alia sit ratio, qua modi, qui
... possessionem, iure civili dominium tri-
... extra civitatem autem plane incogniti
... negari sane non potest, traditionem ad
... esse referendam.

... ll. cit. p. ... 15. n. 32. ... quod ICti Ro- ... *ire et tradere* ... c. L. 28. et 75. §. 20. de V. O.) statuunt, eos naturae traditionis genuinae non immemores fuisse docet.

l) L. un. C. de nudo iure Quirit. toll.

mihi quidem id minime persuadebitur, idque Savignius etiam negat [e]). Quamvis enim res mobiles non nisi praesentes mancipari potuisse probe sciam, tamen id non ideo sancitum erat, ut possessio in accipientem transferretur, sed ut de re alienanda utrique parti ipsisque testibus plane constaret, neque error, in copia similium rerum facillimus, omne negotium frustraneum redderet. Possessio autem semper speciatim erat et tradenda et apprehendenda [f]), quod tamen vel ante mancipationem fieri potuisse putamus [g]). Iam ei, qui possessionem tantum rei mancipi, ex iusta causa traditam, ipsam vero nec mancipio nec usu cepisset, tributum est dominium praetorium, postmodo bonitarium; ei, qui possessionem alienasset rei mancipio vel usucapione quaesitae, dominium Quiritarium
7 minus plenum; qui vero rei his modis acquisitae possessionem retinuisset, is demum plenus iure Quiritium fuit dominus.

Itaque rei mancipi traditio, qua dominium bonitarium (possessio) quaeritur, e iuris Anteiustinianei rationibus pariter ac occupatio naturalibus dominii acquirendi modis est accensenda, quippe hic actus omnibus hominibus eadem, quae Quiritibus, tribuit iura. — Rei autem nec mancipi traditio, quatenus solis Romanis iura tribuit his peculiaria, cum mancipatione et usucapione pari passu ambulat, atque inter civiles modos, etiam Ulpiano auctore [h]), debet referri.

---

e) Savigny *R. d. B.* §. 28. p. 316. sq. [286. ed. IV. vel 335. ed. V. Monendum tamen, nonnisi de rerum immobilium mancipatione Savignium id negare.]

f) Certissimum id est ex Inscriptione veteri, quam e Grutero exhibitam docte emendavit Frid. Brummer (Comm. ad leg. Cinciam c. 14.) Leguntur ibi haec: Monumentum. Statia Irene. M. Licinio Thimotheo. dedit. eique. vacuam. possessionem. monumenti. s. s. (i. e. supra scripti) cessit. Brummero tamen et Heineccio (Synt. Antiqq. lib. II. tit. I. §. 26. [p. 376. ed. Haubold]), hanc traditionem non cuivis mancipationi accedere debuisse contendentibus, assentiri nequeo.

g) Traditio emtionem praecedens memoratur L. 9. §. 2. D. de Publ. in rem act.

h) Ulpianus Fragm. tit. XIX. §. 2. et 7. ubi quod notat Schultingius, Gaium etiam in L. 9. §. 3. D. de acqu. rer. dom. ad hanc speciem traditionis respexisse, falsum est, is enim de traditione *iuris gentium* loquitur. [cf. Gaii Institutt. comm. I. §. 65.]

Iam satis nobis praeparasse videmur regulam:

Mancipationem olim alienandi dominii, traditionem transferendae possessionis proprium et peculiarem modum fuisse;

cui si quis illam ipsam, de qua modo diximus, rei nec mancipi traditionem opponat, ei tria sunt quae respondeamus. Primum enim ex iis, quae antea diximus, mancipatio genuina initio haud dubie ad rerum omnino omnium dominium alienandum pertinuit, quum effectus dominii pleni transferendi traditioni non e iure gentium insit, sed e legibus mere civilibus [i]), ad quas prius perveniri non potuit, quam et moribus et ingeniis hominum consuetudine exterarum maxime gentium cultis [k]); deinde quem Romani speciatim traditionis effectum esse voluerint, non e rebus nec mancipi, quarum dominium inter illos non aliter quam apud alias gentes alienabatur, sed e rebus mancipi debet aestimari, in quibus peculiari et 18
proprio utebantur iure; denique vix negatur hodie, etiam res nec mancipi mancipio dari potuisse, quo clarius patet, etiam hic graviorem et firmiorem simplici traditione habitum esse hunc actum.

Sed Iustinianus, dum reiecta omni mancipi et nec mancipi rerum dominiique vel bonitarii vel Quiritarii differentia [l]), traditionem solam, modo iusta causa non destitutam, ad transferendum dominium sufficere voluit, convertit eam sane in verum et illimitatum dominii acquirendi modum, quem post ipsum ICti omnes *naturalem*, (Grotius praeterea *derivativum*) dixerunt. Cumque iure Iustinianeo divisionis huius plane alia sit ratio, qua modi, qui extra civitatem possessionem, iure civili dominium tribuant, *naturales*, extra civitatem autem plane incogniti *civiles* vocentur, negari sane non potest, traditionem ad priorem speciem esse referendam.

---

i) Zachariae Diss. II. cit. p. 19. n. 39.

k) Idem ibid. pag. 15. n. 32. Discrimen etiam, quod ICti Romani inter verba *dare* et *tradere* pluribus locis (v. c. L. 28. et 75. §. 20. de V. O.) statuunt, eos naturae traditionis genuinae non immemores fuisse docet.

l) L. un. C. de nudo iure Quirit. toll.

CAPUT III.

DE VARIIS PROPRIETATIS VEL POSSESSIONIS PER TRADITIONEM TRANSFERENDAE RATIONIBUS.

Cum secundum ea, quae superiore capite disputavimus, dominii vel possessionis translatio finis sit omnis traditionis, hae cogitari possunt species, quibus casus omnino omnes comprehendantur necesse est; quae num et legibus agnoscantur, quaeque sit singularum forma, iam nobis erit examinandum. Nempe

I. *aut proprietas sola* (§. 1.),
II. *aut possessio sola* (§. 2.),
III. *aut proprietas cum possessione et per eam* (§. 3.), 20
IV. *aut proprietas in possessorem* (§. 4.),
V. *aut possessio in dominum per proprietatem* (§. 5.)
transferri potest.

§. 1.

De dominio sine possessione tradendo.

Cum dominium solum, ab omni possessione separatum, traditione in alium transmitti posse dicimus, sentimus sane ipsi, quam longe haec sententia a circumforaneis hac de re praeceptis recedat. Nam si quis vel definitiones traditionis vulgo exhiberi solitas inspiciat, possessionem, cuius semper primaria fiat mentio, tamquam unicam afferri dominii causam reperiet. Sed cum nullam habeat vim communis opinio, qua nos a libera veritatis investigatione deterreat, pro viribus eam refellere conabimur, unum hoc in ipso quaestionis limine monentes, cuius rationes mox apparebunt, non id nos agere, ut dominum, qui rem suam possideat, proprietatem sine possessione transferre posse probemus, sed posita diversa domini et possessoris persona contendere, dominum rem suam alteri ita tradere posse, ut huic, quamvis eam nondum possederit, tamen realis adversus quemlibet possessorem actio nascatur.

Ac primum quidem incurrit in oculos, vulgarem opi-

nionem prono quasi alveo fluere ex fonte impuro, cui Frid. Car. de Savigny, Vir Generos., demum argumentorum cuneis officere potuit, ex illa inquam, quam plerique possessionem et dominium intercedere somniarunt, coniunctione, qua possessio non nisi praeparet dominium [a]), per se autem peculiari et proprio iure non utatur. A qua opinione quam longe nos recedamus, ex omnibus, quae hucusque disputavimus, apparet; quam falsa autem sit, docere, esset Iliada scribere post Homerum [b]); quare duo loca in memoriam lectorum revocasse sufficiat, quorum altero: *possessionem et proprietatem non debere misceri*, altero adeo: *nihil commune habere proprietatem cum possessione*, docetur [c]).

Missis igitur, quae fontis impuritas contra communem opinionem subministrat, argumentis, a fronte magis eam impugnabimus, nostram sententiam partim *naturae rei*, partim *veteris mancipationis rationibus*, partim *legibus scriptis* unice convenire docentes.

At, inquiet fortasse quispiam, tu naturae traditionis convenire demonstrabis, ut ea dominium solum transferatur, qui paulo ante hanc ipsam traditionem per se non proprietatis, sed possessionis transferendae modum esse contendisti? — Verum longe aliud est, originem instituti et primam indolem describere, aliud dicere, quae huius

---

a) *Der Besitz sey blos provisorisches Eigenthum.*

b) Savigny *R. d. B.* §. 6. p. 36. sq. [p. 33. ed. IV. vel 38. ed. V.] et praecipue §. 36. p. 391. sqq. [p. 357. ed. IV., 419. ed. V.] quo loco falsam, quae e vulgari opinione fluit, interdictorum possessoriorum notionem invictis argumentis retudit. Quo magis miror Savignium ipsum a nostra opinione abhorrere, ut patet e §. 3. operis, pag. 11. sq. Sed tamen §. 9. pag. 120. ad specialem casum notat: *Deswegen kann man selbst in den Fällen, ubi per possessionem dominium quaeritur,* (occupatione puta et traditione a domino facta,) *nicht allgemein schliessen, dass Besitz vorhanden sey, wenn Eigenthum erworben ist*, quod nostrae sententiae favet. Rursus autem §. 26. p. 291. not. 2. haec leguntur: *Ohne Zweifel kann Besitz ohne Eigenthum erworben werden. Aber es lässt sich nicht umgekehrt denken, dass dieselbe Handlung, die bei der Tradition Eigenthum giebt, nicht zugleich den Besitz geben sollte;* quae quomodo conciliem nescio. [Sed v. p. 98. sq. not. 4. ed. IV. vel p. 114. not. 4. ed. V.]

c) L. 52. pr. et L. 12. §. 1. D. de acqu. v. am. poss.

instituti, temporis lapsu varie immutati, hodie vis sit atque ratio, cum haec ab illa, maxime in iuris nostri disciplina, saepe toto coelo soleat aberrare.

Quodsi rationem contemplamur, quae dominium et 22
possessionem intercedit, negari quidem non potest, dominum, qui non possideat, plerisque carere et praestantissimis rei suae commodis, imo dominii in civitatibus constituti causam et rationem non nisi hanc esse, ut commoda possessionis quadam cum securitate et tranquillitate percipiantur. Verumtamen non minus certum est, ius possidendi, quod dominio comprehenditur, a possessione ipsa vehementer differre, cumque, ut supra dictum, possessio facto corporali, dominium tum acquiratur, cum iure alios excludendi potiamur, ius autem a facto longo intervallo abesse soleat, neque dominus ipse amissa possessione ius suum amittat, non intelligitur, quidni et alius, iure in rem sibi tradito, dominus fieri possit, vel nondum apprehensa possessione. Finge enim, Titium, possessione fundi sui a Gaio privatum, contra quem actio realis ipsi competat, vendere mihi, rem omnem scienti, hunc fundum, et *aut claves aedificiorum, quas adhuc habeat, aut documenta, aut aliud quodvis symbolum, ita tradere, ut omne ius suum in me transmitti declaret*, quidni eadem actione, quam Titius instituturus fuisset, vel a Gaio vel a quovis, ad quem fundus postea pervenerit, possessionem atque fructus vindicem? Obligationem tradentis ita nasci aut actionem contra eum, qui tum possideat, cedi dicunt, nullo autem modo ius reale transferri, quod contra quemlibet rei possessorem persequamur. Quod verum est, si de solo contractu loquamur, (quamquam vulgares iuris naturalis magistri etiam eo ius contra quemcunque comparari praecipiunt;) sin iste, quem modo descripsi, ritus interveniat, quo non contractum iniri, sed eundem adimpleri, neque actionem personalem sed realem cedi manifestum est, non video, quidni accipiens dominus habeatur, omnibusque, quibus auctor eius, commodis utatur.

Etenim a domino rem suam possidente verum quidem est proprietatem sine possessione in alium transmitti

non posse. Sed eius rei causa plane alia est; nempe dominium alienare, possessionem sibi servare, est nihil agere, quia nulla sunt nudae proprietatis, nisi ad possessionem petendam, commoda. Itaque ius et spes possidendi in quavis traditione transferri debent, neutiquam ipsa possessio; quod autem is, quem dominus in possessionem misit, si eam a tertio reperiat occupatam, recedere solet et nihil actum declarare, non ideo fit, quia dominium solum transferri nequeat, sed quia contractui, qui praecessit, non satisfit, nisi novus dominus in vacuam possessionem immittatur.

Superest, unum ut diluam, quod ex ipsa rei natura contra nos proferri posset, argumentum: nempe nihil esse, quod tradatur, proprietatem per se in nudo iure versari, rem autem incorporalem tradi non posse. Sed ut taceam, etiam servitutum quasi traditionem esse, certe dominium non ita, ut servitus, in solo iure positum abstractam notionem constituit, sed rem certam habet, quo referatur, eiusque recuperandae praesidia suppeditat. Ius igitur vindicandi, quod dominio inest, vice ipsius rei utique fungi atque ita vel verbis solennibus, vel, quod haud dubie praestat, per symbolum tradi potest. Nam symbolica traditio, ut a possessione, quae facti est, aliena, ita, docente id ipso antiquo mancipationis ritu legibusque Romanis, iuri proprietatis accommodatissima est, qua de re §. 5. plura dicendi locus erit.

Quod sponte nos ducit ad alterum, quo nostram sententiam confirmare promisimus, argumentum, e veteris mancipationis rationibus depromtum. Cum enim supra probaverimus, ante Iustiniani aetatem certum atque indubitatum fuisse, mancipatione dominium transferri, ita ut possessio speciatim esset cedenda, duo fuerunt actus separati, mancipatio et cessio vacuae possessionis, quorum alium sine alio peragi potuisse facile apparet; nam qui ex iusta causa possessionem tantum cessam acceperat, usucapione demum plenum dominium acquirebat; mancipatione autem quin dominus etiam ea, quae non possideret, alienare potuerit, maxime immobilia, non est com-

moda ratio dubitandi. Nempe ius possidendi vel possessionem vindicandi, ut iam ante diximus, necessario debebat alienari, possessionem autem ipsam mancipans non praestare tenebatur, nisi vel ipse haberet, vel recuperare eam expresse promiserit [d]). Quae si certa sunt, neminem offendet, quod exinde colligimus, sublato inter res mancipi et nec mancipi discrimine, sublata omni mancipationis solennitate, Iustinianum tamen omnem solius dominii alienandi facultatem tollere nec voluisse nec potuisse, sed traditioni tantum novam quandam vim et auctoritatem conciliasse.

Superest igitur, ultimum et gravissimum praesidium ut in legibus ipsis ponamus, e quibus eas, quae maxime huc pertinere videntur, iam ordine laudabimus.

Locus Tryphonini hicce [e]): *Si fundum, quem Titius possidebat bona fide et longi temporis possessione poterat sibi quaerere, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexerit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quae vetat fun-* 25
dum dotalem alienari, pertineat etiam ad huiusmodi acquisitionem, non tamen interpellat eam possessionem, quae per longum tempus fit, si, antequam constitueretur dotalis fundus, iam coeperat etc., dudum adhibitus, ut vacuam possessionem ad traditionem non necessariam esse doceretur, plus probare videtur, nempe dari traditionem sine possessione. Titius enim cum fundum

---

d) Huc refero, quod ICti praecipiunt, venditorem, nisi stipulatio intercesserit, non *ut rem accipientis faciat*, sed tantum *ut ei habere liceat*, teneri, (L. 25. §. 1. D. de contrah. emt., quam illustrat L. 30. §. 1. de act. e. vend.), in quo haud dubie ad mancipationem respexerunt. — Obiter moneo, apud Paullum Sent. Rec. II. 17. §. 3. verba *mancipatione et traditione* nec emendanda, nec sensu disiunctivo (*et* pro *vel*) accipienda esse. Nam de traditione simplici dixerat ICtus §. 2., ubi *res simpliciter traditae* videntur esse partim sine mancipatione, partim sine duplae stipulatione traditae; §. autem 3. *traditio* est ipsa cessio vacuae possessionis, quae mancipationem sequi solebat. Sed vox *duplotenus*, quae, Codice Vesontino in *nullatenus* mutata, Cuiacium in errorem seduxit, mihi quidem glossemati, sine dubio ex Aniani interpretatione adscripto, deberi videtur.

e) L. 16. D. de fundo dotali.

possideret, quomodo tandem maritus ius reale, quo ad agendum opus est, acquisivit, si id absque possessione translata acquiri omnino non potest? — Non fundus, inquiunt, ipse in dotem datus est, sed actio cessa. At primum verba ICti fundum, non actionem, in dotem datum, nimis clare ostendunt; deinde vindicationis, quae sine dominii iure institui non potest, cessio necessario involvit cessionem dominii, non ex eo demum die, quo cessionarius in iudicio victor mittitur in possessionem, sed ex ipso cessionis momento computandi. Et quomodo maritum, fundi non dominum, diceret Tryphoninus a fundo abstinentem *rem periculi sui facere?*

Alii, et ex iis quidem ipsis, qui vacuam possessionem ad dominium transferendum necessariam non putant, distinguendum censuerunt inter naturalem possessionem et civilem: priorem, i. e. detentionem corporis, ad maritum transiisse, civilem penes Titium fuisse rati. Simul loco Ulpiani [f]) nituntur, quo cum *dotale praedium tradita possessione constitui* dicatur, Tryphoninus autem fundum dotalem constitutum ponat, colligunt, maritum haud dubie corporaliter, Titium civiliter possedisse. Sed ut haec explicatio minus accuratis nititur civilis et naturalis possessionis notionibus, ita contra eam militat regula: *plures eandem rem in solidum possidere non posse* [g]). Neque etiam intelligo, quomodo sic aut maritus in rem agere, aut Titius, si id omitteretur, usucapionem absolvere potuisset. Falsa igitur haec est fabula, Ulpiani vero locus, quo de fructuum, utique ad possessorem pertinentium, soluto matrimonio retentione agitur, ad nostrum minime referendus est.

Nostrae autem sententiae opitulantur Basilicorum auctores, qui modum adeo, quo dominium marito sit traditum, accuratius definiverunt, locum ita reddendo [h]): *Κἂν δια χρησεως δεσποζεσθαι κεκωλυται ὁ προικιμιαιος ἀγρος,*

---

f) L. 5. D. sol. matrim.

g) vid. Savigny *R. d. B.* §. 11. praesertim pag. 145. [135. ed. IV., 157. ed. V.]

h) Basilica T. IV. p. 716. Ad. de Scholia p. 725. sq. ed. Fabr.

εἰ μεντοι τον ἀρξαμενον δια χρησεως δεσποζεσθαι. παρ' ἐμου καταγραψη σοι γυνη ὡς ἰδιον, οὐκ ἐμποδιζεται ἡ δια χρησεως κυριοτης. Clarius adhuc Scholiastes speciem Tryphonino propositam ita exponit: *Γυνη τις εἰχεν ἀγρον, ὃν ἐπι πολυν χρονον ἐνεμετο Τιτιος, και ἠμελλεν ἐχειν ὑπ' αὐτῳ την του μακρου χρονου παραγραφην· αλλα μηπω του χρονου πεπαιωθεντος ἡ γυνη γαμουμενη τινι τουτον αὐτον*[i]) *τον ἀγρον λογῳ προικος ἐπιδεδωκεν, οὐκ αὐτον σωματικως τραδιτευσασα τον ἀγρον, ἀλλ' ἐν τῳ προικιμιαιῳ συμβολαιῳ καταγραψασα· δυναμενος οὐν ὁ ἀνηρ κινησαι κατα Τιτιον και ἐκδικησαι τον εἰρημενον ἀγρον, ἐραθυμησε τουτου του μερους* etc. Apparet, Scholiastem traditionem *σωματικην* illi, si fas est dicere, *ψυχικῃ* opponere, quae fundi, de quo quaeritur, in instrumentis dotalibus consignatione fieret.

Sed properamus ad alia. Ex Ulpiani lib. XVI. ad Edictum Tribonianus haec affert[k]): *Si a Titio fundum emero Sempronii, et tibi traditus sit pretio soluto, deinde Titius Sempronio heres extiterit, et eundem alii vendi-* 27
derit et tradiderit, aequius est, ut tu potior sis. Nam et si ipse venditor eam rem a te peteret, exceptione eum summoveres. Sed et si ipse eum possideret et tu peteres, adversus exceptionem dominii[l]) *replicatione utereris.*

Sed alibi[m]) e Pomponii lib. II. ex Plautio (vel *ἐπιστολων,* si Haloandrum audias,) eadem fere verba afferuntur, paucis mutatis; tertio autem loco[n]) rursus ex Ul-

---

i) Sequentia flagitare videntur: *αὐτῳ*.

k) L. 72. D. de rei vind.

l) Prave etiam in optimis edd. distinguitur post *exceptionem*. Neque enim sermo est de replicatione dominii, (quae in hac specie ne cogitari quidem potest,) sed de exceptione, quam ipse ICtus loco mox (nota *n*) laudando vocat exceptionem *si non suus esset* fundus, (cf. L. ult. D. de Publ. in r. act.) cui replicatione rei venditae et traditae occurratur. Sed mirum est, ut talia editor editori propinat. Sic finem L. 24. C. de pactis etiamnum inquinat haec distinctio: *exceptionem pacti contra debitores instituenti, actiones nocere tibi minime posse intelligis;* cum luce clarius sit, post verba *pacti* et *actiones* notas esse ponendas. Turpius est, quod in L. 1. §. 5. D. de postulando hodienum plene distinguitur inter verba: *revereri non possit* et *refert etiam*.

m) L. 2. D. de exc. rei vend. et trad.

n) L. 4. §. 32. D. de doli mali exc.

piani lib. LXXVI. ad Edictum ea leguntur, quae e duobus prioribus videntur esse conflata. De qua re nunc quaerere, aut, quae ad singula horum locorum verba notari possent, proponere omittimus; species enim eiusque decisio ex eo, quem attulimus, loco satis cognoscitur, nec ab ea, quam reliqui proponunt, latum unguem differt. Iam nemo non videt, duplicem poni traditionem: alteram, qua non dominus possessionem fundi alieni venditi in Titium derivarit, alteram, qua idem, impetrato postea dominii iure, eundem fundum alii permiserit. E duobus emtoribus Ulpianus et Pomponius docent Titium semper esse praeferendum. Itaque hoc certe probatur his locis, dari dominii sine possessione traditionem, quae quod
28 effectu in casu nostro destituitur, ex iis, quae antea diximus, explicandum est. Nam in quem quis prius possessionem ex iusta causa transtulit, in eundem impetratum postea dominium ipso iure debet transferre. Si vero eum, qui prius solum dominium tradidisset, possessionem deinde acquisitam in alium transferre ponas, nulla dubitatio est, quin prior aeque praevaleat. Quod autem nostris in locis nulla novo emtori, sed tantum venditori in possessorem tribuitur actio, exceptione elidenda, propterea fit, quod de Publiciana sermo est, non nisi ab eo, qui rem possedisset, instituenda. Simile est his ICtorum locis Impp. Diocletiani et Maximiani rescriptum [o]) hocce: *Quoties duobus in solidum praedium iure distrahitur, manifesti iuris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem. Si igitur antecedente tempore te possessionem* (h. e. praedium) *emisse ac pretium exsolvisse, apud Praesidem provinciae probaveris, obtentu non datorum instrumentorum expelli te a possessione non patietur* etc. Nam hic *non data instrumenta* nihil aliud indicant, quam deficientem dominii traditionem, qua vero, possessione a domino ex iusta causa tradita, adeo non opus erat, ut ne in alium quidem collata eius, qui possessionem acquisivisset, iura turbaret.

---

o) L. 15. C. de rei vind.

Alia eaque notissima eorundem Impp. lex p) ita sonat: *Traditionibus et usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur;* quibus in verbis ante omnia notandum est post alios q), *pacta nuda* non esse tantum 29 ea, quae actionem non suppeditent, sed omnem omnino conventionem, cui nondum satisfactum sit, quod, quoniam ex omni brevissimae legis indole nimis clare elucescit, nolumus hoc loco fuse probare. Quumque tum verba ipsa, tum sedes in libris nostris eis assignata manifeste probent, Impp. non modos acquirendi dominii definire, sed pactorum in illo transferendo vim voluisse abnegare, verissimum videtur, quod suboluit Em. Merillio r), vocabula *et usucapionibus* a Triboniano fuisse omittenda, spectantia nimirum ad rei mancipi traditionem, cui, quoniam mancipationis solennitas paulatim in desuetudinem abierat, dominii Quiritarii, a Iustiniano sublati, sed Diocletiani temporibus vigentis, gratia semper accedere debebat usucapio. Per se enim usucapione, quae invito priore domino procedit, nec dominium aeque ac traditione transferri, nec pactum ratum fieri recte dicitur. Si igitur scribere debuisset Tribonianus: *Traditionibus dominia rerum* etc., nihil hic de possessione, sed eam potius vim, quam olim accedens usucapio tribuebat, sola hodie nanciscitur traditio cuiuscunque generis, modo iusta causa (contractus) praecedat. Cui plane conspirat Paullus, ita praecipiens s): *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio aut aliqua iusta causa praecesserit, quam traditio sequatur.* Si enim formulas *nuda pacta* et *nuda traditio* conferas, alteram ex his ad alteram esse referendam apparet, ut neutra ad dominium transferendum sufficiat, praeter ius possidendi autem

---

p) L. 20. C. de pactis.

q) v. c. Io. Car. van Wachendorff in Diss. de pactis nudis §. 2. in eius Triade Diss. (Trai. ad Rh. 1730. 8.) p. 396. sq. et B. Phil. Vicat in Vocabular. iur. utr. voc. *Nudus*, T. II. pag. 510. sq. ed. Lausann. 1759.

r) Merillius Observv. l. VIII. c. 38. in Opp. (Neap. 1720.) P. I. p. 326.

s) L. 31. pr. D. de acqu. rer. dom.

30 ipsum quoque factum possessionis, qua dominus careat, transferri, neutiquam sit necessarium.

Neque dicat aliquis, nobis ea loca adversari, quibus *per possessionem dominium acquiri* praecipitur [t]), quae certum est ad eam speciem, ubi tradens dominus possideat, referri, universalem autem regulam non constituere.

Superest, ut uni sed omnium luculentissimae legi testimonium denunciemus, rescripto puta Impp. Severi et Antonini, quod sic se habet [u]): *Emtionum mancipiorum* ***instrumentis*** *donatis et* ***traditis****, et ipsorum mancipiorum donationem et* ***traditionem*** *factam intelligis,* ***et ideo potes adversus donatorem in rem actionem exercere.*** Luce haec clariora sunt, maxime si cum eo, quem antea laudavimus, loco [v]) conferantur. Qui mancipia, absentia haud dubie, emerat, instrumenta super eo negotio concepta *Lucio*, ad quem datum est rescriptum, tradiderat, animo donandi simul declarato. Impp. validam esse donationem et traditionem, Luciumque, ubi emtor ipse possessionem mancipiorum nactus sit, actione reali adversus eum experiri posse rescribunt. Quodsi emtor traditionis tempore iam possedisset, aliter plane fuisset rescribendum. Qui autem vel proprium aliquod donationis ius h. l. afferri, vel instrumenta possessionis simul translatae symbolum esse contenderet, prius illud, cum argumenta idonea deficiant, nullo modo mihi probaret, altero non modo contra regulam, quae in possessione, re facti, symbola adhiberi vetat, sed contra ipsa verba legis impingeret, qua actio in rem donatario
31 conceditur, ab eo, cui possessio est tradita, profecto non instituenda. Quapropter plane non intelligo, quomodo Generos. de Savigny h. l. glossatorum vestigia premere et de constituto possessorio cogitare potuerit [x]), ven-

---

t) L. 20. §. 2. D. eod., §. 5. Inst. per quas pers. cuiq. acqu.

u) L. 1. C. de donation.

v) L. 16. D. de fundo dot.

x) Savigny *R. d. B.* §. 27. p. 313. [De constituto possessorio in L. 1. C. cit. non esse cogitandum, concedit quidem Savignius §. 16. (p. 175. ed. IV. vel 205. ed. V. not. 1.), ipsa tamen Wenckii interpretatione p. sq. not. 1. nihilo magis comprobata.]

ditorem ipsum emtori emtionum instrumentis possessionem tradidisse putans, quam ille ab eo ipso momento non nisi emtoris nomine exerceat. Qua interpretatione factum est, partim, quoniam propriis ipsius de constituto praeceptis repugnat, ut legis verba argueret et ad singularem speciem nobis incognitam referret, (quam rationem, ne habeat vulgus interpretum, quo vel inscitiam vel inertiam excuset, nolim a tantis viris sine summa necessitate adhiberi;) partim ut nec donationis mentionem, nec Triboniani, talis argumenti legem in titulum de donationibus referentis, mirum errorem ullo modo explicaret. Quid enim donatur emtori, cui emtionis instrumentum aut rei emtae possessio traditur? Et quomodo possessor actione in rem contra eum experiri potest, qui ex constituto vice eius in possessione est, non possidentem, imo si possessionem affectet, interdicto pellendum?

Defuncti ita probationis necessariae munere, simul dubiis, quae moveri possent, fere omnibus occurrisse videmur. Superest igitur, ut, consectariis quibusdam ductis, pauca de aliorum sententiis addamus.

Nempe ex iis, quae hucusque disputavimus, prono alveo fluit, neutiquam opus esse ad dominium valide transmittendum vacua possessione. Si enim dominium validum et plenum ita tradi potest, ut possessio accipienti non statim acquiratur, ab eo tantum ita debet alienari, cuius res iniuria ab alio, bonae malaeve fidei possessore, detineatur. Qui quidem ius vindicandi in alterum scientem ita transfert, ut suppeditatis ab auctore probationibus 32
ipse agat; unde necessario sequitur, quemlibet iure dominii vel possidendi instructum posse vindicatione experiri, neque vero eius instituendae ius ad amissam demum, sed antea exercitam possessionem esse restringendum. Quod dum asserimus, facile praevidemus, a peritissimo quoque nobis oppositum iri locum Callistrati, titulo Pandectarum, quo de rei vindicatione agitur y): *Si ager ex emtionis causa ad aliquem pertineat, non recte hac actione*

y) L. 50. pr. D. de rei vind.

agere poterit, antequam traditus sit ager tuncque possessio amissa sit. Sed heres de eo, quod hereditati obvenerit, recte aget, etiamsi possessionem eius nondum habuerit; qui clare praecipere videtur, vindicari non posse nisi eas res, quarum possessionem traditam nobis postea amiserimus. Sed bona verba, quaeso! Tutissimum enim praesidium nobis paravit praeceptor pie colendus, Christian. Gottl. Haubold [z]), docens, his verbis Callistratum Publicianam actionem, non vindicationem proprie sic dictam tetigisse, ideoque illa verba a compilatoribus ad insequentem titulum fuisse referenda; quo nihil verius aut certius dici et excogitari poterat, vel ad ingeniosam, quam de edicto monitorio (ad quod commentatus haec scripserat Callistratus,) proposuit Vir de communibus literis ultra praeconia nostra meritus sententiam, vel ad nostram de traditione dominii opinionem defendendam. Etenim quum Publiciana actio comparata sit in favorem bonae fidei possessoris, cumque haec ipsa possessio ad usucapiendum idonea omne constituat illius adversus eum, qui infirmiore iure possideat, dirigendae fundamentum, sponte apparet, eam institui non posse, nisi ab eo, qui posses-
33 sionem iure et facto acquisitam amiserit. Vindicatio contra non praecedentis possessionis facto nititur, sed *iure possidendi*, quod dominium tribuit, ut nullo modo intelligi possit, quare illa, etiam ab eo, qui nunquam possederit, sed ius tamen possidendi acquisiverit, instituta, vi et effectu careret. Quodsi generalem regulam ab Ulpiano propositam [a]): *in Publiciana actione omnia eadem fore, quae et in rei vindicatione dicta sint*, nobis obiicias, facile, nisi fallor, probaturi sumus, hanc regulam, ne omne inter utrumque iudicium discrimen tollatur, non tam ad conditiones et casus, quibus alterutra actio institui possit, quam ad effectus et modum prosequendi iuris

---

z) Haubold Diss. praestantissima de edictis monitoriis et brevibus, Lips. 1804. 4. p. 51. sq. [Opuscc. Academ. a Nostro editorum vol. II. p. 233.]

a) L. 7. §. 8. de Publ. in r. act.

referendam esse. Quid enim opus esset Publiciana, si eodem casu, iisdem probandi subsidiis instructus, vindicare posses? aut quid molesta et periculosa vindicationis probatione, si nunquam non Publicianae longe facilior et tutior via patesceret?

Et haec quidem de vacuae possessionis ad traditionem, quae vindicationis effectum pariat, necessitate quaestio eos exercuit, qui hunc locum omnino attigerunt. De ipsa traditionis indole non nisi obiter quaesitum. Antiquioribus autem intpp., Azoni, Accursio, Bartolo, aliis, vacua possessio minime videbatur ad plenam traditionem necessaria, a quorum tamen decretis mature discessum esse, ex eo colligimus, quod Hugo Donellus, immortalis vir memoriae, veritatem illius sententiae pluribus adstruere necessarium putavit [b]). Sed neglectis, quae is subtiliter atque docte disputaverat, coeperunt postea alii inter civilem et naturalem possessionem distinguere, ita ut non naturaliter quidem sed civiliter vacuam possessionem ad tradendum requirerent, quae quidem fuit sententia, praeter alios, Luederi Mencken [c]), Arn. Vinnii [d]), Io. Henr. 34
de Berger [e]), et, qui tironum oraculum esse solet, Ludov. Iulii Frid. Hoepfneri [f]). Sed cum naturalis et civilis possessionis notiones nuper demum Savignii lucubrationibus illustratae sint, fluctuatur in ipsa primarii discriminis definitione, quod a plerisque ita declaratur, ut ab eo, qui animo domini possideat, vacuam debere possessionem esse, ab alio non item, doceant. Quum vero, ubi animus domini deest, v. c. in conductore, nulla omnino adsit sensu iuris possessio, facile apparet, isto discrimine casus excludi, qui regulae recte definitae plane non insunt. Neque omnino, civiliter an naturaliter res a tertio possideatur, etiamsi haec vocabula rectius intelligas, quaeri h. l. pot-

---

b) Donellus Comm. iur. civ. lib. IV. c. 19. T. I. p. 269. sqq. ed. supra cit.

c) Mencken Syst. iur. civ. sec. Pandd. lib. XLI. tit. 1. §. 42. p. 633. ed. Schoen.

d) Vinnius Comm. ad Inst. lib. II. tit. 1. §. 40.

e) de Berger Oecon. iur. lib. II. tit. 2. th. 18. n. 3. et 10. p. 259. et 264. T. I. ed. Haubold.

f) Hoepfner *Theoret. pract. Comm. über die Inst.* §. 337.

est, quum utroque casu in possessione, quae domino desit, possessor interdicto defendatur, in facto igitur, priusquam de usucapiendi conditione quaeratur, non differant, ut ante editum a possessore titulum ne diiudicari quidem queat, ad quam classem sit referendus. Nec eius discriminis mentionem fecit, qui gravissime nobis adversatur, Dav. Ge. Strube [g]), vir egregius, cui, ut aliis multis, fraudi fuit, quod unice emtioni venditioni, ad quam casus, quem persequitur, spectat, inhaerens, quid in ea praestandum quaesivit, idque ad omnem omnino traditionem accommodavit, quod quam falso fiat, infra fusius docebitur. — Inter eos autem, qui recentiore aetate
35 veriorem sententiam tuiti sunt, nominare nobis licet Ulricum Huber [h]), Corn. van Eck [i]), Frid. Es. de Pufendorf [k]), et, qui singulari commentatione pro ea disputavit, Io. Godofr. Bauer [l]). Sed hi quidem omnes, quantumvis docte verba fecerint, multo certioribus et firmioribus argumentis inniti potuissent, si Donelli vestigiis arctius pressis in naturam ipsius traditionis, missis singularibus rationibus, maxime quae inter emtorem et venditorem intercedunt, inquisivissent. Etenim Donello, egregio artis nostrae conditori, veritatis etiam in levissimis indagatori eximio, dudum suboluit, sine possessione dominium traditione transferri posse; sed eam rem, ut alia multa, obiter indicare, quam diligenter persequi ma-

---

g) Strube *Rechtliche Bedenken*, III. Th. 52. Bed. p. 189. sqq. [novae edit., quae curante Ern. Spangenbergio Hannov. 1827. sq. 4. prodiit, vol. II. num. 386. p. 170. sqq.]

h) Huber Digress. Iustin. P. II. lib. 2. c. 5.

i) van Eck Thes. iur. controv. §. 23.

k) Pufendorf Observv. iur. univ. T. I. obs. 2. p. 2.

l) Bauer progr. de possessione rei immobilis a possessore civili haud vacua, ad dominium traditione vel usucapione quaerendum sufficiente, in Opusculis a filio Henrico Godofredo, aetate, honoribus et meritis gravi, editis, T. I. n. 27. p. 300. sqq. — Laudat Strube l. cit. p. 195. [vol. II. p. 172. not. b. ed. II.] etiam Sturmii Diss. de vacua possessione ad dominium transferendum non necessaria, nulla addita loci vel anni, quo prodierit, nota. Sed mihi quidem eam diu quaesitam oculis usurpare non contigit, nec ea Lipenio eiusque continuatoribus innotuit, ut adeo, num vere extet, dubitem.

luit [m]); quam si extra dubitationem ponere contigerit, omne punctum tulisse nobis videbimur.

§. 2.

De possessione sine dominio tradenda. 36

Quum de possessione absque dominio transferenda loquimur, nullam excludimus possessionis speciem; quippe factum translationis necessario idem est, sive quis nudam detentionem, sive possessionem ad interdicta, sive simul conditionem usucapiendi in alium transferat, nulla intercedente differentia, quam quod in posteriori, quae propius ad dominii similitudinem accedit, iusta causa, in reliquis minime necessaria, abesse non potest. Quumque possessionem sine corporis apprehensione non acquiri supra docuerimus, eandem nec a traditione abesse posse sponte intelligitur.

Et in mobili quidem re tradentis et accipientis facta proxime coniunguntur, cum eodem temporis momento eam, ab altero dimissam, alter manibus contrectet; in immobilibus autem, quae proprie tradi non possunt, tradens non positive sed negative agit, dum possessionem ab altero apprehendi passus, animum non amplius possidendi sufficienter declarat. Positivum factum, nempe apprehensionis, accipiens exercet. Hinc, etiamsi absit tradens, *consensu auctoris ingressus in possessionem, recte possidet* [n]). E quo ipso necessario sequitur, eum, qui animum tradendi possessionem declaraverit, etsi alter

---

m) Apud DONELLUM l. cit. pag. 270. leguntur haec: *Cur magis in quaerendo dominio coniunctam cum dominio possessionem esse oporteat, quam dominio iam quaesito? Sed et sine possessione acquiri posse dominium traditione, evidenter demonstratur hoc argumento* etc. Exemplum, quod iam affert, e collatione L. 10. §. 4. et L. 54. §. ult. D. de acquir. rer. dom. petitum, cui haec subiungit: *ex quo efficitur, huic homini dominium sine possessione acquiri*, utique huc pertinet, maxime si addas, quae de ista specie dixit SAVIGNIUS *R. d. B.* §. 9. p. 120. [98. ed. IV., 114. ed. V.] Nos vero, ne nimis excresceret libellus, dicta recoquere noluimus, hoc pro re nostra argumentum indicantes tantum, non persequentes.

n) L. 12. C. de contrah. emt. coll. L. 2. C. de acqu. poss.

deinde vel omnino possidere, vel rem istam apprehendere prohibeatur, nihilominus amisisse possessionem, etsi non translatam. Quod plane convenit regulae, quae *recedere possessionem* docet, *quam primum quis constituat*, *nolle possidere* o), dominii autem, iuris auctoritate publica muniti, naturae repugnat, quod, nisi is, quem tradens vo-
37 luit, acquirat, huic salvum esse debet. Egregium igitur est Celsi praeceptum p): *Si furioso, quem suae mentis existimas eo, quod forsitan in conspectu inumbratae quietis fuit constitutus, rem tradideris, licet ille non erit adeptus possessionem, tu possidere desinis. Sufficit quippe, dimittere possessionem, etiamsi non transferas. Illud enim ridiculum est, dicere, quod non aliter vult quis dimittere possessionem, quam si transferat; imo vult dimittere, quia existimat se transferre.* Ex eo, quod tam gravibus verbis contrariam opinionem Celsus refellit, colligere licet, eam suos quoque habuisse inter veteres defensores, cuius rei etiam locus Ulpiani, quo Celsum ac Marcellum in simili causa nominat q), manifestum offert vestigium.

§. 3.

De dominio per possessionem tradendo.

Nihil frequentius est, quam proprietatem et possessionem simul uno temporis momento alienari; quod quo saepius accidit, eo minus habet difficultatis. Hic enim est, ubi notissima regula: *per possessionem dominium acquiri*, recte intellecta, plenum sortitur effectum. Nam cum supra dictum sit, neque sine possessione a domino possidente proprietatem transferri, neque iustam causam a proprietatis alienatione abesse posse, facile apparet, horum utrumque coniungi debere, eodem autem temporis momento, quo quis ex iusta causa possessionem a domino traditam accipiat, etiam dominium in eum transire.

o) L. 17. §. 1. D. de acquir. v. am. poss.

p) L. 18. §. 1. D. eod.

q) L. 34. pr. D. eod.

luit [m]); quam si extra dubitationem ponere co omne punctum tulisse nobis videbimur.

§. 2.

De possessione sine dominio trade

Quum de possessione absque dominio tran loquimur, nullam excludimus possessionis speciem factum translationis necessario idem est, sive qui detentionem, sive possessionem ad interdicta, si conditionem usucapiendi in alium transferat, nul cedente differentia, quam quod in posteriori, q pius ad dominii similitudinem accedit, iusta c reliquis minime necessaria, abesse non potest. possessionem sine corporis apprehensione non supra docuerimus, eandem nec a traditione abes sponte intelligitur.

Et in mobili quidem re tradentis et accipien proxime coniunguntur, cum eodem temporis eam, ab altero dimissam, alter manibus contre immobilibus autem, quae proprie tradi non poss dens non positive sed negative agit, dum poss ab altero apprehendi passus, animum non ampliu dendi sufficienter declarat. Positivum factum apprehensionis, accipiens exercet. Hinc, etiam tradens, *consensu auctoris ingressus in possessione possidet* [n]). E quo ipso necessario sequitur, e animum tradendi possessionem declaraverit, e

m) Apud DONELLUM l. cit. pag. 270. leguntur haec: *Cur magis in quaerendo dominio coniunctam cum dominio possessionem esse oporteat, quam dominio iam quaesito? Sed et sine possessione acquiri posse dominium traditione, evidenter demonstratur hoc argumento* etc. Exemplum, quod iam affert, e collatione L. 10. §. 4. et L. 54. §. ult. D. de acquir. rer. dom. petitum, cui haec subiungit: *ex quo efficitur, huic homini dominium sine possessio* utique huc pertinet, addas, quae de ista s SAVIGNIUS *R. d. B.* §. 198. ed. IV., 114. ed. vero, ne nimis excres lus, dicta recoquere hoc pro re nostra ar indicantes tantum, n quentes.

n) L. 12. C. de con coll. L. 2. C. de acqu.

[illegible] vel omnino possidere, vel cum futuro apprehend[illegible] nihilominus [illegible] possessionem [illegible]. Quod plane convenit [illegible] quam primum quis [illegible] [illegible]

Iam haec traditio in rebus immobilibus, (in aliis enim nulla est difficultas,) duplici peragi potest modo, prouti tradens aut ipse in rem praesentem venit atque alterum in possessionem inducit, aut permittit ei ire in possessionem eamque se absente apprehendere; quorum alterum *inductio*, alterum *missio in possessionem* a ICtis vocatur. Neutro enim casu solam acceptationem posse sufficere, sed opus esse eodem apprehensionis facto, quod superius descripsimus, per se clarum est. Sed hic longe aliter res se habet, quam in simplici possessione tradenda. Quum enim causa praecedens obliget dominum ad rem specialiter uni tradendam, facile apparet, missione in possessionem non alia sub conditione mittentem, abiecto possidendi animo, sua possessione decedere, quam ut ab eo, quem mittat, apprehendatur. Quare si is quacunque de causa non apprehenderit, non modo dominium, sed etiam possessio, sub conditione tantum relicta, mittentis manet. Atque eo refero locum Ulpiani modo laudatum [r]), (quém, speciebus non recte discretis, multi cum Celso conciliare non potuerunt,) quo tali in casu claris verbis praecipit: *errantem non acquirere possessionem; ergo eam nec amitti ei, qui quodammodo sub conditione* (sc. ut missus acquireret,) *recesserit de possessione.* 38

Caeterum quae de traditione breviter et in universum disputavit Savignius [s]), ad hanc speciem spectant, et, utut subtilia, minus tamen vera esse videntur.

r) L. 34. pr. cit. coll. L. 48. D. eod. L. 77. de rei vind. et potissimum L. 18. pr. et L. 12. D. de vi.

s) *Indem der Käufer von dem Verkäufer in das Grundstück eingeführt wird, stehen beide in demselben physischen Verhältniss zur Sache: auch hat der Verkäufer bis auf diesen Augenblick den Willen, Besitzer zu seyn. Aber indem er jetzt erklärt, dass der Käufer den Besitz haben solle, ist durch seinen eigenen Willen alles Hinderniss aufgehoben, das in seiner Gegenwart lag.* Savigny *R. d. B.* §. 15. p. 190. [168. ed. IV. vel 196. ed. V.] Conveniunt ea quidem cum descriptione apprehensionis, quae praecesserat, sed simul cum illa collabuntur. Deest enim positivum apprehensionis factum, ex parte accipientis necessarium.

§. 4.

De dominio possessori vel detentori tradendo.

Quum nihil tam mutabile et vagum esse soleat inter homines, quam possessio, ipsaque eorum consuetudo ita ferat, ut multae res sint in manibus eorum, quibus nullum competat proprietatis ius, non potest non crebro accidere, ut, qui rem quocunque tandem modo iam possideat, acquisito postea proprietatis iure eiusdem fiat dominus. Ubi cum proprie res a domino, cui esset restituta, solenni modo possessori tradi deberet [t]), (maxime si is priorem possessionem non ab ipso domino impetraverit,) placuit brevius rem expedire, ut, superveniente iusta dominii transferendi causa, possessio ei, qui quocunque tandem modo illam nactus esset, remaneret et a domino ipso tradita videretur, cuius simul omnia iura sola voluntate in possessorem transirent, sine ulla apprehensione aliove praeter meram acceptationem actu. Atque hic eodem plane modo transfertur dominium in depositarium et conductorem, qui vere non possident, quo in eum, qui ad usucapionem rem alienam hucusque possederat. Quippe quo differant, iuris est, non facti, discrimen. Excitabimus de his loca quaedam graviora: *Si rem meam possideas, et eam velim tuam esse, fiet tua, quamvis possessio apud me non fuerit* [u]). — *Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam; veluti si rem, quam commodavi aut locavi tibi, aut deposui, vendidero tibi; licet enim ex ea causa tibi non tradiderim, eo tamen, quod patior eam ex causa emtionis apud te esse, tuam efficio* [v]). — *Deposui apud te decem, postea permisi tibi uti: Nerva, Proculus, etiam antequam moveantur, condicere quasi mutua tibi haec posse aiunt; et est verum, ut et Marcello vide-*

---

t) L. 15. D. de reb. cred., ad quam inferius redibimus.

u) L. 21. §. 1. D. de acqu. rer. dom. coll. L. 46. D. de rei vind.

v) L. 9. §. 5. D. de acqu. rer. dom., §. 44. Inst. de rer. div. coll. L. 62. D. de eviction.

tur; animo enim coepit possidere; ergo transit periculum ad eum, qui mutuum rogavit, et poterit ei condici [x]). Ex his priora duo loca nullum plane statuunt inter iustum possessorem et nudum detentorem discrimen: utrumque enim nuda voluntate domini ius proprietatis acquirere praecipitur. Postremus autem de condictione mutui loquitur, adversus depositarium per se plane non possidentem ab eo tempore instituenda, quo ei usus depositi sit concessus. Etsi enim ibi possessio tantum nominatur, quam depositarius acquirat, esse tamen de proprietate cogitandum, nexus docet et condictio mutui, quae deponenti conceditur. Aut igitur possessio h. l. tamquam maioris iuris, nempe dominii, pars commemoratur, aut vocabula hic, ut alibi [y]), non diligenter sunt discreta. Caeterum nihil praeter nudam voluntatem domini requiri, eodemque modo et nudam detentionem et possessionem in dominium commutari, vel hic locus docet.

Atque haec quidem est, quam recentiores ICti uno ore *traditionem brevi manu* vocare consueverunt, cuius tamen termini rationem et sensum pluribus de causis sequente demum paragrapho illustrabimus.

Res igitur ipsa expedita esset, nisi hoc etiam loco 41
nobis cum Savignio, Viro incomparabili, esset dissentiendum, qui *traditionis brevi manu* nomen duplici significatione accipi docet [z]): altera, quam hucusque explicuimus, quamque rectissime censet in rei praesentia necessario peragi non debere [a]), altera, qua detentionis ab accipiente hucusque exercitae in veram et plenam possessionem mutatio indicetur. Non laudat Vir Generosissimus vel ICtos, qui hanc posteriorem nominis significationem sint secuti, mihi plane ignotos, (nam lectionis meae tenuitatem lubens confiteor,) vel verba legum, quibus rem ipsam probet atque illustret, praeter duo posteriora loca

---

x) L. 9. D. de reb. cred.

y) v. c. L. vn. §. 4. D. de ripa mun. L. ult. §. 15. de mun. et hon.

z) Savigny *R. d. B.* §. 19. pag. 223—226. [p. 200—203. ed. IV. vel 234—238. ed. V.]

a) Idem l. cit. p. 224. in nota. [p. 200. ed. IV. vel 234. ed. V. not. 2.]

a nobis modo excitata; quae non negat quidem proxime spectare ad proprietatem transferendam, sed quum id facto fiat, ubi per possessionem dominium quaeratur, eadem et ad possessionem pleno iure referri posse contendit, ut non modo istis casibus possessio cum dominio, sed eadem ratione possessio sine dominio, v. c. a venditore non domino, transferri queat.

At, pace Viri Generosissimi, ab his longissime recedit nostra qualiscunque sententia. Neque enim dixerim, iis casibus, quos leges citatae continent, *per possessionem* dominium acquiri; quod tum demum accidit, si quis eo facto, quod possessioni acquirendae proprium est, simul eodem temporis momento acquirit dominium, ut res se habet in occupatione et traditione ea, quam superiore paragrapho descripsimus. Sed nostra haec traditio plane nullum requirit factum possessioni acquirendae aptum; animus tantum dominii cum iure ipso transfertur, modo a possessione per se alieno, nuda voluntate, ut possessionem potius per dominium, quam hoc per illam quaeri censeas.

42 Quodsi istis legibus defendi nequit Viri egregii sententia, simul rei ipsius fides admodum sublesta existit et dubia. Etenim dominus ipse possessionem, qualem h. l. intelligimus, nunquam sine dominio alienare vel potest vel solet; si posset, profecto ne in conductore quidem vel commodatario, ut possiderent, nuda voluntas domini sufficeret, qui alienationis modus dominio convenit, a possessionis indole plane est alienus. Rei autem alienae possessor, qui in bona fide est, non possidere tantum, sed etiam dominus esse sibi videtur, atque ita etiam in alium dominii iura transferre se autumat; neque iniuria, quippe in dominio praetorio constitutus, ut actus eius ab actibus domini, durante bona fide, plane non differunt. Si vero ponas, furem apud cauponem rem furtivam deposuisse, tum declaratione facta possessionem ei permittere, profecto hic non prius possidebit, quam rei contrectatae usum fecerit, nisi emtio venditio aut permutatio intervenerint, ut solutio pretii aperte declaret, velle sol-

[illegible] eodem iure sibi habere, quo eam alter ha- [illegible] caupo in bona sit fide, secuta furis, quem [illegible] putat, declaratio rursus opinionem do- [illegible] et in conditionem usucapiendi accipientem [illegible]. [illegible] enim plane persuasum est, hocce tradi- [illegible] sola opinione dominii cum possessione acqui- [illegible] ut altera species a Savignio constituta aut [illegible] extet, aut, ubi existat, eodem, quo prior, [illegible], eodem modo peragatur, eadem de [illegible], omninoque ex parte accipientis eadem [illegible] discrimen non necessarium esse, imo naturae [illegible] videatur.

§. 5.

[illegible]ssione per proprietatem tradenda.

[illegible] offendit forsitan multos, quod iure factum [illegible] contendimus, tamen et ea, quae modo ad [illegible] superioris paragraphi atque in antecedentibus b) 43 [illegible], lectorum animos praepararunt, et diligen- [illegible] nostra sententia nonnullorum certe consen- [illegible].

[illegible] proprietas sine possessione nec primum acquiri, [illegible], qui ipse possideat, in alium transferri potest, [illegible] tamen casus, quibus solennis in possessionem [illegible] vel missio (§. 3.) ipsumque adeo apprehen- [illegible] impediatur, eorum autem, qui negotium [illegible], [illegible] intersit, proprietatem rei simulque pos- [illegible] quantocius ab altero in alterum transmitti. Sunt [illegible], quae, licet mobiles, propter magnitudinem fa- [illegible] atque ita, ut alios excludas, contrectari, h. e. [illegible] redigi nequeunt. Utraque ex ratione con- [illegible] quandam ita procedere, ut *in prae-* [illegible] alter declaret, se proprietate et possessione [illegible] alter hanc ipsam declarationem acceptet. Cuius [illegible] tres sunt conditiones: primo iusta causa, sine

b) [illegible] l. §. 3. p. 137.

na nulla dominii translatio peragitur; tum praesentia rei, lias non semper necessaria, quae hic possessionis gratia equiritur, ut, licet desit factum apprehensionis, certus e eo, quod possidere incipiat, sit acquirentis animus; enique declaratio tradentis, acceptatio acquirentis, sed aulo aliter, quam in reliquis traditionis modis, comparae. Quum enim acquirens possessionem ipse corpore on apprehendat, certus esse non potest de percipiendis us commodis, et, ne quis animo possessionem retineat, eclarari debet, *vacuam esse possessionem.* Quo quidem omine non id tantum inesse, ne quis rem, de qua quaetur, civiliter possideat, sed et naturalem possessionem, 10 nudam detentionem, qua novus dominus a fructibus commodis rei percipiendis prohibeatur, excludi, plura uris loca ostendunt, quippe possessor et detentor hoc iam loco, si fructus percipiant, aequiparantur *).

Vacuam igitur *possessionem* dixerim eam, quam nemo uctuum percipiendorum causa detineat, ut absque omni ipedimento, qui dominii iura acquisiverit, ingredi eam fructus percipere possit. Quo sensu vacuam possessiom cum v. c. venditor declarat praesente re vendita, ntor, in quem simul iura dominii translata sunt, unus t, cui ius possidendi competat; quem igitur, quia donus fit, in vacuam possessionem succedere praesumitur, l sine novo apprehensionis facto.

Iamque pervenimus ad id, quod fraudi fuit plerisque, i, ut §. 1. a. vidimus, nullam statuerunt dominii sine ssessione eaque vacua traditionem. Confuderunt nempe m obligationem, quae e contractu nascitur, cum ipso

*) Hinc secundum L. 2. §. 1. de act. e. vend. *vacua* non possessio, in quam alius leorum servandorum causa, vel lier ventris nomine, aut denie creditores missi sunt: quamhis omnibus non possession, sed custodiam et observanem concedi, pluribus locis 9. D. de rei vind., L. 3. §. . de acqu. v. am. poss., L. 12. quib. ex c. in poss., L. 3. §. 8. uti possid.) docetur. Contra L. 13. §. 21. D. eod. possessionem traditam accipi docet, etsi precaria sit possessio, (si v. c. venditor fundum venditum, quem non possidet, precario rogaverit et sic emtorem immiserit,) *hoc enim solum spectandum esse, an habeat* (emtor) *facultatem fructus percipiendi.*

traditionis facto, cumque dominus idemque possessor rei e contractu debitae vacuam possessionem praestare debeat, continuo, nullam esse nisi vacuae possessionis traditionem, collegerunt. Quae res primum aliter se habet, si dominus non possideat, deinde omnino non e traditionis, sed e contractus praecedentis natura oritur [d]), cum
traditio per se nil postulet, quam ut ius possidendi trans- 45
feratur. Unde simul intelligitur, cur, qui nostrae sententiae adversantur, ubique ad eas leges provocent, in quibus de emtione venditione agatur, nec traditio in universum, sed inductio in vacuam possessionem commemoretur [e]), eaque non propter naturam traditionis, sed e contractu debita.

Nos autem, qui contractuum obligationes persequi nolumus, de inductione vero §. 3. a. quae huius loci erant, diximus, in praesenti traditionis specie e legibus probanda et explicanda eas tantum fontium partes sequemur, in quibus de possessione et proprietate acquirenda in universum agitur.

Quod dum facere instituimus, simul nova nobis oritur eaque gravissima cum Generos. de Savigny contentio. Is enim pleraque ex iis locis, quae ad hoc traditionis genus referenda putamus, adhibuit ad suam de apprehensione sententiam comprobandam [f]). Quam sententiam, capite primo a nobis expositam et iam ex parte refutatam, ut hic repetere nolumus, ita ad pertexendam, quam illic exorsi sumus, telam necesse est probemus, singulis

---

d) Satis id probatur L. 3. pr. D. de act. e. vend., in cuius initio utique cum Cuiacio Observv. III. 35. et Hotomano legendum: *Traditio.* Quis enim dixerit: *Ratio possessionis, quae a venditore fieri debet?* Loca a Gu. Fornerio (Selector. III. 30. ap. Otton. II. 121.) et Corn. van Bynkershoek (in nota ap. Gebauerum) laudata certe alius sunt generis, recteque Cuiacius l. cit. idem plane vitium, compendio scribendi debitum, etiam e L. 1. C. fin. regund. tolli iussit, quamvis editores morem ei nondum gesserint.

e) Ita Strube (vid. supra p. 157. not. g.) provocat ad L. 8. C. de act. e. vend., L. 12. C. de probation. et L. 13. C. de distract. pign., quae ad unam omnes obligationem e contractu tangunt.

f) Savigny *R. d. B.* §. 15. 16. 17. p. 188. 189. 193—207. [p. 166. 167. 170—182. ed. IV. vel p. 193. 195. 199—213. ed. V.]

locis non modo nostram traditionis speciem contineri, sed etiam Savignii, V. Celeb., de apprehensione sententiam non defendi.

Ac primum quidem testimonium denunciamus loco
6 Iavoleni huic g): *Pecuniam, quam mihi debes, aut aliam rem, si in conspectu meo ponere te iubeam, efficitur, ut et tu statim libereris, et mea esse incipiat. Nam tum, quod a nullo corporaliter eius rei possessio detineretur, acquisita mihi et quodammodo manu longa tradita existimanda est.* Quamvis enim ad liberationem potissimum debitoris h. l. respicitur, tamen, quoniam ea sine dominii translatione cogitari nequit, de hac etiam ICtus ita monet, ut singulare esse, quod doceat, et a regula paululum recedere, ipse prodat. Pecunia, quam in conspectu suo ponere debitorem iusserat, creditoris fit, non ut domini tantum, sed ut possessoris. Ratio, quam Iavolenus affert: *possessionem, quae a nullo corporaliter detineatur* (h. e. vacuam), *acquisitam creditori et quodammodo manu longa traditam existimari*, plane conspirat cum iis, quae paulo ante professus sum. Etenim, quum alias nulla acquiri possit sine corporali detentione possessio, illam docet ICtus hoc casu non esse necessariam, quia prior possessor atque dominus iuribus suis re praesente renunciat, iamque nemo est, qui maiore et potiore iure possidendi utatur, quam in quem debitor dominium transfert. Quod etiam verbis manu longa factae traditionis continetur, imagine non, ut vulgo fieri solet, e tradentis, sed ex accipientis persona explicanda. Ut enim casus tertius cum sexto crebro commutatus est, ita hac quoque in formula scribi proprie debuisset: *manui longae*, h. e. in manum longam, quae domino tribuitur, quia possessionem rei, etiam e longinquo positae, vacuam apprehendisse iure dominii censetur. Certe ita mihi res longe clarior est, quam si ad tradentem referam, qui porrecta manu rem, quam alienare velit, alteri e longinquo monstret. Primum enim longa manus est etiam eius, qui rem alterius dex-

g) L. 79. D. de solution.

trae committit; deinde neutiquam intelligitur ratio, quare
demonstratio traditionem suppleat, quae, si nostram sen- 47
tentiam sequaris, ipsi nomini inest. Mire etiam favet
nostrae interpretationi unus iste locus, quo actus *brevi
manu* gesti mentio occurrit [h]). Hanc enim formulam non
e tradentis, sed ex accipientis persona explicandam, li-
quido exinde patet, quod, ubi quis nupturae donaturus
marito debitori creditum accepto tulerat, dicitur id *brevi
manu* non traditum, sed *a c c e p t u m*, neque a marito,
sed *a m u l i e r e*, quae ulterius marito dederit. Unde col-
ligimus, *brevem manum* dici eius, qui eam ad apprehen-
dendum plane non extenderit (*eine gar nicht ausgestreckte
Hand*), sed rem verbis acceptam statim in alium transferri
iusserit [i]). Quodsi quaeras, quomodo hoc nomen ad illud
traditionis genus, quod superiore §. descripsimus, translatum
sit, primo monendum est, id non tam veterum auctoritate,
quam κατ' ἀντίφρασιν, e loco Iavoleni petitam, factum esse;
tum melius responderi nequit, quam verbis Ulpiani [k]):
.... *Si tibi debitorem meum iussero dare pecuniam, obli-
garis mihi, quamvis meos numos non acceperis. Q u o d
i g i t u r i n d u a b u s p e r s o n i s r e c i p i t u r, h o c e t i n
e a d e m p e r s o n a r e c i p i e n d u m e s t; ut, cum ex
causa mandati pecuniam mihi debeas, et convenerit, ut
crediti nomine eam retineas, v i d e a t u r m i h i d a t a
p e c u n i a e t a m e a d t e p r o f e c t a*; quibus manifeste
comparantur et ad idem redire dicuntur actus, quo de-
bitorem tertio solvere iubeo, et ille, qui traditio brevi
manu vocari solet. Res igitur ita explicanda, ut posses-
sor vel detentor rem domino reddere fingatur, qui *brevi*
i. e. non porrecta *manu* acceptam apud possessorem iure
dominii remanere iubeat. Utraque igitur, et longa et 48
brevi manu facta traditio, iure dominii nititur, priorem
autem eam esse, quam initio descripsimus, pluribus pro-
bare non magis opus est, quam pauca, quae ad Iavole-

---

h) L. 43. §. 1. D. de iure dot. [176. sq. ed. IV., 206. sq. ed. V.] et loca ibi in notis laudata.

i) cf. Savigny pag. 198. 199.

k) L. 15. D. de reb. cred.

num pro sua opinione notavit Savignius[l]), pluribus refellere. Ea enim, quae dicit, statim concidunt, si praesentibus pluribus debitor solverit, qui ante apprehensam a creditore pecuniam secundum Savignium aequo cum creditore iure possiderent, quum e nostra opinione dominium a debitore in creditorem translatum causa sit, quare is unus a momento factae solutionis possidere incipiat.

Similis huic est Paulli locus[m]): *Si iusserim venditorem procuratori rem tradere, cum ea in praesentia sit, videri mihi traditam, Priscus*[n]) *ait, idemque esse, si numos debitorem iusserim alii dare; non est enim corpore et tactu*[o]) *necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis et affectu, et argumento esse eas res, quae propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas: nam pro traditis eas haberi, si in re praesenti consenserint, et vina tradita videri, cum claves cellae vinariae emtori traditae fuerint.* Verbis: *argumento esse* etc. haec adscribit Savignius: *Das heisst: so wie diese Handlung* (consensus in re praesenti) *bey den Sachen hinreichend ist, bey denen ohnehin nicht leicht eine andere möglich wäre, so muss sie es auch bey allen andern Sachen seyn;* quae quomodo defendat, nescio. ICtus enim nusquam generalem regulam definit, sed singulas affert species. Consensu autem solo omnium rerum possessionem transferri posse, nec Paullus nec Savignius

---

l) *Der bisherige Besitzer ist hier der einzige, der mich hindern könnte, über die Sache nach Willkühr zu verfügen: aber eben von diesem wird ausdrücklich gesagt, dass er sogar durch seine Handlung meinen Besitz anerkannt habe.* SAVIGNY *R. d. B.* p. 193. [170. ed. IV., 199. ed. V.]

m) L. 1. §. 21. D. de acqu. v. am. poss. SAVIGNY *R. d. B.* pag. 194. [171. ed. IV., 199. sq. ed. V.]

n) Quis sit hic Priscus, num Iavolenus an Neratius, scio esse disceptatum. Equidem ob similitudinem loci praecedentis intellexerim Iavolenum.

o) Lubens concedo SAVIGNIO, non multum interesse, itane legas, an Florentinam et editorum omnium lectionem *actu* retineas. Mihi tamen *tactu*, tamquam vocabulum longe significantius, praeferendum videtur, cum alterum vagum sit et ambiguum. Emendationem iuvat BASILICORUM auctoritas (ap. Meerm. V. 45.) quae habent: *οὐ γαρ μονον της σωματικης ἁφης χρεια ἐστιν ἐν τη νομῃ.* *Ἁφη* autem est tactus. [Consentit SAVIGNIUS p. 165. ed. IV., 192. sq. ed. V. not. 1.]

mihi persuadebunt, prior ne contendit quidem. Nam illud *non necesse est*, accipiendum pro *non solum*, *non semper*, (Basil. *οὐ μονον*), ut particula *etiam*, quae sequitur, luculenter ostendit. *Argumentum* autem h. l. est exceptionis propositae exemplum, non regulae generalis probatio.

Quodsi diligentius examinemus sententiarum in Paullino loco ordinem, animadvertimus, principio traditionem brevi manu eam commemorari, quam proprie ita dici modo ostendimus, simulque nostram nominis interpretationem eo confirmari, quod proprie non huic, ad quem res perveniat, sed illi, qui eam statim alii tradi iubeat, traditio facta censeatur. Quoniam autem is ipse corpore rem non apprehendit, addit ICtus, id non semper esse necessarium, sed interdum *oculos et affectum* (praesentiam) sufficere, nimirum si dominium simul transferatur; hoc enim commune est exemplis omnibus a Paullo propositis, inter quae alterum locum occupant res difficulter movendae, quae quia propter ipsum pondus facile eripi nequeunt, easque in publico poni insolens non est, dominium et possessionem earum, vel sine apprehensione, quae ad rem in custodiam redigendam non sufficit, consensu partium in re praesenti transferri par est. Idem vero nec generalem regulam constituit, nam in trabibus adeo, ut infra videbimus, singularis extat apprehensionis modus, nec ad eos casus pertinet, ubi de sola possessione agitur. Addit Paullus, ut omnia huius generis in rebus mobili- 50
bus exempla comprehendat, clavium apud horrea traditionem, de qua praeter huncce duo extant loca: Gaii alter p): *Item si quis merces in horreo repositas vendiderit, simulatque claves horrei tradiderit emtori, transfert proprietatem mercium ad emtorem;* alter Papiniani q): *Clavibus traditis ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videbitur, si claves apud horrea tra-*

---

p) L. 9. §. 5. D. de acqu. rer. dom. §. 45. Iust. de rer. div.

q) L. 74. D. de contrah. emt.

ditae sint, quo facto confestim emtor dominium et possessionem adipiscitur, etsi non aperuerit horrea. Iam plerique intpp. claves symbolum ipsarum mercium esse censuerunt, quam opinionem, ut omnia omnino symbola, impugnat Savignius [r]), clavibus possessionem mercium inclusarum eatenus tradi docens, quatenus sic demum novo possessori liceat merces libere contrectare usumque earum, quem velit, facere. Sic vero, si eaedem claves plura horrea aperirent, emtor, qui id sciret, vel unius horrei mercibus emtis etiam reliquas possideret, quam primum claves accepisset. — Gaius, Papinianus et Paullus ita loquuntur de clavibus, ut magis ad dominium transferendum et possessionem per dominium quaerendam referri debeant. Hinc Gaius proprietatem solam commemorat, Paullus de emtore loquitur, Papinianus item, addito, quod reliqui claris verbis non dicunt, ut possessio quaeratur, prope ipsum horreum claves tradendas esse, quemadmodum paulo ante in traditione longa manu praesentiam rei requiri vidimus. Ut igitur possessionem sine dominio omnino non puto clavium traditione quaeri, nisi
51 quis aperto horreo eam in mercibus ipsis apprehenderit, ita etiam loco ab horreo remoto traditis clavibus possessio mercium separatim erit apprehendenda. Quare claves, quae partem aedium constituunt [s]), non possessionis, sed dominii symbolum esse censeo [t]), loco mercium tradendum; idque multo etiam magis, si aedificii ipsius venditi claves, ut fieri solet, traduntur. Ad solam enim possessionem quaerendam clavibus non opus esse, experientia docet, sed claves ad aedes traditas sequitur dominium, quod, ut supra dictum, a possidente sine possessione alienari nequit.

Quod autem Savignius cum his locis connexuit ea, quibus signatione emtoris dolium tradi negatur, trabes affirmatur [u]), doliique signationem ideo pro traditione non

r) Savigny p. 202. sqq. [178. sqq. ed. IV., 208. sqq. ed. V.]

s) L. 12. §. 24. D. instr. et instrum. leg.

t) cf. quae dicta sunt §. 1. hui. cap. p. 147.

u) L. 1. §. 2. (coll. princ.) D. de peric. et comm. rei vend. (coll.

haberi docet, quia desit clavium horrei, quo dolia includi soleant, traditio, qua in trabibus, includi non solitis, minime opus sit, hoc non magis mihi probatur, quam quod signationem trabium contendit v) non necessariam esse apprehensionis partem, sed usum quendam, unde voluntas agentium cognoscatur. Nempe clavium traditio nec necessaria nec usitata est, nisi venditis omnibus, quae in horreo latent, mercibus, aut integro aedificio; quis enim tam stultus est, ut unius dolii causa claves horrei sui alteri committat? Itaque ratio, cur dolii signatio ab emtore facta pro apprehensione non habetur, unica haec est, quae in lege affertur: quia dolia, *ne summutentur* aliudque pro alio exhibeatur, signari solent; unde, nisi emtor in custodiam suam dolium redegerit, signatum illud nondum possidere, sed summutationi occurrisse censea- 62
tur x). Trabes autem, quae aut forma externa discernuntur, aut quas discerni omnino non attinet, ne summutentur, signari, nec opus est, nec consuetudinis; in his igitur signatio, Romanis adeo in domibus occupandis adhibita y), certam facit et indubitatam apprehensionem, etsi in custodiam emtoris non statim venerint. Aut igitur signantur trabes et possidet emtor, licet non receptas, aut recipiuntur, nec opus est signatione.

Sequatur Celsi locus hicce z): *Si venditorem, quod emerim, deponere in mea domo iusserim, possidere me certum est, quamquam id nemo dum attigerit; aut si vicinum mihi fundum mercatum venditor ex mea turre demonstret* *vacuamque se tradere possessionem dicat*, *non minus possidere coepi, quam si pedem finibus intulissem.* Duas huius loci partes disiunxit et fere

---

L. 11. §. 3. D. locati,) L. 14. §. 1. eod. Savigny p. 202. [180. ed. IV., 210. ed. V.]

v) Idem p. 198. [174. ed. IV., 203. ed. V.]

x) Non igitur, ut Savignius §. 27. pag. 308. sq. [281. ed. IV., 329. ed. V.] tradit, in eo tantum, quod constitutum sine necessitate non praesumitur, sed in ipsa natura, cum rei, tum facti, causa est, quare constitutum hoc casu non admittatur.

y) L. 20. D. de iniur. Nov. LX. prooem. et cap. 1.

z) L. 18. §. 2. D. acquir. v. am. poss.

disiecit Savignius [a]), ut diversimode eas explicaret et ad suam sententiam accommodaret. Quod ut callide fecit, ita non ex interpretis officio fecisse videtur, quum procul dubio Celsus non sine causa duos casus tam arcte vocula *aut*, ut simillimos, coniunxerit. Quod Savignius negligens in priori parte ait Celsum non ponere emtionem venditionem praesente re contractam, aut emtorem, cum res deponeretur, praesentem. Quorum ut verum est utrumque simul non requiri, ita alterutrum necessarium esse, docet sequentium comparatio, ubi Celsus fundum tradendum ab emtore non modo conspici, sed etiam *ex turre* conspici ponit *ipsius propria*. Quare nisi tale quid etiam in re mobili adesse deberet, profecto hosce casus plane dissimiles Celsus non coniunxisset. Non modo igitur debet emtor praesens esse, venditore mercem apportante, eumque deponere illam iubere, sed etiam venditor rem venditam vere deponere in emtoris domo, ut huius solus iussus ad possessionem ei acquirendam minime sufficiat, (nam verba *quamquam id nemo dum attigerit*, potestatem attingendi ponunt, quae re vere non deposita non adest). Quo casu eadem plane est traditionis ratio, quam supra in debitore solvente explicuimus. Nempe translato a venditore dominio derelictaque possessione, emtori domino, uni, qui iuste possidere queat, etiam sine apprehensione tribuitur possessio. Qui autem rem praesentem emtam iubet, pretio maxime soluto, a venditore in domicilium deferri ibique deponi, iam ab hoc momento per constitutum possidet, ut in ipsa depositione praesentia eius non opus sit. Sed nihil de hoc Celsus, cui *deponere* nil est, quam onus allatum emtori praesenti relinquere, qui igitur nec de eo casu cogitavit, quo quis rem non praesentem vendiderit atque in emtoris iubentis, sed non praesentis, domicilio deposuerit. Nam ibi emtor prius non possidet, quam rem vere apud se depositam videat vel sciat; apprehensione ideo non opus est, quia adest dominium.

Ut igitur reliqua, quae ad haec verba disputavit Sa-

---

a) Savigny p. 204. 189. [181. 167. ed. IV., 212. 195. ed. V.]

vignius, praesertim de possessione aut proprietate aedium emtori non necessaria, verissima sunt, ita erravit, rursus deducto inde generali praecepto: praeter custodiam nihil in facto requiri ad acquirendam possessionem. Imo Celsus ipse casum nostrum tamquam a communi regula discedentem satis clare designat verbis: *quamquam id nemo dum attigerit*, unde discimus, iis casibus, quibus dominium non transferatur, apprehensione corporis ad possessionem acquirendam omnino opus esse; Savignii autem 54
praeceptum satis refutari videtur duobus locis, quorum altero pecuniam ab initio cum permissione utendi depositam, *antequam mota sit*, ut mutuam condici non posse praecipitur b), altero, quem, quomodocunque se torqueret Savignius, commode suis cum placitis conciliare non potuit, *universas aedes possidentem*, *singulas res*, *quae in aedificio sint*, *non videri possedisse*, docetur c), ut necessario colligamus, earum possessionem singulatim corporis apprehensione esse quaerendam, licet non desit custodia, quae non nisi dominum a possessionis apprehendendae necessitate liberat.

Alter vero casus in loco nostro obvius longe etiam clarior est, quamvis fuerint, qui vel ad traditionem symbolicam, vel cum glossatoribus ad apprehensionem visu peractam confugiendum censerent, ne prorsus in obscuro versarentur. Est enim traditio longa manu plane eadem, quam ante descripsimus, sed accommodata ad rem immobilem, in qua Celsus expressis verbis postulat, quod in rebus mobilibus, propter naturam earum, non adeo necessarium est, ut venditor declaret, *vacuam sese tradere possessionem*, cuius declarationis vim supra explicuimus. Ut autem turris, e qua fundus conspiciatur, sit emtoris, non tam necessitatis esse videtur, quam casui, quem Celsus tractat (fundi vicini emti), proprium; neque enim video, quidni eadem traditio procedat, si e quovis edito, licet alieno, loco venditor emtori fundum demonstraverit.

---

b) L. 10. D. de reb. cred.

c) L. 30. pr. D. de acquir. v. am. poss. SAVIGNY p. 206. [183. sq. ed. IV., 215. ed. V.]

Caeterum quam falso ex his etiam verbis legem generalem, nec ipsam veram, deduxerit Savignius, supra iam dictum est [d]).

Eodem fere modo explicandus venit locus Ulpiani [e]): *Quaedam mulier fundum non marito donavit per epistolam, et eundem fundum ab eo conduxit: posse defendi in rem* (actionem) *ei* (donatario) *competere, quasi per ipsam* (mulierem) *acquisierit possessionem, quasi per colonam. Proponebatur, quod etiam in eo agro, qui donabatur, fuisset, cum epistola emitteretur; quae res sufficiebat ad traditam possessionem, licet conductio non intervenisset.* Hic quoque Savignius media verba, quae constituti possessorii exemplum continent, omisit, ad quae alio loco provocat [f]). Sed primarium interpretationis subsidium nexus est, quo verba leguntur, quod quo rarius in legibus Romanis adhiberi potest, eo minus novis turbis excitandis augeri debet molestia. Et huius quidem loci nexus luculenter docet, donatricem in fundo non poni praesentem, sed possessionem animo retentam per epistolam tradidisse alii, qui vel constituto, vel praesentia sua et dominus fieret et possessor. Quid enim donatrice et donatario praesente opus fuisset epistola, cum consuetus traditionis ritus peragi posset atque deberet? Iam Florentina lectio: *cum epistola emitteretur*, aut emendanda cum vulgg. edd.: *ei mitteretur*, h. e. cum eam acciperet, aut certe ita intelligenda est. Quis enim dicat, donatarium possessionem fundi, in quo commoretur, acquisivisse a momento, quo dominus consilium donandi ceperit, etsi illi penitus ignotum? Accepta autem epistola praesens in fundo donatarius cur apprehendere possessionem non debeat, eae sunt, quas saepius attulimus, rationes, dominium nempe, in quo constitutus est, iusque possidendi in re a priore domino derelicta ipsi soli tribuendum. Sed Savignius, novum praecepti universalis

d) vid. cap. I. §. 1. p. 132. sqq.
e) L. 77. D. de rei vind. Savigny p. 168. [166. ed. IV., 193. sq. ed. V.]
f) Idem §. 27. p. 310. [282. ed. IV., 330. ed. V.]

vestigium reperisse sibi visus, praesentiam in fundo ad possessionem acquirendam sufficere, ex hoc loco colligit; quam falso colligat, non opus est, ut amplius moneam. Caeterum alius Papiniani locus, qui similem casum tractat [g]), cum nostro eatenus conspirat, quatenus nec donatario nec donatore in praediis donatis praesente, si vel unus e servis simul donatis ad donatarium pervenerit et *mox in praedia remissus sit*, possessionem per hunc donatario acquisitam esse docetur, nulla apprehensionis nomine eius peragendae mentione facta.

Omnium, quae ad quaestionem nostram referri possunt, locorum longe difficillimus iste est, e *Iavoleni lib. V. ex Posterioribus Labeonis* depromtus, in cuius interpretatione nova quidem, sed infelici via incessisse Savignius videtur [h]): *Quarundam rerum animo possessionem apisci nos ait Labeo, veluti si acervum lignorum emero, et cum venditor tollere me iusserit: simulatque custodiam posuissem, traditus mihi videtur. Idem iuris esse vino vendito, cum universae amphorae vini simul essent. Sed videamus, inquit, ne haec ipsa corporis traditio sit, quia nihil interest, utrum mihi, an et cuilibet iusserim, custodia tradatur. — In eo puto hanc quaestionem consistere, an, etiamsi corpore acervus aut amphorae apprehensae non sunt, nihilominus traditae videantur; nihil video interesse, utrum ipse acervum, an mandato meo aliquis custodiat; utrobique animi quodam genere possessio erit aestimanda.* Fateor, pace Viri egregii, mihi ea, quae ad hunc locum disputavit, neutiquam probari. Quod enim novum et ut nulli dubio obnoxium profert, a verbis: *Sed videamus* 57 *inquit*, Iavoleni ad Labeonem commentantis orationem incipere, (quam intpp. ad unum omnes a verbis: *In eo puto*, demum audire sibi videbantur,) id ne credam, partim externis moveor rationibus, partim internis *).

---

g) L. 48. D. de acqu. v. am. poss. SAVIGNY §. 27. pag. 309. [281. sq. ed. IV., 329. sq. ed. V.]

h) L. 51. D. eod. SAVIGNY p. 195. sqq. [172. sq. ed. IV., 201. sq. ed. V.]

*) [SAVIGNIUS licet hanc sententiam retractaverit in recentioribus operis sui editt. (p. 173. ed. IV., 202. ed. V. et ibid. not. 1.), ipsam tamen L. 51. cit. interpretationem a Nostro paulo inferius propositam comprobare non potuit.]

quidem a ICtorum et bonorum scripto-
, quem nec Tribonianus immutavit, re-
voculam *inquit* ad subiectum proxime
i, non autem ad inscriptionem redire iu-
d adest idque propius nomen. Quod
:espondet, permultis in legibus nomen
additamento repeti, ut verbum suppleri
o verbo *respondit*, cuius non alia sit
quit natura, id diversi plane generis est
Savignium loquitur, quippe nomine ite-
otest, quo verbum referatur, quaestio;
o in libris *Responsorum*, *Epistolarum* et
n modo utilis, sed adeo necessaria erat,
ratione verbisque, vel eius, qui de iure
scriptoris, qui illustraretur, discerni pos-
scholia recentioris ICti. Exinde autem
', vocem *inquit*, per se positam, esse ad
ı, in inscriptione obvium, referendam,
ntelligere, cum vix appareat, quis ita
ıtroducat. Tribonianum enim interdum
bis scriptorum sententias referre, si ad
ım respiciam, nullo modo mihi persua-
, quibus se tueatur Savignius, quaedam
atione ita concepta, ut subiectum aliunde,
one, nancisci plane non possint [i]. Sed
unde illa loca depromta sunt, ratione,
ıec ibi Tribonianum loqui, sed fragmenta
ecta oratione concepta, quia vel quae-
ːnt, vel ad scriptorem notarent, quae
mutata verborum structura mutilaverit,
it. Quare in his constanter verbum *ait*
autem *inquit* ne semel quidem ita occur-
iptionem referatur, animadvertimus.
alia res est, ubi veteres ICti, non notas,

praed. urb., de fundo dot., L. 40. de acqu.
th. emt., L. v. am. poss., L. 11. pro emtore,
evict., L. 9. et complures aliae.

sed proprium opus scribentes, alios laudant, quorum vel probent vel refellant sententiam. Quae citationes aut indirectae sunt, (verbis *ait*, *putat*, *respondit*,) aut directae, ubi ipsa auctorum citatorum verba afferuntur, quam in rem verbulum *inquit* proprium et peculiare est, quod etiam sequitur, quoties, ut nostro loco, indirecta citatio transit in directam, index nimirum, iam citatum ipsum loqui. Iam in libris *ex Plautio*, *ex Cassio*, *ex posterioribus Labeonis* etc. ipsi epitomatores vel potius ad selecta quaedam loca commentatores loquuntur et auctorum suorum sententias, plerumque indirecta oratione, afferunt; in quo vehementer differt hocce librorum genus a *notis*, quae fere marginales glossae fuisse videntur, nomine notatoris (quod Tribonianus in inscriptione plerumque recte omisit,) semper addito, conspirat autem magis cum libris *ad Sabinum*, *ad Plautium*, seu perpetuis ad primariorum ICtorum opera commentariis. Ita vero vocula *inquit*, in epitomae fragmento adhibita, quomodo ad epitomatorem referri potest?

Sed afferamus exempla: Ex ipso libro II. Iavoleni e posterioribus Labeonis depromtus est locus nostro quoad formam simillimus [k]), ubi, postquam speciem facti, responsum Ofilii, eiusque rationem suis verbis proposuerat Iavolenus, haec sequuntur: *Videamus*, *inquit Labeo*, *ne id falsum sit*, *quia nihil intersit* etc. quibus deinde 59
subiungit Iavolenus: *Labeonis responsum probo.* Similiter alio loco, ex eodem libro II. depromto [l]), praemissa Tuberonis sententia, sequitur: *Labeo contra: quid enim fiet*, *inquit* etc. et rursus addit Iavolenus: *Labeonis sententiam probo.* Quodsi missis Iavoleni libris ad alios transeamus, vulgaribus, quae qualibet Digestorum pagina attentus lector reperiat, neglectis, remittimus lectores ad eum locum, quo *inquit*, *ait*, *inquit*, vicissim eadem in citatione adhibentur [m]), tum ad alios, quibus το *inquit* bis repetitur [n]), ut nemo ad ICtum ipsum, cuius fragmentum

---

k) L. 40. §. 2. cond. et dem.

l) L. 25. de instr. et instrum. leg.

m) L. 25. §. 5. de usufr.

n) L. 32. §. 1. de evict., L. 12. §. 23. 43. de instr. et instrum. leg.

legitur, referre possit. Et ne quis in solis ICtis hunc usum valere censeat, legitur apud Ulpianum [o]): *Imperator igitur noster cum divo patre rescripsit: peculium quidem non nisi legatum deberi; verum,* inquit, *si conditionibus* etc. ubi vocem nostram nemo ad Ulpianum referat. Nostro autem loco, ne nomen Labeonis longius abesse censeatur, primum Iavoleni nomen magis remotum esse et in lege ipsa plane non reperiri respondemus; deinde conferri iubemus alium locum [p]), ubi cum Ulpianum loqui putemus, subito inseritur *inquit*, ut admoneamur, Iuliani, praecedente paragrapho citati, verba legi. Contra e Paulli IX. ad Plautium libro occurrit locus, qui dubius videri posset [q]), allegatis enim Plautii verbis et Cassii opinione, haec sequuntur: *Paullus* (sc. notat): *idem Iavolenus scribit; quia verisimile est,* inquit, *testatricem* etc., ut fere nescires, utrum illud *inquit* ad Paullum an ad Iavolenum referres, nisi indirecta, quae sequitur, oratio, nemini nisi vel Paullo vel Triboniano tribuenda, quum posterius ridiculum esset, iuberet statuere, Paullum rationes Iavoleni omnes verbis eius afferre. Quae quidem omnia si ad nostram legem accommodes, Savignii opinio stare non poterit.

De qua tamen non ante rem nobis confecisse videmur, quam et internis rationibus eam refutaverimus. Quod commodius fieri non potest, quam si ad paraphrasin, quam Savignius loco nostro addidit, lectorem remittamus, adeo contortam et flexuosam, ut sine nova paraphrasi vix intelligi queat. Quae quidem ita incipit: *Iavolenus also sagt: Labeo irrt, indem er zwei ganz verschiedene Umstände mit einander vermengt: den Erwerb durch einen Procurator, und den Erwerb durch körperliche Berührung.* Sed huius erroris, quem etiam alibi [r]) Labeoni obiicit Savignius, si a verbis *Sed videamus* Iavoleni incipit oratio, in Labeonis sermone nec volam nec

o) L. 8. §. 7. de pecul. leg.

p) L. 8. §. 10. de fideiuss. et mand.

q) L. 8. de auro arg. etc. leg.

r) Savigny §. 26. pag. 290. [264. ed. IV., 309. ed. V.]

vestigium reperio; sic enim Iavolenus primam facit mandati mentionem, a Labeone alienam. Quis porro non videat, verba ista: *videamus, ne haec ipsa corporis traditio sit*, pugnare cum exitu legis: *animi quodam genere possessio erit aestimanda?* ut ea vix tam brevi spatio ab eodem homine dici potuerint. Sed Savignius ita succurrit, ut posteriora anticipet et prioribus refutari dicat, ita: *Die custodia mag der Käufer selbst oder durch einen Stellvertreter vornehmen, immer fehlt dabei körperliche Berührung (animi quodam genere possessio erit aestimanda)* [s]: *dennoch ist in beiden Fällen die körperliche Handlung (corporis traditio) wirklich vorhanden, die zum* 61 *Erwerb des Besitzes nöthig ist* etc., quam interpretationem artis regulis conformem esse nemo concedet, nisi qui in verba magistri iurare consueverit. Qua denique de causa idem homo eadem fere verba (*nihil interest.... tradatur*, et *nihil video.... custodiat*,) bis repetierit, id Savignius dicere vel noluit vel non potuit, neque ei quaestioni paraphrasis ab eo exhibita vel minimam lucem affundit. Quod autem ex vulgari opinione Iavolenum dicit primum refutare Labeonis sententiam (verbis: *in eo puto.... videantur*), tum confirmare (verbis: *nihil video.... custodiat*), denique rursus refutare (verbis: *utrobique.... aestimanda*), id plane non intelligo qui dici potuerit, cum prioribus verbis statum tantum controversiae definiat Iavolenus, deinde, quod pro argumento dubitandi Labeo attulerat, concedat, tandem nihilominus frustra dubitatum esse a Labeone doceat. Quod quo luculentius appareat, nostram apponimus vernaculam loci paraphrasin: *Labeo behauptet, an manchen Sachen erwerbe man schon durch den blossen Willen den Besitz, z. B. wenn ich einen Haufen Holz gekauft hätte: — sobald ich ihn unter meine Gewahrsam nehme, gilt die Uebergabe als vollzogen. Eben so verhalte es sich bei einem Weinverkauf, wenn alle Krüge beisammen wären. Allein, fährt er fort, es ist noch die Frage, ob hier nicht eine wirkliche körper-*

---

s) Quis vero *his* verbis hunc sensum tribui posse concedat?

liche Uebergabe statt findet, weil es gar keinen Unterschied macht, ob mir selbst oder jedem Andern in meinem Auftrage die Gewahrsam übergeben wird. — — Ich glaube die Frage ist hier eigentlich, ob der Haufen oder die Krüge, auch ohne körperlich ergriffen worden zu sein, dennoch für übergeben gelten? und da finde ich allerdings keinen Unterschied, ob ich selbst oder ein Anderer
2 *in meinem Auftrage den Haufen in Gewahrsam nehme; in beiden Fällen muss der Besitz mehr als eine Wirkung des blossen Willens betrachtet werden.*

Itaque initio profitetur Labeo, solo animo, a momento positae custodiae, rerum acervatim venditarum possessionem acquiri. Nempe acervus vel lignorum vel amphorarum apprehendi commode, nisi per singula eundo, non potest; cum columna autem, de qua supra vidimus Paulli praeceptum, comparari non potest, quia, licet totus difficulter tollatur, facile tamen a quolibet minuitur. Hinc nec apprehensio vera requiritur, nec consensus in re praesenti sufficit ad possessionem in emtorem transferendam, sed custodia ab emtore vel ipso suscepta vel alii demandata [t], postquam venditor acervum tolli permiserit, illum facit possessorem. Quod tamen minime extendendum est ad omnes, sed de iis tantum valet, qui ius dominii acquisiverint, veluti emtor, est enim etiam haec longa manu traditio; ut sine dominio custodia apposita neminem totius acervi faciat possessorem, nisi qui singula apprehenderit atque in suam custodiam redegerit, sive id sciente faciat sive ignorante domino.

Sed illud ipsum, quod modo pro certo dixerat Labeo, iam in dubium vocat, verbis: *videamus ne haec ipsa corporis traditio sit;* etsi enim nec ignoro nec labefactare sustineo, quod Christian. Gottl. Haubold omni, quo pollet, elegantis doctrinae apparatu extra omnem dubitationis aleam posuit, formulam: *videamus ne,*

---

t) Non servum hic, sed liberum hominem intelligi, e vocabulo *mandati* recte colligit Savignius §. 26. p. 300. in nota. [273. not. 2. ed. IV., 320. not. 1. ed. V.]

in Digestis non magis quam apud bonos scriptores alios
dubitantis esse, sed absolute potius affirmantis [u]), locum
tamen nostrum ad eos putaverim referendum, quos de
regula communi praeceptor in aeternum colendus ipse 63
exemit [v]), quia adiecta vel eiusdem vel alius ICti verba
ita videantur ad superiora respondere, ut haec ipsa quae-
stionis magis quam decreti loco habenda sint. Ac nostro
quidem loco cum praecedentia Labeonis verba, tum se-
quentia Iavoleni haec, quae in medio posita sunt, pro
dubitatione accipere iubent. Nam nec Labeonem eadem
certitudine, qua alteram sententiam erat professus, rursus
contrariam esse elocutum, nec Iavolenum *quaestionem*
nominasse, quod Labeo pro certo definiverat, mihi per-
suadeo, cum nexus omnis doceat, Iavolenum non tam
refutare Labeonis sententiam, quam probare, dubiumque,
quod ipsi auctori resederat, removere.

Quod quidem dubium ex eo nascitur, quia nihil in-
tersit, utrum ligna vel amphorae ab alio, an a domino
ipso custodiantur. Nempe quod Paullus scribit [x]), pos-
sessionem *animo utique nostro* acquiri, *corpore vel nostro*
vel alieno, id haud dubie Labeoni venit in mentem, ut
haesitaret, anne ea possessio solo animo quaeratur, quam
per alium etiam obtinere possimus? De qua re dubitari
sane poterat, quoniam procurator constituitur ad actum
apprehensionis peragendum, non ad animum domini sup-
plendum [y]), ut, si in facto nihil sit peragendum, non 64

---

u) HAUBOLD Diss. de responsorum mediorum in Digestis obviorum interpretatione (Lips. 1805. 4.) cap. II. §. 2. pag. 10—18. [Opuscc. Academ. vol. II. p. 258—266.]

v) Idem l. cit. §. 3. p. 18. 19. [ibid. p. 267. sq. maxime p. 268. not. dd.]

x) PAULLUS Rec. Sent. V. 2. 1.

y) Regula, quae procuratorem, sibi, non mandanti, possidere volentem, non huic, sed sibi possessionem acquirere docet, quomodo ad traditionem sit accommodanda, dubitatur. (SAVIGNY §. 26. p. 290—292. [265. sq. ed. IV., 310—312. ed. V.]) Iam si de sola possessione quaeratur, secundum ea, quae §. 2. extr. diximus, dubitari nequit, quin procurator fraudulentus sibi acquirere possit possessionem, etiamsi tradens mandanti eam alienare voluerit. Sed si de traditione ea loquamur, qua simul dominii iura transeant, item ex iis, quae §. 3. dicta sunt, certissimum est, procuratorem, etsi animo rem sibi habendi infectum,

modo inutiles, sed etiam iniustae videri possint procuratoris partes. — Sed Iavolenus cardinem quaestionis nobis in mentem revocat, positum in eo: num traditum videri queat, quod non sit corpore apprehensum? Iam custodia apposita in eo quidem, qui dominium acquirit, pro apprehensione est; is autem, cui custodia mandatur, non est possessionis acquirendae, sed retinendae procurator; nam custodia eius retinetur domino possessio, solo autem actu, quo is ponit custodiam, statim acquiritur, ut de animo, quo mandatarius custodire incipiat, quaestio esse non possit, nihilominus autem certum sit, dominum animo, non corpore possessionem acquirere. Hae sunt rationes, cur pergat Iavolenus, quadam sed non acerba illa εἰρωνείᾳ usus: *nihil* (supple: quidem, vel utique,) *video interesse, utrum ipse acervum, an alius mandato meo custodiat,* (neuter enim possessionem apprehendit, quae a momento coeptae custodiae incipit,) et remoto dubio auctoris sui sententiam priorem confirmet: *utrobique animi quodam genere* (h. e. magis solo animo) *possessio* (i. e. acquisitio eius) *erit aestimanda.*

Atque sic etiam hanc probationis nostrae partem exegimus, in qua si non plane fuerimus infelices, sperandum est fore, ut paulo mitius de nostro conatu iudicium ferat Savignius, quam de Azone et Zasio [z]), quos solos non plane dissimilem opinionem fovisse cognovimus.

---

tamen non modo dominium, sed ne possessionem quidem nancisci. Atque eo spectant loca Ulpiani (L. 13. de donation.) et Iuliani (L. 37. §. ult. de acquir. rer. dom.), in quibus miror etiam Savignium antinomiam reperire, non aliter sanabilem, quam ut sententia recentioris ICti praeferatur. At formula *nihil agetur* apud Iulianum non ad omne negotium referenda, sed ad procuratorem, qui animo suo, a mente tradentis diverso, nihil agat, ut et dominus et possessor non ipse sit, sed quem tradens voluerit. Quod probatur partim verbis Iuliani diligenter consideratis, partim exitu loci, ubi in simili specie additur: *in parte alterius domini nihil agetur*, partim simili formula Ulpiani, qui procuratorem ait *in sua persona nihil agere.* Sic et cadit, quod Savignius in nota contendit, procuratori dominium quidem, non vero possessionem abiudicari. [In recentioribus tamen editt. (vid. not. 1. p. 265. ed. IV. vel 311. ed. V.) ex Nostri sententia verba: *nihil agetur*, interpretatus est: *id non agetur*, ita ut Iulianus Ulpiano contradicere non videatur.]

z) Loca vide et iudicium ap. Savignium §. 14. p. 184. [161. ed. IV., 188. ed. V.]

Sed iam manum de tabula! Tu, Lector Benevole, etsi a singulis opinionibus nostris recedas, si in quibusdam modo non plane nos errasse, atque veritatis aliquem defendendae amorem, aliquam investigandae peritiam nobis inesse profitearis, operae pretium nobis fecisse videbimur.

IV.

INDICUM
CORPORIS IURIS CIVILIS
SUPPLEMENTUM.

PROGRAMMA

AD INDICENDAS SUPER CAPITIBUS IURIS CONTROVERSI DISPUTATIONES

A. MDCCCXI. EDITUM.

PROOEMIUM.

Saepenumero mihi de studio iuris eiusque ad haec re- 3
centissima tempora fatis cogitanti cum multa occurrerunt, quibus res humanas omnes mancas ac tenues, numquam ad eam, quam animis intuemur, imaginem evehi posse perspicerem, tum illud longe gravissimum, quod, quae sint artis quaeque historiae in iurisprudentia partes, nulla potuit aetas satis accurate discernere, quin aut hanc unice sequuta, careret rationis, quae ingentem factorum molem sola componit ac digerit, praesidio, aut illi plane dedita, fidelissima inter fabulas et commenta duce experientia destitueretur. Quae res neque iurisprudentiae propria neque mira mihi videtur. Nam et iisdem fluctibus plerarumque aliarum artium, philosophiae puta, omnium principis, theologiae atque medicinae studia variis aetatibus agitata esse constat, et est haec animi humani, in- 4
ter duas sphaeras, coelestem alteram, alteram terrestrem, quasi suspensi, conditio, ut neque omnium, quae cognos-

cat, fons sit ipse solus ac proprius, nec prorsus serviat rerum externarum speciei ac vicissitudini; quorum alterum dei alicuius esset, alterum brutorum animantium.

Sed in haec philosophiae penetralia quominus altius descendam, et loci temporisque, et virium mearum ratio prohibet. Iurisprudentiam quidem, cuius cultoribus scribo, vix attinet dicere a plerisque, qui post renatas literas laudibus eius floruerunt, non tam ita tractatam esse, ut in absolutissimae disciplinae formam singula praecepta redigerent, quam sic, ut legum vel veterum vel hodiernarum sententiam, causas, fata e fontibus limpidissimis illustrarent et ab omni pravae interpretationis errore tuerentur. Quod, inter Belgas potissimum, nonnulli ita persecuti sunt, ut, quem in finem tantos doctrinae thesauros collegerint, collectos aperuerint, obliti fere esse viderentur, eam tamen laudem profusa et ostentata omnibus eruditione meriti, quae paucorum adeo gloriae officeret, ad maiora contendentium, doctrinamque suam nec arroganter venditantium, nec ita, ut a vulgo intelligerentur, proponentium. At enimvero ut servile et abiectum est, literarum studia sola utilitate metiri, nec quidquam facere aut meditari, nisi quod promtissimo commodo compensetur, ita indignum est homine vere erudito, nullo inter tot sollicitudines curasque literarias summo fine regi, sed prouti sors ferat, alia facere, alia infecta relinquere, quae cur necessario tibi vel facienda vel omittenda fuerint, ratio idonea reddi nequeat. Philosophia enim, mater studiorum, quam qui non amat, merito inter doctos barbarus habetur, philosophia animum ita imbuit atque erigit, ut in causas rerum omnium atque effectus, quantum id est humanae naturae, accuratissime inquirat, ut, quae seorsim intelligi nequeant, coniungat, comparet, ad communia principia revocet, denique ut meditate omnia agendo et ad summum finem totis viribus contendendo divinam originem clare profiteatur. Unde, si qui alii, reprehendendi mihi veniunt multi nomine magis, quam re φιλόλογοι, quorum studia etsi toto pectore amo ac minutissimarum rerum indagatione carere non posse video, a

nonnullis tamen ita vel olim agitata esse vel etiamnum 6 agitari intelligo, ut unam in his minutiis gloriam ponere, has propter se ipsas amare, nec aliud, quam ut in his regnent, appetere videantur. Quorum commune prorsus est cum illis, de quibus modo dixi, ICtis vituperium.

At nostra haec aetas non abundat profecto, ut praeterita secula, doctis hominibus, qui, librorum acervis sepulti, nil curent nec magni faciant, nisi longo et indefesso multorum annorum et voluminum studio partum et in lucem protractum, sed laborat potius ingenti copia eorum, qui, quidquid assiduitate discendum sit, spernant, nec e libris, sed proprio ausu sapere concupiscant. E quibus qui ICtos sese profitentur, exsultant haud dubie plurimi, quod in ea tempora inciderint, quibus Codex Napoleoneus et excitatum apud omnes gentes novarum legum studium ab omni pristinorum institutorum et iuris Romani potissimum cura ipsos videatur absolvere. Quibus ego suam, quam unius Napoleonei Codicis (ei, qui a iure Romano impraeparatus accedat, aut plane non, aut non recte intelligendi,) studium pollicetur, immortalita- 7 tem lubens permitto nec verbulum obloquor. Sed vel ab iis ipsis, qui verius sapiunt neque ius Romanum hodie seponendum esse ducunt, maiorem longe videmus adhiberi curam, ut in artem redigant singula iuris antiqui capita, quam ut ad fontes ipsos rivulosque genuinos vel ipsi alios deducant, vel saltem commendando praeparandoque invitent. Neque vero is ego sum, qui, artem adhiberi indigner, sine qua iactati in immenso literarum mari sidere careremus; sed eos modo, qui vix scholae spatiis egressi, hoc ante omnia sibi faciendum ducunt, quo pulcherrime mereri sibi videntur, ut centies dicta novam in formam redigant, eos ego vanitatis et male positi studii arguere non dubito. Non ab his exorsa sunt olim Donellorum Vulteiorumque lumina, neque his in rebus vires primum periclitati sunt praestantissimi quidam viri, quos aetas nostra illorum similes suspicit; sed praecedebat quotidianum atque severum antiquarum legum studium; praecedebat multa utriusque linguae, saltem la-

tinae, peritia, sine qua vel nulla datur vel brevi interitura in literis gloria; praecedebat longa et gravis meditatio, non illa sudores et vigilias fugiens, sed ne immatura et indigna eo, in quo collocati essent, loco proferret, metuens. — At qui hodie iuris civilis conditores scilicet dici gestiunt, leges illi antiquas vix legere queunt, nedum intelligere, linguas veteres ignorare (qui ne vernaculam quidem ita, ut virum doctum decet, calleant,) gloriosum censent, et, quod per iocum adversario minatur Cicero, tandem aliquando pervincendum rati, *triduo se ICtos profitentur.* Qui cum novandi etiam pruritu laborent, distorta et a vera eius indole plane aliena methodo ius Romanum profitentur, corrumpunt eo ipso ac depravant genuina eius praecepta, probare e legibus, quae ex iis non didicere, omittunt, denique, cum fortes fortibus creentur, sui similes multos de scholis suis emittunt, qui si chartarum in lectionibus large repletarum iacturam faciant, protinus ICtorum, si Diis placet! numero eximantur.

Quid igitur mirum, iacere hodie et plane contemni fontium iuris civilis studium, tanta olim alacritate, tanto fervore, tanto successu agitatum? quid mirum, ne dicam subsellia discentium, sed adeo cathedras docentium occupari ab iis, qui ne dicam graece, sed adeo latine, ne dicam indocti, sed adeo infantes sunt? quid mirum, his, quibus talium magistrorum scholis interesse contingit, leges ipsas veteres terram esse incognitam, inaccessam, ab aliquo demum Columbo generi humano reddendam? quid mirum, illos antecessores, si quando naturam exuere et Romanorum (barbarae nationis, de qua fando tamen aliquid eorum pervenit ad aures,) lingua uti cogantur, foedissime balbutire, aut edere *Observationes ad repletionem summi ingenii laborum necessarias perspectas* *), latine non magis, quam hebraice scriptas?

---

*) [Franc. Schoemannum antecessorem olim Ienensem, hic iniquius (cf. enim const. *Deo auctore* §. 6.) notari, monuerunt Hugo *Gött. Gel. Anz.* 1813. num. 148. p. 1488. (etiam in Eius *Beyträgen zur civilist. Bücherkenntniss der letzten vierzig Jahre,* vol. II. p. 167.) et Christ. Guil. Schweitzer in Progr. pro substitutione vulgari tacita, Ienae 1814. 4. pag. 11.]

Equidem in hac misera studii nostri conditione, quum persuasum mihi habeam, fundamenta verae ac solidae iurisprudentiae et quasi semina etiam sequenti aevo in iure Romano quaerenda esse et vero iri quaesitum, neque voce homuncionis, qui, Catonis nuper Censorii persona indutus, tollendum illud et tamquam aliquam Carthaginem radicitus exstirpandum esse, iteratis vicibus clamavit, multorum seculorum admirationem vinci posse, nullum habeo prius, nullum antiquius officium, quam ut 10
ignaviae huius aevi, quantum in me est, occurram, ipse quidquid iuri scripto et antiquis legibus temporis tribuo, id Romanis magis fontibus, quam recentissimorum hominum commentis impendam, atque eos, qui institutionem meam sequuntur, iuvenes ad genuinos fontes vel invitem ac praeparem, vel, si patiantur, deducam. Cumque oblata mihi esset scribendi opportunitas, id faciendum putavi, quod multi ardelionis esse clamabunt et tamquam pessimum otii abusum deridebunt. Codex scilicet repetitae praelectionis, semper ille prae Digestis neglectus, non caret quidem suis indicibus, cum alibi, tum in Wielingii *Iurisprudentia restituta* obviis, unde quae quorum Imperatorum leges quorsum collocatae sint, possis cognoscere; sed quum, ut in Pandectis ICti, ita hic Imperatores haud raro antecessorum suorum sententias afferrent, eaque loca a Wielingio, et qui ante eum similes indices confecerunt, omissa viderem, collegi ea quanta fieri potuit cura, et in hunc libellum congesta, eadem fere, quam Wielingianus liber prae se fert, forma edidi. Quodsi quis rei consilium et utilitatem requirat, sunt primum nonnulla ad 11
historiam iuris non levia, quae ex his locis unice cognoscantur; deinde ipsa harum citationum ratio, si quis eam diligenter observaverit, non parum valet ad comparandam et discernendam diversarum aetatum indolem. Nam quum priores, quorum in Codice constitutiones extant, Impp. earum, quas tollunt, legum auctores, quasi pudore aliquo ducti, vix unquam nominent, sed de aequabilitate iuris solliciti, instituta antecessorum etiam remotiorum crebro in memoriam revocent et corroborent, a Constantini inde

Magni aetate, qua maximam tota res publica mutationem patiebatur, rarissime id fieri, neque aliorum, quam qui proxime antecesserint, Imperatorum leges, eas vero nullo num confirmentur an abrogentur discrimine habito, commemorari videmus *); antiquiorum enim, translato in Orientem imperio, nec studium admodum vigebat, nec facilis erat ac proclivis usus. Quae rursus Iustiniano ad gubernacula sedente immutantur, qui exsultans ea, quam ex omni antiquarum legum genere condidisset, farragine, tamquam aeterno et absolutissimo nominis monumento, omnium promiscue Principum leges suis in constitutionibus commemorat, plerasque multa cum ostentatione tollens, nonnullas eodem modo confirmans, paucissimas easque ita laudans, ut in aliquam praeconii societatem et ipse veniret.

Sed ut a mero indice paululum distaret hicce libellus, non modo verba primaria cuiusvis citationis addidi, (quae tamen cum plena proponi non potuerint, vehementer rogandi sunt, qui opella nostra diligentius uti voluerint, ut fontes nihilominus ipsos adeant,) sed etiam quae per lectionis meae tenuitatem ad illustranda singula loca conferre viderentur aut ab aliis dicta meminissem, brevissime adnotavi. Qua in re etsi me nonnihil post Dionysium Gothofredum, cuius notis praecipue usus sum, praestitisse, idonei iudices animadvertent, plane tamen iis satisfacere per temporis, quo haec scriptio esset absolvenda, brevitatem non potui. Notavi igitur ex iis, qui mihi obvii essent, libris, quae vel olim lecta meminerim, vel nunc evolventi succurrerent. Caeterum ne in nimiam molem hic libellus excresceret, neque ex Ottoniani Meermanianique thesauri indicibus excerpsi loca huc pertinentia, quae potius lectoribus ipsis facile evolvenda relinquo,

---

*) In toto, qui ad nos pervenit, Theodosiano Codice tria sunt loca, quibus Impp. Constantino antiquiorum leges commemorentur, scilicet L. 4. de donationibus (VIII. 12.), ubi *Divi Pii*, L. 4. ad leg. Cornel. de falsis (IX. 19.), ubi *Divi Antonini* haud dubie Caracallae), tertius, quo *Hadriani* edicta laudantur. Postremum enim locum in ipso libello, ubi de Hadriano sermo erit, afferemus.

neque recensere potui eas leges, quarum ingens est numerus, quibus incertorum Imperatorum constitutiones, (formulis: *saepe rescriptum est*, *Divi Principes iusserunt*, similibusve,) citantur; quae, licet minorem praestent utilitatem, tamen; si quis olim, quod optandum est, omne Wielingii opus ad examen revocaret iterataque editione et emendaret et suppleret, neutiquam essent negligenda.

I N D E X

EORUM CODICIS IUSTINIANEI LOCORUM, QUIBUS IMPERATORES ROMANI ANTECESSORUM CONSTITUTIONES NOMINATIM COMMEMORANT.

1. IMP. TIBERII CLAUDII leges laudant 14
Severus et Antoninus L. 1. qui non poss. ad lib. perven. (VII. 12.)

„*Cum Divus Claudius pater meus constituerit* ....“ Solus enim Severus loquitur, quod crebrum. Non est, quod suasu Contii, Cuiacii aliorumque inscriptionem mutes ita: *Impp. Antoninus et Verus*, aut simpliciter: *Imp. Anton.* Nihil enim crebrius est, quam antecessorem vel remotissimum *patrem* dici ab Impp. (ut farragine exemplorum probat ipse Gothofredus ad L. 3. si adv. fisc.), qui eos adeo, qui summo magistratu fungerentur, *parentes* dicerent; (exemplum sit L. 4. de loc. et cond.) Quod autem in L. 33. D. de poen. Papinianus laudat, Divorum Fratrum rescriptum, cum exitu tantum 15
nostri conspirat, neque statim in tanto repetitarum sanctionum numero pro uno eodemque haberi potest. Subscriptionem, quam Cuiacius non laudatis fontibus affert: *Dat.* 16. *Kal. Iul. ipsis Antonino et Vero AA. Coss.*, vel ipse videtur vel alius confinxisse, quo facilius de mutanda inscriptione persuaderent. — Neque verbum *Claudius* (quod vel antiquissimae, quas consului, editiones offerunt,) eiiciendum aut in *Pius* mutandum est. Nam in re, de qua aliunde non constat, cum

Claudium etiam a Severo et Antonino patrem dici posse sciamus, codicibus maior quam levi coniecturae fides est habenda.

Alexander Severus L. 3. de his, qui sibi adscrib. (IX. 23.) „*SCto et edicto D. Claudii prohibitum est* ....“ Nihil hic mutandum. SCtum et Libonianum esse potest, et Claudianum; nam Claudius (quo ego hic Neronem intelligi coniicio,) et SCtum hac de re condidit, et edictum proposuit. L. 14. §. 2. L. 15. D. ad leg. Cornel. de fals. Suetonius v. Ner. c. 17. Tacitus Annal. XIV. 41. Cf. Diss. nostra I. ad leges Antonini Pii p. 25. et Diss. II. p. 88. sq.

Iustinianus L. un. §. 3. de lat. libert. toll. (VII. 6.) „*Sed scimus hoc etiam esse* ... *ex edicto D. Claudii introductum* ....“ Suetonius Claud. c. 25. Dio Cassius lib. LX. c. 29. pag. 967. Tom. II. ed. Reim. Zonaras Annal. lib. II. pag. 184. L. 2. D. qui sine manum. ad libert. perven. Conf. Petri Fabri Semestria lib. I. cap. 25. Herm. Noordkerk Disquis. de lege Petron. p. 108—113. Io. Chr. Francke Diss. ad Iurisprudentiam Tiberii Claudii Imperatoris (Witteb. 1770. 4.) cap. VII. p. 22.

2. IMP. FLAVII VESPASIANI edictum laudat

Alexander Severus L. 2. de aedif. priv. (VIII. 10.) „... *edicto D. Vespasiani et SCto vetitum est* ....“ Sueton. Vespas. c. 8. Cf. Cuiacius Obs. V. 26. XIX. 20. Ill. Andr. Guil. Cramer Vespasianus (Ien. 1785. 8.) p. 189—195. Loca a Gothofredo allata aliena sunt.

3. IMP. ULPII TRAIANI leges laudant

Diocletianus et Maximianus L. 5. de magistr. conv. (V. 75.) „... *ex SCto, quod auctore D. Traiano parente nostro factum est, constitit.*“ Conf. I. A. Bachii Traianus pag. 158—160. Idem SCtum innui videtur in L. 2. D. de magistr. conv.

Iustinianus L. un. pr. et §. 12. de lat. libert. toll. (VII. 6.) „... *difficultates maximae emergebant .... ex edicto D. Traiani* ...“ „... *sileat edictum D. Traiani* ...“ §. 4. Inst. de success. libert. Cf. Bach Trai. p. 69—73.

4. IMP. AELII HADRIANI leges laudant Antoninus Pius L. 1. quomodo et quando iud. sentent. (VII. 43.)

„... *propter subscriptionem patris mei, qua significa-* 17
vit....“ Neque enim causam video mutatae a Contio omnibusque post eum editoribus inscriptionis: *T. Aelius Antoninus*, quam ille ipse fatetur in codd. suis omnibus reperiri, quibuscum et antiquissimae editiones conspirant. Nunc quod legitur, *M. Aelius Antoninus*, nullius Imp. nomen esse recte iam monuit Ez. Spanhemius Orb. Rom. p. 121. ed. Halens., qui *M. Aurelius Ant.* legi iussit, persuasitque Io. Ortwino Westenbergio, ut hanc legem inter Divi Marci constitutiones referret atque illustraret in D. Marco Diss. XXXVI. p. 309—311. (cf. Diss. I. §. 18. p. 10.) Contra Antonino Caracallae manifesto errore eam tribuit Iac. Gothofredus ad L. 9. C. Th. de fide test. et instrum. (XI. 39.) Sed revocanda est genuina lectio, ut Antoninus Pius non commemoretur a filio, sed ipse patrem Hadrianum commemoret, cuius affine rescriptum est in L. 7. §. 16. D. quibus ex caus. in poss. eat. coll. L. 5. D. de poen. L. 33. §. 2. D. de procur. *) Caeterum aliud foedius 1
vitium est in edd. Leeuwen. et Amstel. de a. 1664. 8., quae magno habentur in pretio, in quibus post verbum

*) Atque hinc emendandum, quod D. Pii Diss. I. pag. 9. sq. not. k. editores secutus scripsi, hanc pariter legem ac L. 1. de impub. et al. subst. D. Marco deberi, quum hanc posteriorem dudum WESTENBERGIUS in Praef. D. Marco praem. gravissimis argumentis Pio vindicaverit et restituendam docuerit inscriptionem: *T. Aelius Ant.*, etsi sibi ipsi contradicens in Diss. I. §. 18. p. 10., ubi rursus *M. Aurelius Ant.* legi iubet, et Coss. in subscriptione positos, quos in Pii tempora incidere in praefat. dixerat, iam decimo Marci anno magistratu functos esse praecipit. Quippe posteriori loco sequitur SPANHEMIUM, qui l. cit. subscriptionem L. 1. de impub. et al. subst., vel memoriter, vel confundens cum subscriptione statim sequentis L. 1. de pet. hered., laudat hanc: *Claro et Cethego Coss.* qui sane Coss. in a. Chr. 170. ideoque in Marci Principatum incidunt. Sed subscriptio in codd. et edd. omnibus est: *Claro et Severo Coss.*, qui Consulatus denotat a. Chr. 146., quo Pius imperavit; et sic Westenbergius in Praefatione suis oculis usus conciliari potest cum Westenbergio Spanhemii testimoniis confiso.

damnare excidit *possis*, claudicante omni sententia. Conf. L. 40. pr. D. de iudic.; de re: L. 71. 72. 73. eod. L. ult. D. ad. SCt. Trebell.

M. Antoninus L. 1. de petit. hered. (III. 31.)
„*SCtum auctore D. Hadriano avo meo factum, quo cautum est* ..." Recte ex his verbis intpp. inscriptionem *T. Aelius*, quae est in plerisque codd., emendarunt, nam hic esset Antoninus Pius, qui Hadrianum non avum habuit, sed patrem *). Caeterum intelligendum SCtum Iuvencianum, de quo fuse L. 17. 25. §. 19. et L. 20. §. 6. sqq. D. de hered. petit. Ad nostram legem commentatur Westenbergius in D. Marco Diss. XXXIII. p. 297—302. SCti interpretes vid. in Chr. G. Hauboldi praestantissimis Institutionibus iur. Rom. literar. Tom. I. p. 325. sq.

Antoninus Caracalla L. 2. de fideic. lib. (VII. 4.)
„... *secundum D. Hadriani constitutionem* ..." L. 23. §. 1. D. de iure patron. et L. 47. D. de manum. testam. (coll. L. 2. §. 1. de condict. indeb.), ubi nomine *Principis* a Papiniano innuitur Hadrianus et ex *aureis* propter L. un. §. 5. C. de comm. servo manum. Tribonianus fecit *solidos*, ut mirum sit, nostrum locum mansisse intactum, ut et L. 8. §. ult. L. 9. D. de inoff. testam. Cf. L. 26. D. eod.

Alexander Severus L. 1. si mancip. ita venierit, ne prostit. (IV. 56.)
„... *ei cui secundum constitutionem D. Hadriani id competit* ..." „... *secundum interpretationem eiusdem Principis* ..." Ad priorem, quae commemoratur, legem cf. L. 7. pr. D. de iure patron. L. 56. D. de contrah. emt. Cuiacius Obs. V. 26. extr. Noordkerk de lege Petr. p. 120. 121. Crameri Vespas. p. 195—198. Ad alteram cf. L. 7. D. qui sine manum. ad lib. perv. L. 10. §. 1. D. de in ius voc. L. un. §. 4. C. de lat. lib. toll.

*) [cf. Divi Pii spec. I. supra p. 9. sq. not. k.]

Idem L. 4. ad leg. Falcid. (VI. 50.)
„... *merito D. Hadriano placuit.*“ Cf. Cuiacius Obs. XV. 30. Iac. Voorda Comm. ad leg. Falcid. (Harling. 1730.) p. 119—122.

Idem L. 2. 20
(„... *secundum epistolam D. Hadriani* ...“) et

Diocletianus et Maximianus L. 7. de incolis (X. 39.)
„... *sicut et D. Hadrianus edicto suo manifestissime declaravit* ...“ Cf. L. 37. D. ad municipal.

Iidem L. 5. de aedific. priv. (VIII. 10.)
„... *antiquato D. Hadriani edicto* ...“ Cf. Cuiacius Obs. V. 26. XIX. 20.

Iustinianus L. 3. de const. pecun. (IV. 18.)
„*Divi Hadriani epistolam, quae de* ...“ §. 4. Inst. de fideiussor. L. 26. 27. D. eod. Paull. S. R. I. 20. §. 1. Cf. Iani a Costa Praelectt. ad illustr. quosd. tit. locaque sel. iur. civ. ed. a Bav. Voorda (Lugd. B. 1773. 4.) p. 223. 224. Io. God. Schaumburg Commentar. de Constitution. Impp. antiquis, iis speciatim, quae in Institutionibus citantur et in Cod. repet. prael. omissae sunt, (Lemgov. 1735. 4.) pag. 145—148. Quod enim post alios D. Pii Diss. I. p. 16. statui, Hadriani nomine verum beneficii divisionis auctorem esse Antoninum Pium intelligendum, non ita firmum est, ut h. l. sequi potuerim.

L. 3. de edicto D. Hadr. toll. (VI. 33.)
„*Edicto D. Hadriani .... penitus quiescente, ... antiquatis nihilominus et aliis omnibus, quae circa repletionem vel interpretationem eiusdem Edicti promulgata*
sunt ....“ L. 7. D. de appellation. recip. L. 7. C. Th. 21
de testam. et codic. (IV. 4.) L. 26. eod. quor. appell. non recip. (XI. 26.) et ad haec loca I. Gothofredus. Nov. Valentin. IV. inter Posttheodos. p. 109. ed. Ritter. [Nov. LXIII. §. 5. ed. Berol.] Cf. Cuiacius ad Paulli S. Rec. IV. 6. 3. et III. 5. 14. sqq. God. Mascov Diss. ad leg. ult. C. de ed. D. Hadriani toll. in Opuscc. (c. Puettmanni Lips. 1776. 8.) p. 139. sqq.

5. IMP. T. AELII ANTONINI PII leges laudant
Alexander Severus L. 4. de loc. et cond. (IV. 65.)

„*Ex Divi Antonini Pii literis certa forma est* …“ L. 3. §. 2. D. de offic. Praef. vig. coll. L. 55. pr. D. loc. cond.

Diocletianus et Maximianus L. 12. de testam. manum. (VII. 2.)

„… *secundum haec quae D. Pius Antoninus constituit* …“ Retuli ad hunc locum in D. Pio Diss. II. p. 99—102. L. 1. §. 3. D. de legit. tutor. Sed falso. Etsi enim iure patronatus privantur heredes libertates vel legata subversuri, nondum tamen ita vincitur collusio heredum testamentariorum et legitimorum ad ultimam voluntatem in necem libertatium vel legatorum quovis pacto evertendam. Rectissime igitur Dion. Gothofredus rescripta D. Pii, quae L. 5. §. 1. 2. 4. L. 14. pr. D. de appellatt. et relatt. afferuntur, ab Impp. innui docet. Cf. L. 29. D. de inoff. testam.

22 Iidem L. 1. de collus. deteg. (VII. 20.)

„… *quando etiam rescriptum D. Pii super captivitate emissum* …. *ingenuum fecisse non videatur* …“ Erro, an hoc est rescriptum, quod tecto Imp. nomine commemorat Ulpianus L. 1. §. 1. D. de suis et legit. her. verbis: *nec mirum* … *nasci?* Cf. L. 9. C. de ingen. manum.

Iidem L. 4. de professor. et med. (X. 52.)

„*Oratione D. Pii* …. *continentur.*“ Capitol. v. Ant. P. c. 11. L. 6. §. 2. 7. 8. 10. D. de excusatt. Ibi quae laudatur *ἐπιστολη Ἀντωνινου του εὐσεβους, γραφεισῃ μεν τῳ κοινῳ της Ἀσιας, παντι δε τῳ κοσμῳ διαφερουσῃ*, (quod pessime vertit vulgatus interpres: *omni autem orbi conveniens*, cum sit: per omnem orbem divulgata, promulgata, ut vim edicti haberet,) ex Oratione fluxit, nisi statuas, Impp. vocabulum *Orationis* sensu latissimo adhibuisse, quo ab Edicto non differret. Cf. Ant. Augustini lib. sing. ad Modestinum de Excusatt. in Ottonis Thes. T. IV. p. 1575., unde emendandi errores a Westenbergio in D. Marco Diss. I. §. 5. p. 3. 4. quoad L. 6. §. 8. commissi, quos hic persequi non attinet, sed

iam Gothofredus vitaverat. Caeterum cf. L. 15. §. 5. D. eod.

6. IMP. M. AURELII ANTONINI PHILOSOPHI leges laudant

Severus et Antoninus L. 2. de impub. et al. subst. (VI. 26.) „.... *et ratio suadet et D. Marcus pater constituit*," 23 ubi pessime supplet Gothofredus: *sc. Commodi.* Pater est antecessor. — L. 4. pr. §. 1. D. de vulg. et pup. subst. (quae minus recte post Glossatores a Cuiacio ad Ulpiani Tit. XXIII. §. 7. et omnibus ferme aliis, v. c. a Brencmano ad Modestinum de Euremat. cap. VII. §. 22. et Thibalto *System des Pandectenrechts* §. 700. intelligitur; nam *in alterum casum* non est: in alterutrum, sed: in casum vulgaris substitutionis, qui comprehendit pupillarem, minime vero vice versa, ut plenissime probatur L. 41. §. 7. D., L. 4. et potissimum L. 8. C. h. t., qua *primus* et *secundus casus* eodem modo distinguuntur *).) Cf. L. 6. de testam. milit. (VI. 21.), ubi Alexander Severus idem *responsis prudentum et constitutionibus Divorum Parentum suorum placuisse* refert, nec cum Gothofredo Severus tantum et Antoninus, sed etiam Marcus intelligendus est.

Alexander Severus L. 5. de excus. tut. et cur. (V. 62.) „... *amplissimus ordo auctore D. Marco censuit* ..." Pars huius SCti forsitan est in L. 14. §. 2. L. 44. pr. D. eod. Cf. L. 10. §. 7. 8. et L. 45. §. ult. D. eod. L. 14. D. de tut. dat. et Paullus S. R. II. 29.

Idem L. 3. qui manum. non poss. (VII. 11.) „*Divo Marco auctore amplissimus ordo censuit* ..." L. 17. pr. D. qui et a quib. manum. Cf. Cuiacius Obs. II. 22.

Idem L. 4. de re militari (XII. 36.) 24
„... *D. Marcus et Antoninus pater meus constituit.*"

*) [At hanc sententiam defendi vix posse, observarunt iam HUGO et CHRIST. GUIL. SCHWEITZER in libris, quos p. 187. not. *) allegavimus. Novissime tamen etiam IO. NEP. DE WENING-INGENHEIM substitutionem vulgarem tacitam negavit; v. *Zeitschrift für Civilrecht und Process*, vol. III. (Giessae 1830. 8.) num. VI. et VII. p. 115—167. inprimis p. 153—167.]

Gordianus L. 6. de testam. manum. (VII. 2.) („... *maxime cum id etiam a D. Marco consultissimo Principe sit constitutum* ...“) et

Iustinianus L. 15. pr. (bis) §. 1. 2. 4. eod. „*Cum constitutio D. Marci declaret .... variae dubitationes ex hac constitutione emerserunt: .... nobis tamen ... placuit .... annale remedium dare D. Marci constitutioni ...*“ „*... sancimus, et in huiusmodi casu consultissimi Principis locum habere constitutionem ...*“ „*... et in hunc casum extendenda est D. Marci oratio ...*“ „*... bellissimam autem repletionem praefatae constitutioni donantes, sancimus ...*“ §. 1. Inst. de eo cui lib. c. bona addic. ibique Theophilus, L. 50. de manum. testam. L. 2. 3. 4. de fideic. lib. L. 13. §. 1. D. de op. lib. L. 10. §. 17. quae in fraud. credit. Cf. Westenberg D. M. Diss. XXXVIII. pag. 315 — 320. Schaumburg lib. sup. cit. p. 137 — 142.

Philippus A. et Philippus C. L. 4. de aedif. priv. (VIII. 10.) „*... iuxta placitum antiquitatis ....*“ Manifeste innuitur oratio D. Marci, cuius mentio fit L. 52. §. 10. D. pro soc. et cuius alia tantum capita esse videntur L. 1. D. in quib. caus. pign. v. hypoth. L. 24. §. 1. D. de reb. auctor. iud. poss. (coll. L. 25. D. de reb. cred.) de quibus locis v. Cuiacius Obs. XIX. 20., Westenberg D. M. Diss. XLI. p. 336 — 362., qui tamen leges diversas his locis afferri putant.

Valerianus et Gallienus L. 17. de exc. tut. v. cur. (V. 62.) „*Licet orationis sub D. Marco habitae verba deficiant ...*“ h. e. non id expresse contineant. L. 59. 60. 67. §. 3. D. de ritu nupt. L. 1. de in interd. matrim. int. pup. et tut. L. 4. h. t. Cf. Westenberg Diss. XLIII. p. 385 — 395.

Diocletianus et Maximianus L. 3. si adv. fisc. (II. 37.) „*Edicto quidem D. Marci res minorum exceptae nihil tuum adiuvant desiderium ...*“ §. 14. Inst. de usucap. et ibi Theophilus. Cf. Schaumburg lib. cit. p. 49 — 51.

Iidem L. 5. de repudiis (V. 11.) („*... D. Marcus pater noster religiosissimus Imperator constituit ...*“) et

Iustinianus L. 12. eod.
„... τουτο δε εὖ μεν ἀρξαμενος ὁ φιλοσοφωτατος ἐθεσπισε
Μαρκος ...“ Cf. L. 32. §. 19. D. de donatt. int. v. et
ux. (et ad eam Cuiacius Obs. XXV. 9.) L. 1. §. 5. D.
de lib. exhib. it. duc. Paull. S. R. V. 6. 15. ibique
Schulting. L. 18. C. de inoff. testam. Caeterum verba
huius legis, quae e Basilicis restituit Contius, plane
eadem leguntur Nov. XXII. c. 19., ut ipsos Basilico- 26
rum auctores non hac Iustiniani lege ipsa, sed compen-
dio a Iustiniano in Nov. cit. exhibito usos esse appareat.

Diocletianus et Maximianus L. 18. de excus. tut. v. cur. (V. 62.)
„... *intra tempus, quod D. Marci constitutione praescriptum est* ...“ L. 13. 16. D. coll. §. 16. Inst. h. t. L. 1. §. 6. D. quando appellandum sit. Hanc constitutionem etiam innuit Imp. Philippus L. 16. h. t., ubi *tempora antiquitus praestituta* et *formam super ea re statutorum principalium* commemorat.

Iidem L. 11. de quaestion. (IX. 41.)
„*Divo Marco placuit* ...“ Haec lex ab emblemate non libera. Cf. L. 27. §. 1. 2. D. de poen.

Iustinianus L. 25. de nuptiis. (V. 4.) bis.
„... *et Ulpianus quidem retulit constitutionem D. Marci* ...“ „... *sancimus hic repleri, quod D. Marci constitutioni deesse videtur*.“ Mentionem legis sustulit cum ea Iustinianus. Cf. L. 9. D. de ritu nupt. pr. Inst. de nupt. L. 28. de episc. aud.

Idem L. 11. de his quib. ut indign. (VI. 35.) ter.
„*Cum Silanianum SCtum a nobis tam laudandum quam
corroborandum est, nec non D. Marci oratio, quae
circa id facta est, bellissimum nobis videtur, D. Marci
prudentissimi Principis orationem et in libertatibus pro-
ducere, ne Princeps philosophiae plenus aliquid videa-* 27
tur imperfectum sanxisse.“ ... „*Merito enim nobis sacra-
tissimi Marci per omnia constitutionem replere* (rursus
foedo sphalmate in edd. Leeuwen. et Amstel. legitur
repellere) *placuit* ...“

Paullus ICtus L. 7. ad leg. Iul. maiest. (IX. 8.)
(„... *posteaquam D. Marcus Drunciani* .... *bona post*

mortem fisco vindicari iussit ..." v. Volcat. Gallic. vit. Avid. Cass. c. 9. Capitol. v. M. Anton. c. 26. ibique Casaub. Cuiacius Obs. III. 19. extr.) et

Marcianus ICtus L. 8. eod.

„*Post D. Marci constitutionem hoc iure uti coepimus ...*" Haec duo ICtorum loca, ut recte sensisse videtur Haloander, non nisi additamenta (*Beilagen*) fuerunt deperditae L. 6. h. t. (ut vel e subscriptione, quamvis mutila, fragmento Marciani adiecta apparet,) ideoque suis singularium legum numeris proprie non distingui debent. Cf. L. 11. D. eod. L. 20. D. de accus. et inscr. L. 6. §. 11. D. de iniust. rupt. irr. f. testam. L. 1. §. 3. D. de suis et legit. hered. §. 5. Inst. de hered. quae ab intest. defer.

7. IMPP. M. ANTONINI PHILOSOPHI ET M. AURELII COMMODI leges laudat

Alexander Severus L. 1. si mancip. ita fuer. alien. ut manum. (IV. 57.)

28 („... *non de ... libertate, quam ex constitutione iam fueras adeptus, litigare debuisti ...*");

Idem L. 2. eod.

(„... *ex constitutione Divorum Marci et Commodi ad Aufidium Victorinum liber est,*") et

Idem L. 3. eod. (bis)

„... *tamen constitutioni Divorum Marci et Commodi in semestribus scriptae locus est,*" ... „*quae iam ex constitutione libera erat ...*" L. 1. 3. 6. 8. 9. D. qui sine manum. ad lib. perv. L. 10. 20. pr. D. de manumiss. L. 20. §. 1. D. de manum. vind. L. 30. pr. D. qui et a quib. manum. L. 38. pr. et §. 1. D. de lib. caus. L. 10. pr. D. de in ius voc. L. 7. §. 8. D. de donatt. int. vir. et ux. L. 3. §. 2. D. de legit. tut. L. 84. §. 1. D. de hered. inst. L. 13. pr. D. de op. libert. L. 3. §. 3. D. de suis et legit. hered.

Idem L. 7. ut in poss. legator. (VI. 54.)

„*Scire debetis .... D. Marcum et Commodum constituisse ...*" L. 2. h. t. L. 46. D. de pactis.

8. IMP. HELVII PERTINACIS legem laudant
Severus et Antoninus L. 1. de bonis libert. (VI. 4.)
„... *secundum ea, quae D. Pertinaci placuerunt et nos secuti sumus* ...“ Cf. L. 28. D. eod. L. 9. D. ad leg. Iul. mai. Sed quomodo haec concilianda sunt cum Dione Cassio lib. LXXIII. c. 5. p. 1229. T. II. ed. Reimar. et Capitolino in v. H. Pertin. c. 6. 9., qui a 29
Pertinace maiestatis quaestionem sublatam esse tradunt? — Ignorarunt hunc locum, qui de hac quaestione sublata egit, A. Fr. Schott in Diss. de vita et const. D. Pertinacis (Lips. 1722. 4.) p. 33. et qui de legibus Pertinacis, quarum in Cod. fit mentio, (Lugd. Bat. 1783. 4.) scripsit, Constant. Ian. Danckaerts.

9. IMP. SEPTIMII SEVERI leges laudant
Antoninus Caracalla L. 3. de donatt. int. v. et ux. (V. 16.)
(„*Donatio .... et ex mea et ex D. Severi patris mei constitutione confirmata est* ....“) et
Gordianus L. 10. eod.
„... *ex oratione D. Severi confirmata est donatio* ...“ Pars eius Orationis citari videtur, cuius multa fit mentio L. 23. 32. D. eod. Sed cf. L. 9. §. 10. 11. D. eod. L. 43. D. de mort. c. donatt.
Antoninus Caracalla L. 1. ad leg. Cornel. de fals. (IX. 22.)
„... *sicut iam pridem mihi et D. Severo patri meo placuit* ...“ Cf. L. 1. §. 11. L. 3. §. 6. D. de Carbon. ed. Cuiacius Obs. XX. 24. Cramer Vespas. pag. 170. sqq.
Idem L. un. de peric. eor. qui pro magistrat. intervener. (XI. 34.)
„... *tam mihi quam D. Severo patri meo placuit.*“ 30
Cf. L. 68. pr. D. de fideiussor. L. 17. §. 15. D. ad municip.
Alexander Severus L. 5. ad leg. Falcid. (VI. 50.)
(„... *legis Falcidiae ratione secundum constitutionem D. Severi avi mei uti potes*;“) et
Gordianus L. 2. de donation. c. mortis (VIII. 57.)
„... *cum D. Severi constitutione etiam in mortis causa donationibus .... provisum sit, is, qui nurui tuae heres*

extiterit, eius constitutionis beneficium non prohibetur postulare." Haec lex innuitur etiam duobus Papiniani locis L. 77. §. 1. D. de legat. II. verbis: *salva Falcidiae ratione, quam in his quoque donationibus ... locum habere placuit*, et L. 42. §. 1. D. de mort. c. don. verbis: *non enim ad alia constitutionem pertinere* etc. Cf. L. 27. D. eod. L. 66. §. 1. D. ad leg. Falcid. L. 1. §. 5. D. quod legator. Paullus S. R. III. 8. 1. ibique Schulting. Cuiacius Obs. III. 17. XX. 6. I. Voordae Comm. ad leg. Falcid. p. 91. sqq. Caeterum hanc Severi constitutionem cum illa, quae de donationibus inter coniuges egit, cohaesisse, coniici potest e L. 12. ad leg. Falcid. (VI. 50.), ubi Diocletianus et Maximianus *nonnullis iuris placitis comprehensum esse* dicunt, ut in donationibus coniugum Falcidia locum habeat. Cf. L. 32. §. 1. D. de don. int. v. et ux. L. 15. §. 5. D. ad leg. Falc. Iam vero coniuges non nisi mortis causa donare sibi posse constat.

31 Idem L. 8b. de nuptiis. (V. 4.)

„*Manifestum est ... dotem .... iuxta sententiam D. Severi fieri caducam ....*" Iniuria haec lex in Cod. Iustin. relata, quam ne unus quidem cod. agnoscit, nec, qui primus edidit, Cuiacius Obs. I. 11. hunc in locum intrudi voluit. Rectius legitur Fragmm. Cod. Gregor. lib. V. tit. 1. §. 1. Cf. L. 2. §. 1. D. de his quae ut indign. L. 38. §. 1. D. de ritu nupt. (ad quam Schultingius Iurisprud. Anteiust. p. 303.) L. 61. D. eod.

Iidem L. 2. de curat. fur. et prod. (V. 70.)

(„*Orationis D. Severi beneficium .... non iniuria ... porrigitur ...*" Cf. Consult. Ioach. Maur. Guil. Baumann Diss. D. Gordianus sive de vita et constitutionibus M. Antonii Gordiani III. Imp. Exerc. I. (Lips. 1792.) pag. 32—37.) et

Diocletianus et Maximianus L. 9. de praed. et al. reb. min. (V. 71.)

„*... venditio ... contra D. Severi orationem facta ... non immerito rescissa est ...*" Tit. D. de reb. cor. qui sub tut. v. cura sunt. Innuitur haec oratio et *legis*

nomine a Constantino M. L. 22. de admin. tut. v. cur., *SCti* nomine L. 1. 5. 7. 8. 11. 15. 16. 17. h. t., L. 3. 4. si quis ignor. rem minor. Add. L. 49. D. de minor. L. 12. §. 4. L. 13. §. 2. D. de Public. in r. act. L. 16. pr. D. de pignor. act. Cf. Chr. G. Haubold
Diss. Historia iur. civ. de reb. eor. qui sub tut. v. cura 32
sunt sine decr. non alien. v. suppon. (Lips. 1798. 4.) cap. II. p. 24. sqq. [Opusculorum Academ. vol. II. p. 190. sqq.]

Gordianus L. 2. de his quae sub modo leg. (VI. 45.)
„... *tamen in libertate a D. Severo hoc admissum est* ..." Cf. L. 7. 48. D. fideic. lib.

Iustinianus L. 15. pr. D. de testam. manum. (VII. 2.)
„... *licet D. Severus ... hoc non admisit.*"

Idem L. 1. pr. de comm. servo manum. (VII. 7.)
„... *inventa est constitutio apud Marcianum in constitutionibus D. Severi, per quam idem Imperator disposuit* ..." Cf. Paullus S. R. II. 8. 1. Ulpianus tit. I. §. 18. ibique Schulting.

10. IMPP. SEPTIMII SEVERI ET ANTONINI CARACALLAE leges laudant

Alexander Severus L. 2. de reb. cred. (IV. 1.)
„... *secundum constituta Divorum parentum meorum* ..." Non alios quam Severum et Antoninum hic intelligi, ostendit L. 13. §. 6. D. de iureiur. Cf. L. 7. §. 3. D ad leg. Iul. mai. Ev. Ottonis Diss. de periurio per genium Principis, ad L. 13. §. 6. D. de iureiur. in eius Dissert. iur. publ. et priv. (Trai. ad Rh. 1723. 4.) p. 249—294. I. a Costa Praelectt. cit. p. 153—155.

Gordianus L. 4. de hered. inst. (VI. 24.)
„... *Divorum Severi et Antonini placitis continetur.*"
Idem *a Principibus statutum esse* dicunt Valerianus et 33
Gallienus L. 5. de testam. et quemadm. testam. ord. (VI. 23.) Cf. L. 9. pr. D. de her. inst. L. 16. pr. D. de his quae ut indign. L. 46. pr. D. de iure fisci.

Iustinianus L. 1. pr. de comm. servo manum. (VII. 7.)
„... *Sed et alia constitutio Divorum Severi et Antonini Principum reperta est* ..."

Marcianus ICtus L. 8. pr. ad leg. Iul. mai. (IX. 8.)
„... *Sic et Divi Severus et Antoninus constituerunt* ...“ L. 20. D. de accus. et inscr. L. 15. D. de donatt. Cf. L. 31. §. 4. D. eod. L. 15. pr. D. qui et a quib. manum. L. 8. §. 2. D. de manumiss.

Idem L. 8. §. 2. eodem.
„... *ut Severus et Antoninus literis ad Rationales missis rescripserunt.*“

II. IMP. ANTONINI CARACALLAE leges laudant Alexander Severus L. 8. de edendo (II. 2.)
„*Et quae a D. Antonino patre meo et quae a me rescripta sunt, cum iuris et aequitatis rationibus congruunt* ...“ L. 4. h. t. quae conciliatur cum L. 5. et 6. Caeterum de argumento huius tituli v. Marius Arcas in Ottonis Thes. T. V. p. 66. sqq. et H. ab Almendingen *über Urkundenedition und Argentarien*, in Grolmani *Ma-*
34 *gazin für die Philos. u. Gesch. d. Rechts u. d. Gesetzgeb.* T. I. (Giess. 1800.) p. 334 — 336. quorum quosdam, ut mihi videtur, errores alio tempore notare sustinebo.

Idem L. 6. ut in poss. legator. (VI. 54.)
„... *secundum D. Antonini patris mei constitutionem.*“ L. 5. §. 16. 25. D. eod. L. 3. §. 1. D. ne vis fiat ei qui in poss. Cf. Paulli S. R. IV. 1. 17. De his locis exposuerunt Io. P. Mahner in Comm. de M. Aurelio Antonino constitutionis de civit. univ. orbi Rom. datae auctore (Helmstad. 1772. 8.) §. 8. p. 32 — 37. et Io. Christ. Frid. Meister in praestantissima Diss. de Antonino Caracalla, vero civitatis per orb. Rom. propagatore (Trai. ad Viadr. 1792. 4.) p. 4 — 9., nos etiam obiter eos tetigimus in D. Pio Diss. I. p. 11. Est enim quaestio dubia: Marcumne an Caracallam Ulpianus *Imp. Antonini Aug.* nomine L. 5. §. 16. cit. intellexerit? deinde utrumlibet intellexerit, idemne etiam §. 25. eiusd. legis et L. 3. cit. *D. Antonini* et *Antonini* simpliciter nomine designetur? Et Mahnerus quidem his tribus locis Divum Marcum intelligit, falsis de aetate scriptorum Ulpianeorum opinioni-

bus inductus. Meisterus contra *Imp. Antoninum Aug.*
Caracallam esse non negat, sed §. 25. aliam constitutio-
nem D. Marci, a Papiniano L. 5. §. 1. D. ut legator.
s. fideicomm. nom. cav. allatam, innui contendit, quam
Ulpianus etiam inter §. 24. et 25. verbis nonnullis re-
tulerit, a Triboniano omissis, quia illa Marci lex iam 35
e loco Papiniani nota esset. Sic igitur lacuna inter
§. 24. et 25. esset statuenda, Papiniani loco supplenda.
Sed ut taceam, quod alias docui, Antonini nomine sim-
pliciter Marcum fere numquam esse intelligendum, ne-
xus orationis facile quemque docet, Ulpianum interpre-
tationem rescripti §. 16. positi, §. 17. inchoatam, §. 25.
absolvere, quaeque ibi legantur, manifesto respondere
verbis rescripti: *Quod remedium ... faciunt.* Et quam-
quam non nego, Imperatoribus antecessores omnino
omnes *patrum* nomine esse salutatos, tamen ab Alexan-
dro Severo, ubi simpliciter *D. Antoninum* nominat, ma-
gis putem avum adoptivum hic etiam, ut eo qui prae-
cessit et qui sequitur loco, designari, quam Philoso-
phum, quem ne cognatione quidem attingebat et in
superioribus ab eo constanter *D. Marcum* vocari vidi-
mus. Quod ad difficultates loci illius Pandectarum
attinet, quae de ordine, quo singula Ulpiani opera edi-
ta sunt, in schedis notata habeo, alias persequar, re-
tractaturus, quae D. Pii Diss. I. p. 11—13. obiter dis-
serui, et probaturus, merum esse commentum, quod
post Cuiacium Bertrandus, Schultingius, Mahnerus alii-
que proposuerunt, quo libros ad Edictum Ulpianeos libris
ad Sabinum antiquiores esse statuitur. Imo recentiores
esse, plenissime potest probari; scripti nimirum sunt
omnes imperante Alexandro Severo. Cum igitur Ulpia-
nus in referendo rescripto (§. 16.) verba actorum publi-
corum et inscriptionem in iis positam sequeretur, *Imp.* 36
et *Aug.* vocavit Caracallam, quem §. 25. et L. 3. §. 1.
cit. suis usus verbis recte *Divum* et *Antoninum* simpli-
citer appellat. Sic et in L. 15. D. loc. cond. §. 5.
Divi Antonini et §. 6. *Antonini Aug.* nomine iam eun-
dem Caracallam innui censeo, eadem e ratione sermo-

nis diversitatem derivans. In Sabinianis quidem libris hoc D. Antonini nomen nusquam occurrit. Sed ea res cohaeret cum multis aliis et gravis ad historiam iuris momenti quaestionibus, alibi dilucidandis.

Idem L. 4. de re milit. (XII. 36.)

„... *D. Marcus et Antoninus pater meus constituit.*“

Diocletianus et Maximianus L. 4. ad SCt. Trebell. (VI. 49.)

„.... *cum D. Antonino parenti nostro .... iam dudum placuerit ....*“ Quod hic Caracallae soli, id ei et patri eius tribuitur L. 74. D. de leg. I., imo et Severo soli L. 61. §. 1. de leg. II.

Iustinianus L. 4. de lib. et posth. (VI. 28.)

„... *Constitutio autem Magni Antonini eam* (bonorum possessionem contra tabulas) ... *coarctabat* ....“

Marcianus ICtus L. 8. pr. ad leg. Iul. mai. (IX. 8.)

„... *Magnus etiam Antoninus rescripsit.*“

37 12. IMP. ALEXANDRI SEVERI indulgentiam commemorat

Gordianus L. 6. de sentent. pass. et restit. (IX. 51.)

„... *si ex indulgentia D. Alexandri ... reditus in patrium solum praecedensque dignitas restituta sit ...*“ Omni hoc tit. nomine *indulgentiae* (*criminum* scil., a qua magnopere differt *indulgentia debitorum*, de qua Cod. Theod. XI. 28. ibique Gothofr.) intelligitur abolitio vel absolutio, quam Impp. aut singulis maleficis vel collegiis concedere solebant, quae erat *specialis*, aut omnibus, qui per integras provincias, imo per universum orbem crimina commisissent, festis quidem temporibus (v. c. natalitiis), quae dicebatur *generalis*. Quae h. l. commemoratur, specialis fuit, neque Alexandri Severi aetate alterum illud genus iam in usu fuisse videtur. Tu cum nostro cf. tit. C. Th. de indulgentiis crim. (IX. 38.) et consule ibi Gothofredum.

13. IMP. GORDIANI III. constitutionem laudat

Iustinianus L. 22. pr. et §. 15. de iure deliber. (VI. 30.)

„...*Sed et veterem constitutionem non ignoramus, quam D. Gordianus ad Platonem scripsit, ... cuius sensus*

ad unam praefatarum constitutionum a nobis redactus est. Arma etenim magis quam iura scire milites sacratissimus legislator existimavit ....“ „.... Notissimum autem est, hac constitutione ... nostris constitutionibus 38
... esse derogatum, quarum altera etiam Gordianae constitutionis sensus continebatur ...“ §. 6. Inst. de hered. qualit. et differ. ibique Vinnius, Schaumburg lib. sup. cit. p. 85—87. Hinc restringendum, quod Consult. Baumann de legg. Gordiani Exerc. I. p. 32. contendit: *nulla Gordiani edicta uspiam reperiri.*

14. IMP. M. AURELII CLAUDII constitutionem laudant

Diocletianus et Maximianus L. 1. ne liceat potentior. (II. 14.) *„Divine admodum constituit D. Claudius, consultissimus Princeps, parens noster .... Quem palam est* etc. ...“ *„cum D. Claudius huius rei Rectorem provinciae disceptatorem et, si res postularet, ultorem specialiter fecerit.“* Rectissime Cuiacius Obs. VIII. 31. non Tiberium, sed hunc secundum Claudium h. l. innui docuit, cui et argumenti indoles unice convenit, et debentur propriis eius verbis in Cod. relatae L. 2. de div. rescript. L. 6. de servit. et aqua. Cf. Bern. Henr. Reinhold Opuscula (ed. Iugleri L. Bat. 1755. 8.) p. 177.

15. IMP. DOMITII AURELIANI leges laudant

Diocletianus et Maximianus L. 4. de primipilo (XII. 63.) *„Cum .... D. Aurelianus sanxerit ....“* Quod a Contii aetate notatur: *al. Traianus*, manifeste ineptum est.

Constantinus M. L. 1. de omni agro deserto (XI. 58.) 39
„Cum D. Aurelianus parens noster .... iusserit ....“

16. IMP. C. AURELII VALERII DIOCLETIANI leges laudant

Impp. Valentinianus I., Valens et Gratianus L. 3. de cohortal. princ. et cornic. (XII. 58.) quae est L. 11. C. Th. eod. (VIII. 4.)
„... privilegia, quae a D. Diocletiano porrecta sunt atque concessa, nos quoque porreximus ....“ Cf. Gothofredus ad loc. C. Th. cit.

Iustinianus L. 12. de repud. (V. 17.)

„... *τουτο δε εὐ μεν ἀρξαμενος ὁ φιλοσοφοτατος ἐθεσπισε Μαρκος· Διοκλητιανος δε τουτῳ κατηκολουθησεν· ἡμεις δε ὁμοιως ἀπεδεξαμεθα.*" L. 5. h. t. Vid. notata supra p. 198.

17. IMP. CONSTANTINI MAGNI leges laudant Constantius A. et Iulianus C. L. 2. §. 1. de episc. et cler. (I. 3.), quae est L. 14. C. Th. de episc. eccles. et cler. (XVI. 2.)

„... *Divi Principis genitoris mei statuta multimoda observatione caverunt* ...." L. 1. h. t. quae est L. 8. C. Th. cit. ubi v. Iac. Gothofredus.

Valentinianus I. et Valens L. 2. de praescript. XXX v. XL annor. (VII. 39.)

40 „.... *cum lex Constantiniana iubeat ab his possessoribus initium non requiri, qui sibi potius quam alteri possederant* ...." Eam constitutionem hic intelligi, cuius pars sit L. 2. C. Th. de praescript. longi temp. (IV. 13.), ideoque, ut ibi in inscriptione, ne subscriptioni repugnet, *Constantius* loco *Constantinus*, ita h. l. non *Constantiniana* sed *Constantiana* legendum esse, contendit Iac. Gothofredus ad l. C. Th. cit., ubi etiam, quae pater ad nostram legem notaverat, licet tecto nomine, falsa esse arguit. Sed illa tamen, in tanto codd. hucusque collatorum et edd. antt. consensu, nec aperta legum allatarum similitudine, mera est coniectura, quae movere me non potuit, ut h. l. e Constantini legibus citatis tollerem.

Theodosius I., Arcadius et Honorius L. 1. de annon. civil. (XI. 24.) quae est L. 10. C. Th. de annon. civicis et pane gradili (XIV. 17.)

(„... *Divi Constantini liberalitate satis claruit* ....") et Honorius et Theodosius II. L. 1. de frum. Urb. Constantinop. (XI. 23.) quae est L. 2. C. Th. eod. (XIV. 16.)

„.... *ita enim debet canon ab inclytae memoriae Constantino praestitutus* .... *expendi* ....," sic enim rectius legitur in C. Th., cum Iustinianei editt. omnes habeant *praestitus*, quam varietatem non notavit Iac. Gothofr. Ipsa haec Constantini lex non extat, sed commemora-

tur etiam L. 9. 11. 12. C. Th. de annon. civ. et a 41
scriptoribus ecclesiasticis, quorum loca v. ap. Gothofredum, maxime ad L. 2. C. Th. cit.

Theodosius II. et Valentinianus III. L. 6. pr. de haeret. (I. 5.) quae est L. 66. C. Th. eod. (XVI. 5.) „... *quemadmodum Ariani ab Ario lege divae memoriae Constantini ... nuncupantur* ....“ Ex Socrate hanc Constantini legem restituit Gothofredus ad l. C. Th. cit.

Leo L. 3. de legit. tutor. (V. 30.) „*Constitutione Divae memoriae Constantini lege Claudia sublata* ....“ L. 2. C. Th. de tutor. et curator. creand. (III. 17.) ubi v. Gothofr. Cf. Schulting ad Ulpian. tit. XI. §. 8. ibique laudd. et Ev. Otto de perpet. feminar. tutela §. 20. 21. in eius Diss. iur. publ. et priv. p. 222. sqq.

Zeno L. 5. de natural. lib. (V. 27.)
„*Divi Constantini, qui veneranda Christianorum fide Romanum munivit imperium*, *) .... *sacratissimam constitutionem renovantes, iubemus* ....“ Spectat ad legitimationem, cuius primus auctor Constantinus; unde
Iustinianus Nov. LXXXIX. prooem: „*Το των νοθων ὀνομα .... ἐκ .. των Κωνσταντινου του της εὐσεβους λη-*
ξεως χρονων, ἐν τοις των διαταξεων ἐνεγραφη βιβλιοις ...“ 42
et cap. 15. laudat *Κωνσταντινου του της εὐσεβους ληξεως* ... *την προς Γρηγοριον γραφεισην διαταξιν* (cuius fragmentum est L. 1. h. t.), quam *παντελως ἀναιρει*. Item Nov. CXVII. c. 6. legitur: „... *τον δε Κωνσταντινου του της εὐσεβους ληξεως νομον, τον προς Γρηγοριον γεγραμμενον, και την ἐπ' αυτῳ γενομενην ἑρμηνειαν ὑπο Μαρκιανου του της εὐσεβους ληξεως*, (quae est inter Novellas Marciani quarta, p. 139. ed. Ritter. [LXXXIV. ed. Berol.] ubi item legis Constantinianae multa mentio, et e qua excerpta est L. 7. de incest. et inut. nupt. V. 5.) *δι' ὡν αἱ των γυναικων συζυγιαι, ἅς ὁ Κωνσταντινου νομος εὐτελεις ἐκαλεσεν, προς τινας ἀξιωμασι κεκοσμημενους κωλυονται, οὐδεν*

---

*) Similiter eum Iustinianus Nov. VII. prooem. vocat: *τον της χριστιανικης πιστεως ἐν βασιλευσιν ἀρχηγετην*.

παντελως τροπω κρατειν συγχωρουμεν....“ Sed multas de hoc argumento Constantini leges fuisse, ut affirmari nequeat, Zenonem ad eiusdem constitutionis ad Gregorium datae aliud caput respexisse, intelligitur e L. 1. [nunc 4.] C. Th. de natur. lib. (IV. 6.), ubi *leges Constantinianae* de hac re memorantur, et vid. egregius Gothofredi comm.

Iustinianus L. 30. de pactis (II. 3.)

„.... *quod etiam antiquioribus legibus et constitutionibus non est incognitum, licet a nobis clarius est introductum* ...“ Intelligitur potissimum lex Constantini Magni 2. C. Th. fam. ercisc. (II. 24.), cuius et verba quaedam suae inseruit Iustinianus.

Idem L. 7. §. 3. de cur. fur. v. prod. (V. 70.)

„.... *cum petitio bonorum possessionis Constantiniana lege sublata sit, et ab eo introducta observatio, quae pro antiqua sufficit petitione.*“ In mendo cubat hic locus; legendum: *Constantiana*, etsi omnes libri repugnent. Innuitur manifesto alterutra Constantii constitutio, aut ea, cuius partes sunt L. 8. qui admitti ad bon. poss. et L. 4. C. Th. de matern. bon. et materni gen. et cret. subl. (VIII. 18.), (quas communis subscriptio arguit partim disiecti esse membra legislatoris, partim Constantio, cuius nomen prae se ferunt, recte tribui, nec ad Constantinum M. referri posse,) aut ea, cuius fragmentum est L. 9. qui adm. ad bon. poss., quae, etsi mutila est inscriptio, secundum rationem in digerendo Codice observatam antiquior L. 8. esse non potest. Sed quod paulo ante Gothofredi auctoritati non tribui, nolo meae coniecturae tribuere, praesertim cum videam, Cuiacium Obs. XVII. 19. L. 8. et 9. cit. ad Constantinum M. referre. Caeterum spectat huc §. ult. Inst. de bon. poss., ubi *anteriores Principes* id, de quo hic sermo est, *bene providisse* dicuntur.

Idem L. 6. §. 3. de bon. quae lib. (VI. 61.)

„*Cum autem Constantiniana lege cautum erat .... sancimus* ...“ Intelligitur L. 1. C. Th. de mat. bon. (VIII. 18.) e qua misere interpolata est L. 1. C. Iust.

de bon. mat. Cf. quae et ipsa Constantini et eiusdem argumenti est L. 2. C. Th. eod., et ubi lex Constan- 44 tini citatur, L. 9. C. Th. eod. et ad haec loca Gothofredus. Argumentum commemorat, sed celato Constantini nomine *ex anterioribus constitutionibus* derivat Iustinianus §. 2. Inst. per quas pers. cuique acquir.

Idem L. un. pr. et §. 3. de raptu virg. (IX. 13.)
„.... *secundum antiquae Constantinianae legis definitionem* ...." „.... *cum hoc etiam Constantiniana lege recte fuerit prospectum* ...." L. 1. C. Th. eod. (IX. 24.) coll. L. 2. eod., ubi hanc legem citat et mutat Constans. Cf. ibi Gothofredus.

18. IMP. CONSTANTII legem laudat

Leo L. 27. de episc. et cler. (I. 3.)
„.... *exceptis primipilaribus, quos praeceptis tui culminis et publicis utilitatibus in perpetuum esse subiectos sacratissimae constitutionis statuta sanxerunt.*" Intelligitur L. 4. eod., quae est L. 7. C. Th. de cohortal. princ. etc. (VIII. 4.), quacum iungenda L. 49. C. Th. de decurion. (XII. 1.) et ad haec loca consulendus Gothofredus.

19. IMP. CLAUDII IULIANI APOSTATAE legem laudat

Leo L. 61. de decurion. (X. 31.)
„.... *lege divae memoriae Iuliani* ..... *nihil in persona viri illustris* ..... *roboris vel iuris habitura. Circa* 45 *alias sane universas personas* .... *eandem legem praecipimus obtinere propriam firmitatem.*" L. 22. h. t., quae est L. 51. C. Th. eod. (XII. 1.), ubi v. Gothofredus. Add. Zosimi Histor. lib. III. c. 11. §. 10. p. 225. ed. Reitemeier.

20. IMP. VALENTINIANI I. legem laudant

Gratianus, Theodosius I. et Arcadius L. 1. de locat. praed. civ. (XI. 70.)
„*Divi patris nostri aperta praeceptione cavetur* ...." In inscriptione nil mutandum; etsi enim hi triumviri nunquam soli sed iuncto iis Valentiniano II. imperarunt, notum tamen est, hunc non magnae auctoritatis Princi-

pem, a Gratiano fratre et vero huius legis auctore, quocum Occidentem administrabat, oppressum, et in aliarum legum inscriptionibus et in numis non raro praetermitti. V. Iac. Gothofredi Chronologia Cod. Theod. ad ann. 375. 392. p. XCVIII. CXXXVI. T. I. ed. Ritter. Caeterum cf. L. 3. de fund. rei priv.

21. IMP. THEODOSII I. leges laudant

Arcadius et Honorius L. 12. de episc. (I. 3.), quae desumta est e L. 3. C. Th. de his qui ad eccles. confug. (IX. 45.)

„.... *clericis enim ulterius legem prodesse non patimur, quae cessione patrimonii subsecuta, decuriones clericos esse non vetabat.*“ L. 121. C. Th. de decurion. (XII. 1.)
6 cui congruunt L. 104. 123. eod., ad quae loca v. Gothofredus, ut et in Paratitlo illius tit. T. IV. p. 357. 358. ed. Ritter.

Honorius, Arcadius et Theodosius II. L. 2. de decurial. urb. Rom. (XI. 13.), quae est L. 4. C. Th. de decuriis urb. Rom. (XIV. 2.)

„*Leges decuriales .... a Divo parente* (C. Th. *patre*) *nostro conditas, nostra auctoritate firmamus. ....*“ Cf. Gothofredus ad l. cit.

Honorius et Theodosius II. L. 1. de frum. urb. Constantinop. (XI. 23.)

„... *canon .... a Divo pietatis meae avo Theodosio auctus ...*“ Est enim lex nomine tantum Honorii munita, Constantinopoli a Theodosio II., Arcadii filio, qui in Oriente imperabat, emissa. Caeterum cf. loca sup. p. 207. 208. cit.

22. IMPP. ARCADII ET HONORII leges laudat

Iustinianus L. 53. §. 1. de episc. et cler. (I. 3.)

„.... *Μεμνημεθα Ἀρκαδιου και Ὁνωριου των της εὐσεβους ληξεως ἐντυχοντες διαταξει, βουλομενῃ. ..... Ἁπερ κρατειν ἐκ τουδε ἡμων θεσπιζομεν του νομου, κελευοντες ....*“ Intelligitur L. 12. eod., de qua modo dictum.

Idem L. 19. de collation. (VI. 20.)

„.... *onus collationis constitutione Arcadii et Honorii*

divae memoriae .. impositum ...." L. 5. C. Th. de 47
legit. heredit. (V. 1.) et quae alia eiusdem legis particula est L. un. C. Th. unde lib. (IV. 2.), ad quae loca v. Gothofredus.

23. IMP. ARCADII legem laudant
Honorius et Theodosius II. L. 2. de offic. procos. (I. 35.) „*Officium .... aeternae recordationis patrem Serenitatis nostrae adiit, ... cuius allegationes humanae proclivius pium Principem commoverunt ...*" Haec quoque lex, *Simplicio Procos. Asiae* inscripta, solum Theodosium II. habet auctorem, cuius ideo pater intelligendus, non Honorii.

24. IMPP. THEODOSII II. ET VALENTINIANI III. leges laudant
Leo et Anthemius L. 5. de bonis quae lib. (VI. 61.) „.... *ex recitatione constitutionis Divorum retro Principum Theodosii et Valentiniani, qua cavetur ....*" L. 1. eod., quae est L. un. C. Th. de bonis quae filiis fam. ex matrim. acquir. (VIII. 19. ubi v. Gothofr.) et ad quam se referunt etiam L. 2. 3. h. t.
Zeno L. 31. de donation. (VIII. 54.) „.... *secundum constitutionem Theodosii et Valentiniani ad Hierium Praefectum Praetorio promulgatam.*" L. 29. h. t.
Anastasius L. 9. de repudiis (V. 17.) 48
(„... *repudium ... quo nulla causa continetur, quae consultissimae constitutioni divae memoriae Theodosii et Valentiniani inserta est ...*") et
Iustinianus L. un. §. 16. de rei uxor. act. (V. 13.) „.... *omnia iura, quae ex Theodosiana ... lege descendunt, immutilata custodiantur ....*" L. 8. C. de repud. (cuius tamen initium depromtum est ex antiquiori eorundem Impp. lege, quae extat inter Nov. Theod. tit. XVII. p. 54. ed. Ritter. [Nov. XVIII. ed. Berol.]) de qua etiam Iustinianus Nov. XXII. c. 16. §. 1. *Ταυτας μεν ουν*, inquit, *τας αιτιας ἡμιν ὁ Θεοδωσιος ἀφηγησατο*, simulque *ποινας* commemorat *τῃ Θεοδωσιου του της εὐσεβους ληξεως διαταξει ἑωρισμενας*. Add. c. 18.

Anastasius L. 11. de aquaeductu (XI. 42.)
„*Divinam dispositionem ab inclytae recordationis Principe Theodosio .... promulgatam hac etiam lege in sua firmitate durare sancimus ....*“ L. 5. h. t., quae rursus nomen Theod. et Valent. gerit, cum priorem solum, Orienti imperantem, auctorem habeat.

Idem L. 11. de proximis sacror. scrinior. (XII. 19.)
„.... *definitam sacraeque constitutioni divae memoriae Theodosii et Valentiniani Principum insertam quantitatem .... consequantur ....*“ L. 7. h. t.

9 Iustinianus L. 53. princ. de episc. et cler. (I. 3.)
„.... κατὰ την Θεοδωσιου και Βαλεντινιανου των της εὐσεβους ληξεως διαταξιν, την προς Θωμαν αντιγεγραμμενην.“ L. 21. h. t., quae cum L. 60. de decurion. depromta censetur e L. 187. 188. C. Th. de decurion. (XII. 1.) quarum et subscriptiones (uno tantum die, forsan errore, diversae,) et verba quaedam congruunt, inscriptio autem est non *Thomae*, sed *Isidoro Praef. Praet.* Quam difficultatem aliter diluere nequeo, quam ut statuam, esse eiusdem legis diversa exempla, alia ad Isidorum data, ad Thomam alia, cuius nominis in toto Cod. Theod. ne unus quidem homo occurrit.

Idem L. un. §. 5. de caduc. toll. (VI. 51.)
„.... *de quibus Theodosiana lex super huiusmodi casibus introducta loquitur ....*“ L. un. de his qui ante ap. tabb. hered. transmitt., ad quam extat doctus Guil. Marani tractatus in Operibus a Trotzio ed. (Trai. ad Rh. 1741. fol.) p. 648—655.

Idem L. 3. quando et quib. quarta pars debeat. (X. 34.) bis.
„.... *sancimus .... non videri curiae ex sententia legis Theodosianae ad Apollonium scriptae satisfieri ...*“
.... „*In hoc enim Theodosianae legi apertissime volu-*
0 *mus esse derogatum ....*“ L. 2. h. t., quae consarcinata est e Nov. Theod. tit. XI. l. 2. p. 36. ed. Ritter. [Nov. XXXI. ed. Berol.]

25. IMP. MARCIANI legem laudant

Leo et Anthemius L. 1. ut nemo ad suum patroc. recip. (XI. 53.)

„... *Quam formam ex eo quidem tempore, quod sacra constitutio a divae memoriae Marciano promulgata continet, ... valere atque executioni mandari praecipimus.*"

Zeno L. 6. de div. praed. urb. (XI. 69.)

„.... *si quid, ex quo sanctio Marciani divae memoriae lata est, ... gestum est ....*" Intelligenda L. 5. h. t., quam dudum monuit Cuiacius praeter Valentinianum III. etiam Marcianum in inscriptione prae se ferre debere; sed supina editorum negligentia morem ei non gessit. Nam petita est L. 5. e Nov. III., quae inter Posttheodosianas Valentiniani III. et Marciani legitur, p. 138. sq. ed. Ritter. [Nov. LXXXIII. ed. Berol.]

26. IMP. LEONIS leges laudant

Zeno L. 17. §. 1. de advoc. divers. iudicior. (II. 7.)

„*Cuncta sane privilegia, quae magnificae per Orientem praefecturae advocatis ex .... inclytae recordationis Leonis ... sanctionibus indulta sunt, tuae ... sedis causidicis ... competere ... sancimus.*" L. 15. h. t.

Idem L. 29. de inoff. testam. (III. 28.) 51

„*Quoniam novella constitutio D. Leonis .... praecepit ...*" L. 17. de collation.

Idem L. 2. de quadrienn. praescript. (VII. 37.)

„.... *omnibus ... privilegiis, quae ex divinis sanctionibus inclytae recordationis Leonis .... emtores consecuti sunt, perpotiri sancimus ....*"

Idem L. 12. pr. de aedif. priv. (VIII. 10.)

„... *Ἐγνωμην .... ὡς ὁ θειος νομος του της ἀθανατου μνημης πατρος ἡμετερου Λεοντος, ὁν ἐθετο περι των ἐν τηδε τη ἐνδοξῳ πολει κτιζειν βουλομενων, ἀμφιβολος. ....*"

Anastasius L. 32. de donation. (VIII. 54.)

„*Secundum D. Leonis constitutionem .... praecipimus ...*" L. 30. h. t.

Iustinianus L. 50. de episc. et cler. (I. 3.) bis.

„*Cum lege Leonina .... concessum sit ....*" „... *quod ex Leonina constitutione descendit ...*" L. 34. h. t.

Idem L. 53. §. 1. eod.

„.... *Ἐπειδη δε και τινα διαταξιν εὑρομεν, περι μοναχων διαλεγομενην, και βουλομενην ..... δειν ᾠηθημεν ἀφορμην*

52 *ἐντευθεν λαβοντες, τελειοτερον τε και εις τον ἁπαντα χρονον και τουτο ἐπανορθωσαι ....*" L. 29. h. t.

Idem L. 35. de loc. et cond. (IV. 65.)
„*Licet retro Principes multa de militibus .... sanxisse manifestum est, tamen quia res sic est contemta, ut neque interminationis sacratissimae constitutionis milites memores ad huiusmodi sordida audeant venire ministeria, ... necessarium duximus ad hanc sacratissimam venire constitutionem, altius et plenius huiusmodi causam corrigentes.* L. 31. h. t.

Idem L. 20. pr. de donation. ante nupt. (V. 3.)
(„*.... ita tamen, ut Leoniana constitutio .... maneat in his casibus intacta, et non solum ea immutilata custodiatur, sed etiam nostra, quam de interpretatione eius fecimus, ambiguitatem eius tollentes ....*") et

Idem L. 10. de pact. conv. sup. dote (V. 14.)
„*Lege Leonis divae memoriae .... sanciente, nec adiiciente ... nos, omnia clara esse cupientes, praecipimus ....*" L. 9. h. t., ad quam Iustinianus etiam Nov. XXII. c. 20. pr. respicit, verbis: *ὅπερ ὁ γενναιοτατος Λεων ἐν τοὶς οἰκειοις ἐγραψε νομοις*, et quam *Λεοντος του της εὐσεβους μνημης διαταξιν* etiam Nov. CXVII. c. 6. iubet *ἐπι παντων των ἀλλων θεματων, των μη περιεχομενων τῳ παροντι νομῳ, την ἰδιαν ἐχειν ἰσχυν.*

3 Idem L. 10. de secund. nupt. (V. 9.) bis.
„*... reclamare videtur huiusmodi sanctioni divalis constitutio Leonis inclytae recordationis, quam super filiis ex priore matrimonio procreatis conscripsit ....*" „*.... sancimus ingratos ... liberos neque hoc beneficium, quod divalis constitutio Leonis Augustae memoriae eis praestitit, in posterum posse sibi vindicare ....*" L. 6. h. t., ad quam respiciens Iustinianus etiam Nov. XXII. prooem. Leonem vocat: *ἀνδρα γενναιως τε και ἀνδρικως και τα περι τουτων κατα το πλειστον νομοθετησαντα*, et cap. 27. eidem *ἀριστα δοκει σκεψασθαι Λεων ὁ της θειας ληξεως*. Sed cap. 31. et 45. nihilominus eum satis arroganter supplet; add. cap. 46. §. 2., Nov. LXVIII. prooem. et c. 1. Celeberrimae legis recentissimus et optimus

interpres, quem norim, est Georg. Ludov. Becher in Diss. Vindiciae interpretationis genuinae legis sextae Codicis de secundis nuptiis. Francof. ad Moen. 1797. 8.

Idem L. 25. de testam. (VI. 23.)
„*Praeposteri reprehensionem ... novella constitutio D. Leonis in dotalibus instrumentis sustulisse noscitur ....*“ §. 14. Inst. de inutil. stipul.

27. IMP. ZENONIS leges laudant

Anastasius L. 65. de decurion. (X. 31.)
„*Divae memoriae Zenonis sacratissimam constitutionem .... in hac tantummodo parte duximus corrigendam,* 54
qua cavetur, eos etiam, qui ante eandem constitutionem, ab initio tamen eiusdem divae recordationis Zenonis imperii, comites .... provecti sunt, minime curialium munerum laqueos ob hoc evitare ....“ „*.... et si contigerit eos post d. memoriae Zenonis constitutionem .... curiae competentia munera subiisse, eadem videlicet constitutione d. memoriae Zenonis suas vires obtinente ....*“ L. 64. h. t.

Idem L. 2. de comit. consistorian. (XII. 10.)
„*.... iisdem privilegiis .... quibus viri clarissimi principes scholae agentium in rebus per sacram pragmaticam sanctionem divinae memoriae Zenonis utuntur.*“ L. 8. de princip. agent. in reb.

Iustinus L. 6. de advoc. div. iudicum. (II. 8.)
„*Restituendae sunt clarissimis eloquentiae luminibus sexaginta auri librae, quas sub imperio Zenonis divae memoriae pedaneis deputatas arbitris* etc.

Iustinianus L. 2. de pluspetition. (III. 10.)
„*Zenonis divae memoriae vestigiis insistentes praesenti lege decernimus .....*“ L. 1. h. t. §. 33. 34. Inst. de action. §. 10. Inst. de exceptt. Cf. Cuiacius Obs. XII. 21. Schaumburg lib. sup. cit. p. 156—158.

Idem L. 3. de quadrienn. praescript. (VII. 37.) 55
„*Bene a Zenone divae memoriae .... prospectum est ....*“ L. 2. h. t. §. 14. Inst. de usuc. et l. temp. praescr. Cf. Kind Quaest. For. T. III. c. 29. (T. IV. c. 35. ed. prim.)

Idem L. 13. de aedif. priv. (VIII. 10.) bis.

„*Cum dubitabatur, utrum constitutio Zenonis divae memoriae ad Adamantium Praefectum urbi scripta ... localis esset et huic florentissimae urbi dedicata, ... sancimus, eandem constitutionem in omnibus urbibus Romani imperii obtinere et secundum eius definitionem omnia procedere, ... caeteris videlicet omnibus, quae non per Zenonianam legem innovata sunt, ... in sua firmitate ... manentibus.*“ L. 12. h. t., quae commemoratur etiam Nov. LXIII. prooem., et ad quam commentati sunt Andr. Federici (Neap. 1766. rec. 1770. 4.) et N. Carletti (Neap. 1783. 8.), quorum notitiam debeo Stockmanno ad Bachii lib. III. c. 4. sect. 2. §. 10.

28. IMP. ANASTASII leges laudant

Iustinus L. 6. de advoc. div. iudicum (II. 8.)

„.... *sexaginta auri librae, quas sub imperio Zenonis .... deputatas .... tamen auferendas credidit praeparca posterioris subtilitas Principis ....*“

6 Idem L. 7. de natural. lib. (V. 27.)

„*Legem Anastasii divinae recordationis, quae super naturalibus filiis emissa est, in his valere tantum casibus concedimus, qui nunc usque subsecuti sunt ....*“ L. 6. h. t., quam *Ἀναστασιου του της εὐσεβους ληξεως διαταξιν* Iustinianus Nov. LXXXIX. c. 7. *οὐκ ἐνοχλειν του λοιπου τοις ἑαυτου ὑπηκοοις συγχωρει, ... την του πατρος ἑαυτου ἀποδεχομενος διαταξιν, σωφρονως μεν εἰσηγηθεισαν, κοσμιως δε τεθειμενην*, quae est L. 7. h. t.

Iustinianus L. 23. pr. et §. 3. mand. vel contra (IV. 35.)

„*Ab Anastasio divae memoriae Principe iustissima constitutio conscripta est, tam humanitatis quam benevolentiae plena ....*“ „... *generaliter Anastasianae constitutioni subvenientes, sancimus ...*“ „*Et iustum quidem fuerat hoc remedium debitoribus ab Anastasianis temporibus impertiri; ...*“ „... *omne quod contra legem Anastasianam excogitatum est, hoc in posterum nostro perfruatur remedio.*“ L. 22. h. t., quae etiam in fragmento Leg. 24., quod in Basilicis superest, commemoratur. Praeter scriptores de lege Anastasiana in

vulgus notos cf. Io. Iensii Stricturas in iur. Rom. Pandd. et Cod. (Lugd. Bat. 1764. 4.) p. 567—573.

Idem L. un. §. 15. 16. de rei uxor. act. (V. 13.)
„.... *Licet enim Anastasiana lex de consentientibus mulieribus vel suo iuri renunciantibus loquatur, tamen* 57
eam intelligi oportet in rebus mariti ....“ „.... *Simili-que modo ea, quae Anastasiana lege pro his, quae bona gratia separantur, enumerata sunt, firma illibataque maneant* ....“ L. 9. de repudiis, quam Ἀναστασιου του της εὐσεβους λήξεως διαταξιν Iustinianus commemorat etiam Nov. XXII. c. 16. princ.

Idem L. 13. §. 1. 2. de legit. hered. (VI. 58.)
„*Cum enim Anastasiana lex iura fratribus legitima noscitur servare* ....“ „... *cum ex lege Anastasiana in alium articulum fratribus prospectum est, nunc a nobis in hac specie plenius eis subvenitur* ....“ L. 11. h. t.

Idem L. 15. §. 1. eod. bis.
„.... *necessarium duximus, hoc primum corrigere et legem Anastasianam iusto incremento perfectam ostendere*“ ... „*aequo iure invicem sibi succedant et non secundum legem Anastasianam parte aliqua deminuta* ....“ „Innuitur constitutio Anastasii antiquior, in novo Codice omissa, ut et argumentum ostendit, et L. 4. de legit. tutor., qua Anastasius hanc eandem legem ipse tanquam prius conditam memorat; at hanc legem 4. subscriptiones ostendunt lege 11. h. t. et L. 5. de emancipation., qua modum emancipandi per rescriptum Anastasius introduxit, esse antiquiorem. Add. §. 1. 58
Inst. de succ. cognat. Cf. Schaumburg lib. sup. laud. p. 134—137.

Idem L. 6. de emancip. liberor. (VIII. 49.)
„.... *iubemus ... licentiam ei esse, qui emancipare vult, vel ex lege Anastasiana hoc facere, vel sine sacro rescripto* ....“ L. 5. h. t.

Idem L. 23. §. 1. de agric. et censit. (XI. 47.)
„*Cum autem Anastasiana lex ... voluerit, ... et ex*

hoc quaerebatur ...., sancimus ...." Innuitur L. 18. h. t., e Basilicis restituta.

29. IMP. IUSTINI legem laudat Iustinianus L. 9. de advoc. div. iudicum (I. 8.) „*De constitutione divinae recordationis Iustini patris nostri .... Illyricani advocati postularunt a nobis eis clarum fieri* etc. L. 7. h. t.

V.

OBSERVATIONUM
AD
IURISPRUDENTIAM ELEGANTIOREM FACIENTIUM TRIGA.

PRO LOCO IN ORDINE ICTORUM LIPSIENSI OBTINENDO

A. D. XXII. SEPT. MDCCCXXV. DEFENSA.

CAPUT I.

DE IURE EDENDI SCRIPTORES ANTIQUOS RECENS INVENTOS.

1 **E**tiamsi non defuerint, ne nostra quidem aetate, qui aut lucri cupidine, aut patriae suae, cui damna imminere putarent, amore, aut inaudita quaedam et communi opinioni contraria dicendi studio defenderent summam in iterandis libris alienis licentiam, neque aut scriptorum, omnem saepe fortunam in ingenii viribus habentium, aut librariorum, maximas impensas facientium, iuribus parcerent, ab eorum tamen doctrina, si quidem doctrina dici potest argumentorum neutiquam cohaerentium, quamvis fallacium, cumulatio, semper ego longissime abfui. Nam si, quae sordidis et illiberalibus, ut veteres vocarunt, arti-

bus, neutiquam illis contemnendis, sed tamen corpus tantum aut inferiores animi vires exercentibus, parantur, eorum sine dubio sunt, qui arte adhibita opus perfecerunt, quid quaeso turpius esset et ab omni humanitatis cultu magis alienum, quam sola ingenii et bonae mentis opera a communi legum tutela exemta, non iusto omnium usui, (quis enim hoc detrectaret?) sed abusui, non studiis, sed furto permitti?

Sed nolo id pluribus nunc persequi, quandoquidem 2
leges Saxonicae iterationem libri alieni satis clare prohibent, (vid. Haubold *Lehrbuch des Königl. Sächs. Privatr.* §. 416.): iniustitiam autem facti, (ab Ordine Iurisconsultorum Lipsiensium iam ao. MDCLXXXIX., quum de dubiis quaestionibus ad Principem referret, quaestione decima egregie demonstratam, quam vide ap. Bergerum in Elect. Disc. Forens. p. 1008 — 1011. ed. II.) nuperrime non subtiliter minus quam docte probaverit Car. Ern. Schmidt in libro praestantissimo: *Der Büchernachdruck*, *aus dem Gesichtspunkte des Rechts*, *der Moral und der Politik. Gegen Dr. Ludw. Friedr. Griesinger. Iena* 1823. 8., qui etiam largam aliorum de argumento vexatissimo scriptorum copiam suppeditat. Haec tamen est naturae humanae labes atque depravatio, ut lucri studium et sacra auri fames argumenta vincat omnia, ut pauci ab iis actionibus, quae non aequali ubique lege prohibitae sunt et vero lucrum pollicentur, ea sola ratione abstineant, quia turpes sunt, utque adeo nunquam desint huiusmodi actionibus strenui quidam defensores, qui eas nullo modo reprehendendas, quin paene laudabiles esse artificiose demonstrent. Itaque nec in Germania nostra deerunt, qui scriptorum atque librariorum fortunas invadant et non raro pessumdent, donec communi quadam et iamdudum praeparata sanctione per omnem confoederationis Germanicae ditionem hoc quoque furti genus fuerit prohibitum similibusque ac cetera poenis notatum.

Sed nocent bonae causae, ut semper, ita hac in re, ii, qui, ambitum iuris sui pro arbitrio extendentes, ibi se laesos esse conqueruntur, ubi nullum extat vel iuris vel laesionis vestigium.

3 Cuius rei plura alia a me proferri possent exempla, si in latissimum de proprietate, quae scriptoribus atque bibliopolis competit, locum exspatiari vacaret. Qui enim v. c. fabulam a se scriptam et publice apud bibliopolas venalem doceri in theatro nolunt, antequam ipsi eius rei veniam dederint et plerumque vendiderint, dum suam proprietatem pro arbitrio extendunt, eam, quam emtores libri cuiusque consequuntur, invidiose limitant. Sed subsistam nunc in eo exemplo, quod a propria quadam temporum nostrorum felicitate repetitum est, qua plurima antiquitatis monumenta e membranis palimpsestis eruuntur. Quem enim fugiunt Maii, Niebuhrii, Peyroni celeberrima nomina, quibus Ciceronis, Livii, Frontonis, Symmachi aliorumque scriptorum reliquias, aut plane incognitas antea, aut nunc accuratius perspectas, debemus? quem fugit, ut de arte nostra dicam, Gaii, quem Fragmentorum Vaticanorum, quem insignium Codicis Theodosiani supplementorum inventio? Quibus fortunae et eruditae industriae beneficiis evenit, ut, quemadmodum in typographiae primordiis, satis multae hodie quoque editiones *principes*, i. e. contextum antiqui scriptoris antea ineditum exhibentes, prodierint. Quas statutum est hucusque quoad contextum suum impune ab omnibus iterari posse, praesertim de suo studio aliquid addentibus. Itaque quum primum fragmenta quaedam Ciceronis Maius edidisset, ea praestantissimus aetatis nostrae philologus, Heinrichius, et Cramerus, non minoris ingenii quam fidei et integritatis Iurisconsultus, suis emendationibus polita, animadversionibus illustrata, denuo edere non dubitarunt; idemque idem Heinrichius in edendo librorum de re publica contextu emendatiore conatus est, simul maiorem quoque et locupletiorem pollicitus editionem. Praeterea quid Stein-
4 ackerum nostrum, qui in iisdem libris desudavit, quid editores Ciceronis, qui recens inventa fragmenta operibus eiusdem inseruerunt, quid Niebuhrium atque Buttmannum, qui Frontonem reconcinnatum Berolinensibus typis iterari iusserunt, commemorem? Nam Gaius quoque noster, cuius inter Iureconsultos summum et inaestimabile pretium

est, antequam secunda eius editio auctoritate Regiae Scientiarum Academiae Borussicae a Goeschenio profligaretur, duplicem expertus est contextus iterationem: alteram, quae in *Iuris civilis ecloga* a Ictis Gallis Blondeau et du Caurroy de la Croix Parisiis 1822. 8. edita pag. 19—217. continetur, nec, quantum mihi investigare licuit, quidquam proprii habet; alteram, quam vir quidam doctus, cuius nomen ignoro, hoc ipso anno atque in urbe nostra sumtibus Hartmanni bibliopolae prodire iussit, quaeque solum quidem contextum, sed coniecturis cum aliorum, tum editoris ipsius locupletatum exhibet, in quibus nonnullae sunt eiusmodi, ut etiam post secundas Goeschenii curas non plane videantur aspernandae *).

Sed ecce! audio hoc ius in dubium vocari, atque a nonnullis contendi: quae quis e membranis maxime palimpsestis multa opera neque fortasse sine magno sumtu eruerit, ea ita esse inventoris propria, ut, etiam edita, invito ipso aut in quem ius suum derivaverit, biblio- 5
pola iterari non debeant. In cuius rei veritatem, quum mihi neque inutilis videretur, neque iniucunda, paucis inquirere constitui.

Qui inter recentiores solus, quantum equidem scio, quaestiones ad rem librariam spectantes peculiari libro complexus est, Car. G. Roessig (*in dem Handbuch des Buchhandelsrechts, systematisch dargestellt für Rechtsgelehrte, Buchhändler und Schriftsteller*, Lips. 1804. 8.) is in hoc quidem argumento non satis sibi constitisse videtur. Nam pag. quidem 83. iura ex redemtione librorum edendorum definiturus peculiarem speciem discernit:

---

*) Sic, ut exempla quaedam afferam, Comm. II. §. 212. editio Lipsiensis habet: *Et plerique putant id utile esse: quibus ergo licet aliquis* etc., in quibus, etsi novum membranae examen a Bluhmio institutum lectionem: *quid ergo est*, defendere videatur, tamen illud: *id utile* probabile videtur. — Porro quod Comm. IV. §. 2. legitur: *qua agitur cum iudicato, aliove, qui nobis*, si nunc minus verum, certe ingeniosum videatur. — Comm. IV. §. 37. ubi in nova quoque editione peregrinum nomen Goeschenius desiderat, hic editur: *Dionis Crissaei*. Cf. etiam Comm. IV. §. 34. 40. — A vitiis tamen operarum non satis purgatam esse editionem, negari non potest.

die durch den Druck zu geschehende Vervielfältigung einer Handschrift, wo kein Geisteseigenthum eines lebenden Verfassers eintritt, sondern die blos und allein als körperliche Sache in dem physischen Eigenthume eines andern ist. Dieses ist z. B. der Fall bey den Handschriften der Griechischen und Römischen Schriftsteller. Sed pag. 116—121. ubi hanc speciem pluribus tractat, discernit, utrum unus tantum adsit codex, cuius edendi ius librarius a bibliothecae praefectis aliòve possessore redemerit: quo casu contextum a nemine praeter redemtorem iterari debere putat; an plures MSS. codices extent: tunc enim, nisi primus editor privilegium impetraverit, (quod tamen ipsum ultra ditionem Principis, qui dederit, vim suam non exserat,) omnibus putat licere, ut ex aliis codicibus eundem edant scriptorem. Quae posterior quaestio a nemine, quod sciam, in dubium vocata est. Ceterum quum in antecedentibus (p. 89. sqq.) Roessigius omne bibliopolae ius e dominio auctoris (*aus dem geistigen Eigenthume des Schriftstellers*), pro parte in illum derivato, explicasset, quomodo quaeso fieri potest, ut etiam ibi, ubi auctor
6 nullus, sed tantum unici codicis possessor adest, eadem in bibliopolam iura, non modo edendi, sed etiam alios ab iteratione prohibendi transferantur? Itaque Roessigio p. 118. quaerenti: *woher sollte wohl ein anderer Buchhändler ein Recht zum Verlage erhalten?* propriis ipsius verbis responderi potest, quibus p. 226. utitur: *Jedoch tritt kein Nachdruck ein, ... wenn ein Verleger eine Sache druckt, die, wenn er dieses unternimmt, schon zur öffentlichen, natürlichen Freyheit gehört, z. B. der Abdruck eines Friedensschlusses, eines Gesetzes. Es wäre denn, dass Jemand ein Privilegium hat.* — Accedit, quod, quae scriptor hicce disputat, si vel maxime vera essent, non plane ad eam, quae hodie agitatur, quaestionem quadrarent, siquidem non codices palimpsesti a possessoribus venditi aut saltem editionis causa traditi sunt bibliopolis, sed viri docti excussis codicibus, quos aliis omnibus denuo adire licet, (ita nuper Mediolanenses Ci-

ceronis membranas Peyronus, Veronenses Gaii Bluhmius iterum consuluerunt,) quae inde depromserant, librariis edenda vendiderunt.

Quum igitur ipsi huic quaestioni illustrandae nos accingimus, primum omnium nemo dubitabit, ea omnia, quae princeps quidam editor scriptori suo ornando atque illustrando addit, animadversiones puta, praefationes, excursus, indices et huiuscemodi alia, sine delicto repeti posse a nemine. Hi enim vere sunt studiorum editoris fructus, quorum pariter atque aliorum operum a se scriptorum proprietatem in bibliopolam recte transfert. Quare nunquam mihi facti sui iustitiam probarunt, qui, quum vix Angelus Maius prima Ciceronis fragmenta a se inventa edidisset, omne eius opus, prouti erat Mediolani editum, Germanicis typis ita repetierunt, ut ne iota quidem vel omitterent, vel de suo adderent, eandemque 7 deinceps rationem in Frontone, Symmacho, Dionysio servarunt. Qui scilicet, quod adversus popularem aut omnino non, aut non impune commisissent, id excusatius in exteri scriptoris opere fieri censuerunt, cuius minor exemplorum numerus, sed maiore pretio soleat in patria nostra divendi, cuius etiam iura, donec inter Principes Europaeos ea de re convenerit, nullum intra Germaniae confinia defensorem reperiant. Adeo enim hostilis adhuc et a vera humanitate, quam et ratio dictat, et Christiana religio praedicat, remota est gentium Europaearum inter se conditio, ut, quae in popularem iniuria est, adversus exterum saepe non esse videatur, ideoque qui eam tantum, quam iudicia vindicant, iniustitiam evitandam arbitrantur, multa sibi in exteros licere autument, quae contra populares suscipere non audeant. Quae res etiam permovit Angelum Maium, ut suam librorum de re publica et Vaticanorum fragmentorum editionem non in Italia tantum prodire iuberet, sed Germano etiam et Francogallico bibliopolae repetendam ipse venderet.

Exclusa igitur quaestione de tota editione principe repetenda, iam in contextu antiqui scriptoris subsistamus! Hunc Maius atque Peyronus ex earum, quibus praesunt

aut paulo ante praefuerunt, bibliothecarum membranas in lucem ita protraxerunt, ut eaedem membranae hodienum communi eruditorum usui pateant. Gaii autem, qui a Iureconsulto prae ceteris merito commemoratur, reliquias quum primum in Veronensibus membranis odorata esset Niebuhrii sagacitas, Regia scientiarum Academia Borussica, immortaliter vel hoc uno nomine de bonis literis merita, ablegatis Veronam clarissimis viris Goeschenio et Imman. Bekkero, quibus se postea adiunxit doctissimus
8 Bethmann-Hollweg, diligentius investigari iussit. Qui rara humanitate a Capitularibus Veronensibus excepti, quum, quidquid reluctantibus membranis eripuerant, in Academiae sinum detulissent, haec et Goeschenio suo mandat edendi Gaii provinciam, et bibliopolae ius editionis vendit.

Huiusmodi igitur librorum contextum, qui veteris scriptoris verba exhibet, impune a quolibet repeti contendo, nisi quatenus peculiare obstet privilegium. Quemadmodum enim qui suas de quocunque tandem argumento meditationes in publicum prodire patitur, non hoc iuris acquirit, ut de eadem re alios meditari et libros edere prohibeat, sed ne suam cogitationem verborumque seriem repetant: ita qui veterem scriptorem edit, non in huius verbis, sed in sua opera eidem adhibita proprietatem habet atque in bibliopolam transmittit. Quae res non immutatur eo, quod primus quis sit, qui edat, aut quod magna anquirendo scriptori verbisque eius expiscandis et opera et pecunia impensa, atque a bibliopola maiore, quam quod plerumque solvi solet, honorario compensata sit. Nam his omnibus effici non potest, ut auctoris iura exerceat, qui vere auctor non est. Eorum, quae quis ipse descripsit, schedarum, quas collegit, haud dubie dominus est, ut, qui has schedas aut plagulas a prelo madentes forte nactus editorem dolose anteverterit, pro fure haberi atque puniri debeat. Ceterum quemadmodum nemo dubitat, diplomata et chartas semel editas repeti posse ab omnibus, (non collectiones integras diplomatum, quae sunt ad auctoris rationem et consilium dispositae,) ita et

naturae rei, et literarum bono, et omnium ab inventa typographia seculorum usui adversatur, ut quis antiquorum operum, quae edit, propterea, quia primus edit, censeatur dominus.

Naturae rei adversari dico, quia ius auctoris cum 9
iure inventoris neutiquam confundi debet. Illi verborum sententiarumque coniunctio tota debetur, recte igitur exigit, ne eam alii aut sibi tribuant, aut lucri faciendi gratia in suos usus convertant. Hic aliena, in quae forte fortuna incidit, opera in lucem proferens, neutiquam easdem, quae sunt auctoris, iura recte sibi tribuit, sed naturale tantum aut codicis (siquidem eum ipse habet,) aut apographi dominium. (*Er ist nicht geistiger sondern blos physischer Eigenthümer.*) Itaque donec contextum edat, potest alios ab eiusdem usu excludere, saltem quibus eiusdem codicis adeundi copia non est; sed quam primum id, quod in bibliothecae latebris sepultum iacebat, in lucem protrahit, quod solus possidebat, cum aliis communicat, naturale illud dominium ipse derelinquit, efficitque, ut eodem scriptore alii impune etiam ad novam editionem procurandam utantur, modo ne invadant in ea, quae sunt, ut antea dixi, editoris tamquam auctoris propria. Quo solo inter *auctorem* et *editorem* discrimine omnia haec de librorum repetendorum et divendendorum iure doctrina regi nobis videtur. Certe auctoris ius eo fundamento nititur, quod nemo ullo artificio eandem plane verborum sententiarumque seriem, quae ab alio, sive egregio sive pessimo scriptore, profecta est, denuo in se excitare et quasi sponte procreare potest; quae tam gravis est causa, ut Cicero, Fronto, Gaius redivivi omnem haud dubie operum suorum editionem, etiam e codicibus, qui aetatem tulerunt, sed se invitis factam, iure prohiberent. Sed inventoris atque editoris iura longe infirmiora sunt. Nituntur enim possessione aut codicis, aut apographi. Si prius, certe novo codice reperto tota primi editoris fortuna evertitur; nam ex eo novam editionem iure procurari posse, inficias ibit nemo. Ecquis autem hodie neget fieri posse, ut Gaii, Frontonis aliorumque huiusmodi 10

scriptorum alius codex, non modo eadem, sed fortasse plura et meliora offerens, reperiatur, totamque illam, si Diis placet! primi editoris in contextu proprietatem fallat? — Sin de apographo agitur, quod quis sibi comparavit, qui frequentior et hodie solus casus occurrit, nonne alii sibi eiusdem codicis apographum procurare possunt? Nonne Verona optimo cuique patet? nonne Mediolanum? nonne Roma? nonne pleraeque omnium locorum bibliothecae? ut, qui paulo oculatior neque omni in hoc genere peritia destitutus sit, easdem membranas iterum legendo atque exscribendo omnem etiam imaginem proprietatis, quae quidem in contextu scriptoris antiqui competat, primis editoribus et eorum redemtoribus possit eripere? — Accedit, quod, si quae adesset proprietas, editione amittitur. Inventores enim omnes rerum vel nullius vel derelictarum possessione sola dominos fieri, quumque possessionem dimittant, iuris pati iacturam, res est etiam tironibus nota. Qui annulum in via publica invenit, dum illum manu tenet atque examinat, si non proprietate, saltem eo iure gaudet, ut nemini praeter verum dominum cedat, et donec ille comparuerit, annulum retineat; abiecto autem eo omne illud inventoris ius evanescit, annulumque quivis alius recte occupat. Thesaurum qui invenit, (decet enim hoc exemplo uti de literariis thesauris exponentem,) si illum non tollat et in custodiam redigat, sed aliorum conspectui et contrectationi permittat, iure suo excidit. Imo qui machinae, instrumenti, medicamenti a se inventi rationem et artificium publice prodit, nisi peculiari simul privilegio munitus sit, non impedire poterit, ne alii eodem artificio non suis tantum in necessitatibus, sed tamquam commercii genere utantur. Dum igitur inventor scriptoris antiqui vel qui in locum eius
1 succedit, bibliopola, contextum, quo hucusque solus utebatur, omnium oculis proponit, naturalis, quod hucusque exercuit, dominii iacturam patitur, sumtuumque suorum reparationem non inde sperare debet, quod alios, ne in eodem scriptore vires experiantur, possit impedire, sed

ex interiore editionis virtute et animadversionum adiectarum praestantia.

Quod porro ad literarum utilitatem attinet, quis non intelligit, magnopere illarum interesse, ut, quascunque erudita antiquitas ad nos transmisit reliquias, eae, semel editae, omnibus pateant neque cuiusquam mancipio addictae videantur? Multi in iis elaborare studiumque suum collocare desinent, quae ipsis edere nullo pacto licet; nemo difficiliores locos longa meditatione sanabit, si nunquam fieri potest, ut illas contextui inserendo in clariore luce ponat. Si princeps editio aut venalis amplius non prostat, aut maiore pretio divenditur, igitur aut omnibus, qui ad literarum studia recentes accedunt, aut pauperioribus saltem plures forsan per annos carendum est praestantissimis disciplinae subsidiis, nemini enim editionem viliore pretio parabilem profligare licet. — Imo fragmenta Ciceronis atque Plauti recens inventa horum scriptorum operibus nunc edendis inserere prohibemur, sunt enim haec Plauti et Ciceronis fragmenta non omnium communia, sed certis editoribus vel bibliopolis, hactenus illorum scriptorum quasi heredibus, non aliter quam aedificia, sylvae, prata, campi, quos fortasse possident, propria! —

Scilicet aliena est a mentis operibus, contraria literarum saluti huiusmodi successio, non ferendum hocce monopolium, quaeque non suae tantum aetati, sed immortalitati scripserunt summa quaeque antiquitatis ingenia, ea quamprimum e communi naufragio servata omnium oculis proponuntur, non aliter atque aer, mare, aqua pro- 12
fluens, rebus communibus accenseri debent, et quatenus peculiari privilegio non sunt communione exemta, recte a quovis, qui modo a propriis cuiusque editoris laboribus abstineat, iterantur, illustrantur, divulgantur.

Neque alius hac in re ab inventa inde typographia usus obtinuit. Ecquis enim aut fando audivit, aut in illius temporis monumentis legit, eos, qui scripturam sacram, qui singulas corporis iuris civilis partes, qui auctores veteres primi ediderint, quaedam sibi in horum operum contextu proprietatis iura tribuisse? Et quando plu-

res aderant codices, quorum in scriptura sacra et corpore iuris civilis affluebat copia, neque in mentem cuiusquam id venire poterat, neque, ut maximus editionum numerus docet, venit. Sed neque alias id memini accidisse. Sic, ut exemplo utar, non hoc conquestus est Aldus Manutius, quod Lugdunenses typographi eosdem, quos ipse, scriptores ederent, sed quod typorum suorum formam, privilegio adeo Pontificio in decem annos munitam, imitantes, epistolas et praefationes suas plerumque addentes, loci autem atque anni, quo ederent, imo artificis notam omittentes, editiones vitiis refertas pro Aldinis venditarent, qua de re vid. Ant. Aug. Renouard *Annales de l'imprimerie des Alde*, (Paris. 1803. 8.) T. II. p. 17. sq. 191. sqq., et ipsam Aldi querelam, repetitam ibid. pag. 207—211. Imo, quod propius etiam ad rem nostram spectat, quum a. MDXV. auctoritate Leonis X., summi Pontificis, Taciti opera quinque (vel, ut post Lipsium dispesci solent, sex,) prioribus annalium libris aucti ederentur, neque Pontifex ipse, qui unicum istorum librorum codicem hodieque repertum a Corbeiensibus monachis
13 redimi iusserat, neque Philippus Beroaldus, cui Pontifex editionis simul curam demandaverat et reditus permiserat, sibi persuaserunt, fore, ut isti nihilominus libri ita in sua heredumque suorum proprietate maneant, ut perpetuo sibi solis illos edere atque divendere liceret, sed caute prospectum pontificio privilegio, ut id, non in perpetuum, sed in decennium omnibus praeter Beroaldum interdiceretur sub gravissimarum poenarum comminatione; unde in ipsa libri fronte notabatur: *Ne quis intra decennium praesens opus possit alicubi imprimere aut impressum vendere, gravissimis edictis cautum est.* Quumque gravissimas illas poenas sive ignorans adhuc, sive evitari a se posse ratus Alexander Minutianus, Mediolanensis, plagulas a Romano prelo recentes, nescio qua fraude nactus, repeti ita iussisset, ut una cum Romana suam quoque editionem profligaret, hoc tale delictum, etiamsi nullum Beroaldus privilegium impetrasset, haud dubie vindicandum, Minutiano et excusationes multas nectenti, et fautorum cater-

vam deleganti, adeo ignovit Pontificis indulgentia, ut non modo poenae nullus locus esset, sed etiam certis conditionibus cum Beroaldo in gratiam redeunti exempla sua divendere permitteretur. Vid. Io. Aug. Ernesti Praefat. Tacito praemissa, et praecipue Guil. Roscoe *Leben und Regierung des Papsts Leo des Zehnten*, c. 11. Vol. II. p. 144 — 147. versionis vernaculae, quae cum notis Henr. Phil. Conradi Henke Lips. 1806 — 1808. 8. prodiit. — Neque alia est natura eorum privilegiorum, quae decus atque ornamentum aetatis nostrae, Angelus Maius, a plerisque Italiae Principibus impetrata, in calce librorum de re publica commemoravit, e quibus Pontificium, d. XII. Iul. a. MDCCCXXII. datum sub librorum typorumque amissione mulctaque quingentorum numorum scutatorum aureorum, Maio addicenda, *librorum impressoribus, qui in urbibus,* 14
oppidis, pagis degunt civili imperio sanctae Romanae ecclesiae quacunque ratione subditis, vetat et interdicit, ne per decennium a prima impressione veteris monumenta doctrinae, servatis censurae iuribus a Maio primum edita, sive integra sint, sive mutila, et sive graeca, sive latina, sive etiam vernacula lingua aevo puriore exarata sint, neve eorum veterum monumentorum partem aliquam imprimant aut imprimi faciant; nisi idem ipse dilectus filius magister Angelus Maius veniam imprimendi tribuerit. Quod dum ad ipsa vetera monumenta restringitur, plane sententiae nostrae congruit; quoad suas enim notas ac praefationes nullo Maius ad prohibendam iterationem indigebat privilegio.

Recte igitur, nisi me omnia fallunt, nostratium ii, quos supra commemoravi, veterum reliquias nuper editas, commentarios etiam Gaii nostri, omnium usibus patere, neque quemquam, qui ea re vel sibi vel bonis literis prodesse cuperet, ab iisdem typorum ope iterandis, reconcinnandis, illustrandis arceri posse statuerunt. Nisi fortasse iustum cuiquam videatur, ut, si qui hodie Poggiorum, Manutiorum aliorumque, quibus principes veterum auctorum editiones debentur, aut si in arte nostra Haloandri vel Scrimgeri heredes exsisterent, ii actione ex-

perirentur adversus eos omnes, qui Asconium, Euripidem, Hesychium aliosque scriptores, aut qui Novellas graecas insciis atque invitis antecessoribus suis edidissent!

Atque id, quod hucusque rationibus demonstrare studui, etiam leges confirmant. In Saxonia saltem nostra lege a Rege Potentissimo, tum Electore, de re libraria lata, (*Mandat, den Buchhandel betreffend, vom* 18. *Dec.* 1773., in II. Contin. Cod. Aug. T. I. p. 39—42) §. 1. librariis etiam iis, qui privilegium non impetrarint, contra iteratores librorum auxilium atque defensio promittitur, hac tamen addita cautione: *Jedoch hat solchenfalls der klagende Buchhändler zuförderst, dass er das Verlagsrecht an dem Buche, Uebersetzung, oder sonstigen Schrift, wovon die Frage ist, von dem Schriftsteller redlicher Weise an sich gebracht habe, ... behörig zu erweisen.* Iam quum nullus unquam inter bibliopolam et Ciceronem aut Gaium contractus initus proferri possit, sed cum Maio, Niebuhrio, Peyrono, aut cum Academia Regia Berolinensi, sponsore Goeschenio, initae sint conventiones, sponte apparet, nullam apud nos propter antiqui scriptoris contextum ab alio primum editum, ab alio iteratum, actionem dari: dari utique, si quis in proprias principis editionis dotes fraudulenter invaserit *). Neque aliter mihi iure Borussico videtur esse statuendum, quandoquidem in eius Codice (*Allgem. Landr. für die Preuss. Staaten*, P. II. tit. 20. §. 1296. *a. b.*) auxilium promittitur *dem rechtmässigen Verleger*, qualis, quoad potestatem certe excludendi alios, non est libri veteris recens inventi editor, cuius scilicet contextus ipsa editione fit omnium communis.

CAPUT II.

PROPERTII ALIQUOT LOCA E IURE ROMANO ILLUSTRATA.

Sextum Aurelium Propertium ab ineunte inde aetate

*) [Cf. Frid. Alb. de Langenn et Aug. Siegm. Kori *Erörterungen praktischer Rechtsfragen* etc. (Dresdae et Lipsiae 1829 1830. 8.) vol. II. num. XXII. p. 227—239.]

in deliciis habui, neque sine gratissimi animi sensu recordor eius temporis, quo mihi sub Magnifici atque Illustris Beckii auspiciis in seminario Regio philologico tenerrimum poetam interpretari licuit. Quem ego duplici ma- 16
xime de causa amavi: quarum altera in singulari sententiarum gravitate atque dignitate cernitur, qua meo quidem iudicio Tibullum, ne dicam Ovidium, longissime superavit; altera in summa difficultate. Haec partim e codicum, qui omnes recentioris originis neque paucis interpolationibus distincti sunt, conditione, partim ex editorum audacia, (inter quos maxime Scaliger ima summis miscendo maximas turbas dedit, auctas etiam nuper a Lachmanno, quum quatuor, quibus utebamur, elegiarum libros quinque esse iussit,) partim e singulari huius poetae doctrina oritur, qui plurima graecis fontibus debet, quibus nondum patefactis ipse aut omnino non, aut non satis accurate intelligitur. Tantis igitur cum impedimentis quum conflictarentur interpretes, largam reliquerunt copiam locorum aut depravatorum adhuc, aut non satis explicatorum et ad genuinos fontes revocatorum *).

Sed ea pluribus persequi a Iurisconsulti persona alienum est. Constitui igitur de locis quibusdam Propertii e iure vel iuris historia illustrandis exponere.

Quo loco primum omnium illud mihi carmen occurrit, quo suam de lege Iulia de maritandis ordinibus nondum perlata laetitiam noster expromit, quod est lib. II. septimum, iis autem, qui Scaligerum sequuntur, sextum. De quo nonnulla monuit Heineccius ad leg. Iul. et Pap. 17
Popp. p. 47. sq. **), pariterque atque Hispanus eiusdem

*) Unicum mihi liceat afferre exemplum, nondum, si recte memini, a quoquam notatum. Versus PROPERTII III. 18. (16. Scal.) 25., ubi de dira mortis necessitate:

Ille licet ferro cautus se condat et aere,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput,

manifeste ad DEMOSTHENIS imitationem expressi sunt, qui celeberrimo Orationis de corona loco c. 28. ita: *Περας μεν γαρ ἁπασιν ἀνθρωποις ἐστι του βιου ὁ θανατος, κἀν ἐν οἰκισκῳ τις αὑτον καθειρξας τηρῃ.*

**) Quod tamen acumen in dysticho illo: *Uxor me nunquam, nunquam me ducet amica* etc. reperire sibi videbatur, prorsus evanescit, quum id dystichon, a solo SCALIGERO audacter in finem huius elegiae relatum, in

legis interpres, Ramos del Manzano, T. V. p. 57. Thesauri Meerm. intellexit, non esse cum Io. Livineio de lege Iulia de adulteriis cogitandum. Nam quum hoc sit elegiae ex hodierna eaque haud dubie vera lectione initium:

Gavisa es certe sublatam, Cynthia, legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ne nos divideret;

legem Iuliam de adulteriis sublatam aliquando esse nusquam refertur; porro in maximae turpitudinis opprobrium incurrisset poeta, *publice* professus, se lege, quae de adulteriis lata esset, a Cynthia separari; denique v. 13. 14.:

Unde mihi patriis *) *gnatos praebere triumphis?*
Nullus de nostro sanguine miles erit,

neutiquam possunt ad legem de adulteriis referri, aptissima autem sunt legi de maritandis ordinibus, qua scilicet id maxime agebatur, ne soboles, eaque legitima, militiae deesset.

Quae si vera sunt, non leve elegiae nostrae momentum est ad fata legis Iuliae accuratius definienda. Confirmat enim Lipsii sententiam (exc. C. ad Tac. Annal.
18 lib. III.), ab Heineccio non satis gravibus de causis (p. 43. coll. Eiusd. Syntagm. Antiquitat. p. 209. sqq. ed. Haubold.) reprobatam, qua Augustum iam circa annum urbis DCCXXVI. aliquid in ea re tentasse statuitur. Suadet id non modo Tacitus, quum Annal. lib. III. c. 28. sextum Augusti Consulatum, qui illum in annum incidit, manifeste cum lege Papia coniungit, sed etiam Dio Cassius,

---

MSS. rectius legatur sub finem elegiae, quae praecedit. Quo revocatum simulque emendatum est a LACHMANNO.

*) Non assentior RUHNKENIO, *Parthis* emendanti, aut LACHMANNO, istam emendationem recipienti, praesertim qui triumphos *a Parthis agendos* intelligat! Neque enim poetam dedecus quoddam declinare puto, sed quum lex Iulia uxores ducere militiae maxime ratione iuberet, hanc sententiam profert: nati mei nullius triumphi, sive ut imperatores, sive ut milites, participes erunt; nullus de sanguine meo miles prodibit. — [*Parthis* (pro *Parthicis*) memini a GODOFREDO HERMANNO in publica de hoc libello disputatione defendi, ut cui quaedam triumphi de Parthis agendi divinatio inesse videatur.]

qui lib. LIV. c. 16., narrans, quid anno DCCXXXVII. (in quem scilicet legis Papiae initia refert Heineccius,) conatus sit Augustus, his verbis utitur: *και ἐμπαλιν του τε γαμου και της παιδοποιιας ἀθλα ἐθηκεν,* quam vocem *ἐμπαλιν* nimis artificiose Heineccius refert ad ea, quae de Iulio Caesare tradiderat Dio lib. XLIII. c. 25. Nam quod de eo, quem nos cum Lipsio primum statuimus, legis Iuliae ferendae conatu silet Dio lib. LIII., non debet mirum videri in tanto operis ambitu tamque gravi et multiplici lib. LIII. argumento, praesertim si memineris, quam multarum legum, etiam perlatarum, nullam plane mentionem iniecerit. Sufficiebat igitur illi voce *ἐμπαλιν* breviter innuere, iam antea simile quid ab Augusto esse tentatum.

Nimirum hoc Propertiana elegia quam maxime confirmat. Etiamsi enim de tempore, quo Propertius obierit, deficientibus idoneis argumentis, nolim decernere, certum tamen est, secundum elegiarum librum ante quartum esse editum, vel, ut virum Clarissimum Car. Frid. Aug. Nobbe (Observationum in Propertii carmina, Lips. 1817 8. p. 31 — 36.) sequar,

lib. I. post annum U. DCCXV.
— II. — — — DCCXXX.
— III. — — — DCCXXXIII.
— IV. — — — DCCXXXVIII.

editum esse. Quae quum fide historica constent, quis putet, libri secundi elegiam potuisse ad eum spectare eventum, qui in annum DCCXXXVII., adeoque in id tempus, cui quartus liber debetur, inciderit? praesertim quum eodem libro IV. elegia 7. mortuam Cynthiam secum loquentem fingat, cuius cum maxime vivae amorem nostro carmine profitetur. Iure igitur suo Barthius in vita Propertii per annos dig. ad a. DCCXXVI., et Lachmannus p. XXIV. circa annum DCCXXVI. elegiam nostram scriptam esse statuunt. Quo tempore quum *edictam* quidem, i. e. promulgatam, sed etiam *sublatam*, i. e. non perlatam legem dicit noster, idem mihi innuere videtur, quod Suetonius August. c. 34. verbis: *legem de maritandis ordinibus, quum aliquanto quam ceteras* (nempe a Caesare iam

tentatas *severius emendasset*, *prae tumultu recusantium perferre non potuit*, quae ad seriora tempora Heineccius p. 46. refert.

Nam hanc demum victoriam perpessus Augustus *ademta lenitave parte poenarum*, ut ait Suetonius, *et vacatione triennii data auctisque praemiis* legem ex SCto ad populum retulit. Quam tum ab eo anno DCCXXXVI. perlatam esse, neque per Dionem Cassium dubitare licet, qui lib. LIV. c. 16. pleraque legis argumenta tamquam perlatae enarrat, ac c. 17. pergit: *Ταυτα δε οὐν ἑκαστα δινομοθετει,* neque per Horatium, qui carmine seculari, proximo anno scripto, canit:

Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Geminis prolisque novae feraci
Lege marita.

Nam eo loco non ad solum SCtum de lege ad populum ferenda, uti vult Heineccius, sed simul ad legem iam ex decretis patrum latam respici, recte ante illum Io. Masson in vita Horat. chronol. p. 317. docuit. Unde etiam explicanda est *legis de maritandis ordinibus* in SCto de ludis secularibus ap. Gruter. p. CCCXXVIII. mentio, quam Heineccius (ceteroquin lacunas eius inscriptionis ingeniose p. 43. sqq. resarciens) nemini facile probabit *spe perferendae legis* in antecessum factam esse, quum potius perlatam legem manifeste prodat.

Mihi igitur errare videtur Heineccius, quum anno demum DCCLVII. Iuliam de maritandis ordinibus legem perlatam esse docet, quamquam ei Bachius aliique assensi sint. Qui vel uno Dionis Cassii loco lib. LV. c. 2. (qui in actis anni DCCXLV. enarrandis versatur,) inspecto facile errorem potuissent declinare. Nam ibi scriptor ille de Livia tradit: *Ἐς τας μητερας τας τρις τεκουσας ἐσεγραφη· οἷς γαρ ἀν το δαιμονιον, εἰτ' οὐν ἀνδρων εἰτε γυναικων, μη δῳ τοσαυτακις τεκνωσαι, τουτων τισιν ὁ νομος, προτερον μεν δια της βουλης, νυν δε δια του αὐτοκρατορος, τα των γεγεννηκοτων δικαιωματα χαριζεται.* Quo loco si alia lex quam Iulia de maritandis ordinibus intelligi non potest, quis eam isto anno iam fuisse perlatam negabit?

Neque contrarium ex iis colligi debet, quae libro LVI. ineunte apud Dionem leguntur, in quibus unicum anni DCCLVII., de quo nullum omnino ullius scriptoris testimonium extat, praesidium reperit Heineccius. Nam quum ibi Papiae Poppaeae legis anno DCCLXII. latae historiam narret, Augustum c. 7. ita introducit ad caelibes et orbos loquentem: *Οὐδε ἐς ταυτα μεντοι κατηπειξα ὑμας, ἀλλα το μεν πρωτον τρια ἐτη ὁλα προς την παρασκευην ὑμιν ἐδωκα, το δε δευτερον, δυο.* Triennem vacationem etiam Suetonius loco supra laudato commemorat, biennem *solus*, si recte memini, Dio; sed hoc quinquennium 21
non videtur ita supputandum, quasi eo demum, quo loquitur Augustus, anno effluxerit, quod statuens Heineccius defertur ad a. DCCLVII., tamquam legis Iuliae natalem. Verum enimvero nihil huic opinioni praesidii in Dione, qui id, si verum esset, haud dubie silentio non fuisset praetermissurus. Itaque istam triennii vacationem anno DCCXXXVI., quo lex perferebatur, simul datam, mox biennio auctam esse censeo, ut ab anno inde DCCXLI. usus legis Iuliae inciperet, qua tamen plurimi haud dubie a Senatu soluti sunt. Sed anno DCCLXII. equites, ut narrat Dio lib. LVI. c. 1., legem abrogari voluerunt, quae res occasionem dedit orationibus, quibus Augustus primum maritos ac patres, tum coelibes et orbos publice compellavit. Tunc igitur ne oleum et operam perdidisse videretur Augustus, lata est lex Papia Poppaea, non severior, ut mihi videtur Dionis verba cap. 7. intuenti, sed mitior lege Iulia variisque eam augens additamentis. De qua tamen lege tanto minus h. l. attinet dicere, quanto minus ad Propertii carmen, a quo digressa est oratio, pertinet. Ut igitur paucis praecidam, rei ordo hic fuisse videtur:

Anno DCCXXVI. lex Iulia primum ab Augusto rogata, sed non perlata est. Quo spectat Propertii carmen.

Anno DCCXXXVI. eandem, magna parte mutatam, e SCto ad populum tulit *), sed non aliter pertu-

*) Eodemque ferme tempore legem Iuliam de adulteriis, siquidem recte rationes subducit Io. Guil. Hofmann in Comm. ad istam legem, apud Fellenberg. T. I. p. 161—164.

lit, quam praemiis auctis, poenis imminutis, ac triennii vacatione data, quae deinde biennio pro-
22 rogata est, ut lex vim suam demum a. DCCXLI. nancisceretur.

Anno DCCLXII. equites, frenorum impatientes, quum abrogari legem Iuliam cuperent, occasionem legi Papiae Poppaeae dederunt.

Sed tamen anno DCCLXXIII. novae ortae querelae, de quibus Tacitus loco supra cit.

Verum, ut ad Propertium redeamus, una superest obscuritas: quare, lege Iulia non sublata, divelli se et plane seiungi a Cynthia putaverit? Hoc enim non modo in verbis: *Ne nos divideret*, profitetur, sed etiam aliam sibi, non ipsam Cynthiam, uxorem ducendam fuisse, his versiculis indicat:

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptae perdere amore faces *),
Aut ego transirem tua limina clausa maritus,
Respiciens udis prodita luminibus.
Ah! mea tum quales caneret tibi, Cynthia **), *somnos*
Tibia, funesta tristior illa tuba.

Quidni enim, quaerat aliquis, Cynthiam ipsam, cuius amore flagrabat, ducere uxorem potuisset? — Cuius rei duplicem rationem, sed falsam utramque, video ab interpretibus adferri. Nam Brouckhusius et Burmannus Cynthiam alii nuptam fuisse putant. Quod primum nego ullis rationibus probari posse, quippe ubi de puellae perfidia saepe conqueritur noster, quis putet de nuptiis cogitandum esse? Deinde, etiamsi tunc nondum lata esset lex
23 Iulia de adulteriis, non poterat tamen Propertius coram Augusto, morum vindice et matrimonii vincula firmaturo,

---

*) i. e. flammas amoris, ut recte interpretatur LACHMANNUS, cui etiam assentior *Aut ego* e codd. revocanti pro *Anne ego*, modo ne puncti notam post *faces*, et interrogationis indicium post v. *luminibus* retinuisset. Nam v. *transirem*, ut *possem*, pendet a vocula *Quam*. — [GODOFR. HERMANNUS eadem, quam paulo ante dixi, occasione pro *perdere* ingeniose emendavit: *pendere*, h. e. luere, ut sensus sit: quam possem nuptae faces luere (mihi comparare pro) amore sc. Cynthiae. Ceterum *Anne ego* mihi quidem videtur praeferendum.]

**) Ita recte e codd. restituit LACHMANNUS pro *tibia*.

a Cassiopa vel a Dyrrachio vectores traiiciunt, ad onera inhabiles.

E quo loco quum appareat, naves certas vectoribus Brundusio Cassiopen et vice versa ducendis fuisse destinatas, nihil impedit, quominus locum, egregia sententia, ita intelligamus: Navis, qua ego nunc vehor, perfidus scilicet amator, non videbit Cassiopen, ad quam tam saepe antea feliciter appulit; vernacule:

Nimmer mit mir wird dies Schiff Cassiope's Ufer
wie sonst schaun!

Unum locum quin addam, temperare mihi nequeo. Egregia est epistola (lib. IV. el. 3.), qua Arethusa, puella Romana, ad Lycotam, militem Romanum, absentem scribit; ad cuius exemplum Heroidas esse ab Ovidio compositas, non sine veri specie statuunt interpretes. In ea locus est (v. 50. seq.), quem ego ita distinctione iuvandum puto:

Nam mihi, quo Poenis tibi purpura fulgeat ostris, 26
Crystallusque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent, rarisque assueta kalendis
Vix aperit clausos una puella lares;

h. e. ut tu beatus sis, nos egemus. Sed nolo in ceteris haerere. Quaerunt interpretes, quae sint *rarae kalendae*, quumque id ignorarent, varie, sed contra omnium codd. fidem, locum tentarunt; Kuehnoelius adeo edidit: *lanis adsueta colendis*, quo nihil videtur ab hoc loco alienius. Sed ei, qui paulo accuratius in mores veterum inquisiverit, duplex sese offert interpretatio. Nam primo *kalendis* veteres et sortem elocare, et usuras exigere solebant, unde stipulationes saepissime in *primas*, *secundas*, *tertias kalendas* iniri solebant. Vide Brissonium de V. S. in vv. *Calendae* et *Calendarium.* Hoc sensu *rarae kalendae* sunt, quae Arethusae raro reditus ferunt, quia curtam habet suppellectilem et paucissima nomina, unde in ancilla quoque alenda summam parsimoniam servare debet. — Sed magis etiam mihi arridet alia explicatio, repetita a more distribuendi per singulas kalendas servis eam frugum aliorumque alimentorum copiam, qua per mensem

indigerent, in qua re fieri non potuit, quin ditiores profuse, pauperes parce versarentur. Assertorem huius moris habeo Plautum, qui Stichi Act. I. Scen. 2. initio, Antiphonem senem ita introducit servos alloquentem:

Qui manet, ut moneátur semper sérvus homo officiúm suum,
Néc voluntate id fácere meminit, sérvus is habitu háud probus'st.
Vós meministis quót kalendis pétere demensúm cibum:
Quí minus meminístis, quod opus sit fácto facere in aédibus?

27 Singulis, ait Antipho, kalendis victum menstruum petere meministis: qui fit igitur, ut officii vestri tam parum sitis memores? — Anne igitur ancilla *raris kalendis assueta* Propertio dici potuit, quae parco victu, neque singulis kalendis admetiendo, contenta esset?

Sed haec quidem satis multa et forsitan Iureconsultis nimis multa de Propertio. Quae si non displicuisse viris doctis cognovero, alio forsan tempore ad eundem poetam redibimus.

CAPUT III.

AD LEGEM 11. COD. THEOD. DE SCENICIS (XV. 7.) BREVIS DISPUTATIO.

Quum nuperrime Codicis Theodosiani libris quinque a me editis adderem lectionum varietatem ad ceteros undecim libros e palimpsestis Vaticanis ac Taurinensibus erutam, Vaticani codicis vestigiis inhaerens p. 363. eam L. 11. C. Th. *de scenicis* emendationem proposui, quae et verissima mihi videtur, et non plane indigna, quam verbis nunc paulo pluribus asseram. Ita enim lex ista in Iure civili Anteiustinianeo p. 1112. legitur:

Imppp. Theodosius, Arcadius et Honorius AAA. Rufino Pf. P.

Nulla mima gemmis, nulla sigillatis sericis, aut textis utatur auratis. His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Graeco nomine a latino c r u s t a s *vocant, in quibus*

alio *) *admixtus colori puri rubor muricis inardescit. Uti sane iisdem scutulatis et variis coloribus sericis auroque* 28 *sine gemmis collo, brachiis, cingulo, non vetamus. Dat. Kalend. Octobr. Constantinop. Theod. A. III. et Abundantio Coss.* (393.)

Qui totam hanc legem iusto commentario illustratam vellet exhibere, ei in illius aevi rem vestiariam atque sumtuariam latissime esset exspatiandum. Quam vellem de ea Boettigerum nostrum, in hoc literarum genere sine dissidio principem, aliquando audire disserentem! Nobis enim, ut hoc saxum volvamus, neque virium tenuitas, neque libelli fines permittunt. — Sufficiat igitur de vexatissima parte exponere, quae est in vv. *quas Graeco nomine a latino crustas vocant.* Quum neque vestimenti genus, quod *crustae* nomine venerit, usquam commemoretur, neque *crusta* nomen Graecum sit, in mendo cubare locum apparet. Salmasius quidem ad Trebellium Pollionem vit. Claud. c. 17. T. II. p. 410. collata p. 404. ed. Hack. emendat: *quas Graeco nomine Latini crustas vocant*, et voce *crusta* a Gr. κρουειν derivata, bene percussas pectine seu radio vestes intelligit, quarum trama quidem fuerit purpurea, subtemen autem alio colore infectum. Quoad sensum optime, modo de isto vocabuli *crusta* usu constaret, aut illa significatio ex ipso etymo posset derivari. Improbabilior longe est Gothofredi opinio, qui a variegatis marmorum crustis hoc vocabulum ad vestimenta variis coloribus distincta translatum atque a Graecis receptum esse opinatur, ipsamque adeo vulgatam lectionem defendit. Longe similior veri erat Rad. Fornerii sententia, qui Rer. Quotid. lib. III. c. 11. in Otton. Thes. T. III. p. 208. vocabulum *crusta* hic ἀπο της χρωσεως derivandum putabat, de reliqua loci lectione nihil definiens. Iam vero Maius docet in palimps. Vatic. pro *a latino* legi: *aletino.* Ἀληθινον autem χρωμα, latine *verus color*, illa aetate dicebatur purpureus, quem om- 29

*) [Reponendum esse *alii*, iam Beckius in Iuris civ. Anteiustinianei editione Berolinensi l. l. not. u. monuit.]

nium nobilissimum et maxime sincerum censebant; quod probant Casaubonus et Salmasius ad Trebell. Poll. l. cit. p. 403—405. et Cangius in Glossar. med. et inf. Graec. sub v. Ἀληθινός. Qui loquendi usus in sermonem latinum duplici ratione transiit: nam primum Graeca vox *alethinus* a nonnullis retenta est; vid. Salmasius l. cit. p. 405., Cangius in Glossar. med. et inf. Latin. h. voc.; deinde Latini *verum* colorem eundem dixerunt, quem Graeci ἀληθινόν, unde hybrida voce *holoverae vestes* dicebantur, quae, nullo alio admixto colore, totae essent purpureae, ut idem docet Salmasius, de quibus peculiaris est tit. in Cod. Theod. X. 21. et Iustinianeo XI. 8. Quibus quidem Principi soli eiusque domui uti licuit. Unde in L. 3. C. Th., 4. C. Iust. cit. est: *Nec pallia tunicasque domi quis sericas contexat aut faciat, quae tincta conchylio, nullius alterius permixtione subtexta sunt. Proferantur ex aedibus tradanturque tunicae et pallia ex omni parte texturae cruore infecta conchylii.* His praemissis nostro loco scriptum fuisse puto: *quas Graeco nomine* ἀληθινοχρώτας *vocant*, i. e. purpura tinctas, seu, ut statim explicant Impp.: *in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardescit.* Nempe ne mimae in theatro holoveris utantur, non opus erat prohiberi, ut e superioribus patet. Sed ne iis quidem vestibus, quae pro parte sint purpureae, uti eas volunt Imperatores. Ceterum quomodo locus a librariis Graece indoctis corruptus sit, sponte patet; nec quidquam addo, quam minus recte a me loco supra cit. propositam esse scripturam: ἀληθινοχρώστας; neque enim χρῶστον dicunt Graeci in huiusmodi compositis, sed aut χρωτόν, aut χρόον *).

---

*) [De hoc loco nonnulla in praefatione dicemus, simul nostram qualemcunque coniecturam propositi.]

VI.

AD HISTORIAM CONSTITUTIONUM AUGUSTI ELECTORIS SAXONIAE SYMBOLAE.

PROGRAMMA

ADEUNDAE PROFESSIONI IURIS PATRII

A. D. XXIV. SEPT. MDCCCXXV. EDITUM.

Quum primum et antiquissimum officium collata in me S Regia gratia mihi impositum adimplere hucusque per aliorum impedimentorum atque laborum, quibus oppressus deprehendebar, multitudinem non potuerim, neque temporis, quod, ne ingratus videar, brevissimum supererat, angustiae paterentur, ut aliquid multo studio limatum in ipsis muneris auspiciis emitterem, satius mihi visum est, monumenta quaedam ad legum patriarum, quas profiteor, historiam apprime facientia, sed quantum mihi rem diligenter investiganti definire licuit, aut inedita, aut non accurate cognita, cum viris doctis communicare, quam aliud quoddam argumentum, quorum sane copia non deerat, ita obiter tractare, ut neque mihi neque lectoribus satisfacerem. Incidit enim in manus meas ante plures annos liber manuscriptus, seculi, ni fallor, decimi septimi initiis tribuendus, qui magnam earum *Consultationum*, quae Constitutiones Saxonicas Augusti Electoris antecesserunt, partem comprehendit. Cuiusmodi libri quum plurimi in bibliothecis patriae tam privatis quam publicis superstites sint, ita tamen, ut fere nullus, nisi forte recentiore aetate descriptus, alteri plane similis sit, sed in

multis propria quaedam et alibi non obvia iurisprudentiae patriae monumenta delitescant, optabile est, ut omnes a viris harum rerum peritis eadem diligentia examinentur, quam Dresdensibus Illustris Car. Aug. Gottschalk, fautor, quem honoris causa nomino, Analectorum iur. Sax. civ. et ecclesiast. c. I. p. 9—22. adhibuit. Nam quum Constitutiones Augusteae etiamnum fundamenta iuris patrii, sive civilis et iudiciarii, sive criminalis, comprehendant, nihil omnino, quod ad illarum historiam accuratius intelligendam faciat, aut plane inutile erit aut iniucundum. Mihi autem in libro meo nonnulla reperisse videor, a diligentissimis historiae Constitutionum enarratoribus, (quorum catalogum vide ap. Hauboldum *in dem Lehrbuch des Königl. Sächs. Privatrechts* §. 16.) nondum satis expensa.

Ac priorem quidem eamque maiorem libri partem, quae quaestionum partim a Wittenbergensibus, partim a Lipsiensibus ICtis illustratarum apographa continet, quum nihil comprehendat, quod ab editis Consultationum voluminibus absit, tacitus praetermitto. Sed prope finem voluminis folia aliquot vacua sequitur pagina, cui titulus: *Berathschlagung der gedruckten Churfürstlichen Sechsischen Constitutionen*, quae eandem exhibet Michaelis Teuberi de origine legum nostrarum narrationem, quam Io. Christ. Meinig, personatus ille Puteneus, (in Enunciatis et consil. iur. P. XXIII. pag. 563—565.), Car. Ferd. Hommel vel Christianus Schmidel (in Diss. Elector Augustus, Saxon. legislator, Lips. 1765. 4. p. 38. seq.), Car. Gottlob Guenther (in Comm. de orig. et auctor. constitutt. Saxon. quae ineditae vulgo vocantur, Sect. I. cap. 1. §. 8. p. 13. sq.) nec non Frid. Car. Haussmann (*in den Beiträgen zur Kenntniss der Kursächsischen Landesversammlungen*, Vol. I. p. 149. sq.) dudum ex aliis codicibus edidere, neque igitur a nobis h. l. iterari necesse est. Sed hanc narrationem excipit rescriptum, quod ita se habet:

5 ***Abschrift des Churfürstl. Bevehls wie in geliehenem Gelde 5 Fl. zugesagten Zins von 100 Hauptsumm sollen erkanndt werden.***

Von G. G. Herzog Augustus, Churf. z. S. Lie-

ben Getreuwen. Uns ist ein Schreiben darin Ihr vber vnsere iüngst an dato Dresden den 9. *Aprilis, des Artikels halben so vnserer Landes-Ordnung vnter dem Titel von wucher einvorleibt, auffm vhall da iehrlich vber* 5 *fl. von einem Hundert genommen, euch zugeschriebene Resolution, vmb ferner erclerung gesucht, vorgetragen worden. vnd lassen geschehen das Ihr Inhalts vnser Landes-Ordnung, vermöge Brieue vnd Sigell, darinne* 5 *fl. auffs* 100 *vorschrieben, vnd darüber nicht, erkennen mögt. wollen wir euch zu weitterer Resolution nicht verhalten. Datum Dresden den* 9. *Iun. Ao.* 72.

Augustus Churfürst.

Vnsern lieben getreuwen den Schöffen zu Wittenbergk.

Hoc rescriptum a Christ. Hanaccio (*in der Vorbereitung zur Sächsischen Rechtsgelahrtheit*, Witteb. 1765. 8. p. 306.) obiter commemoratum, etiam Hauboldus lib. cit. §. 269b. not. a. retulit, verba tamen ipsa nemo praeter Putoneum l. cit. p. 611. sq., isque admodum corrupta, edidit. Cuius sententiam ut paucis illustremus, meminisse oportet odii, quod e iuris canonici placitis ortum, mutuo sub usurarum promissione inito diu adhaesit, unde nova plane negotiorum forma, emtio annuorum redituum (*Gültenkauf*), nec non eae leges Imperii prodierunt, quae e mutuo alias usuras, quam quae e mora deberentur, exigi prohiberent. (Vide rem paucis sed perspicue tradentem Car. Frid. Eichhorn *in der Einleitung in das deutsche Privatrecht* §. 105.) Sed quemadmodum in aliis Consti- 6
tutiones nostrae partim exemplum earum sententiarum, quas Suprema Imperii Camera sequeretur, imitatae sunt, partim legibus Imperii postea ad ipsarum exemplum condendis occasionem praebuerunt, ita in hoc argumento ICti et Theologi Saxones primi declararunt, quod iam tum sentiebat Camerale iudicium, usurarum modicarum odium moribus populorum, commerciis maxime indulgentium, neutiquam congruere. Itaque quum in Ordinatione Provinciali a Divis Fratribus Mauritio atque Augusto d. XII. Nov. a. MDL. emissa inserta legeretur paragraphus, quae sic se habet (Cod. Aug. T. I. p. 30.):

Von denen Wucherern.

*Wir wollen auch hinförder denen Wucherern die jährlich über fünf Gülden von einem hundert nehmen, unserm vorigen Ausschreiben nach**) *innerhalb unserer Lande zu dem Wucher-Geld nicht helfen, auch sie ausserhalb unserer Lande zu Erlangung der Hauptsumma und Zinse nicht fördern, sondern uns gegen ihnen also erzeigen, wie des Reichs Abschied***) *vermag: Nehmlich daſs sie den vierten Theil der Hauptsumma uns sollen verfallen seyn, darnach sich ein Jeder zu richten,* ICti Constitutionibus condendis adhibiti optimo profecto consilio hanc quaestionem moverunt: *An in contractu mutui ex stipulatione licite percipiantur usurae quinque pro centum?* de qua vid. Consultatt. Vol. I. fol. 11 — 14. Vol. II. p. 8. seq. ed. Mogunt., et ap. Frider. Mindan. p. 130 — 133. Adhibuerunt illi simul Melanchthonis de usurarum iure consilium, loca scripturae sacrae, et excerpta ex quodam Lutheri libello, hanc rem attingentia. Ita autem locuti sunt ipsi: *Alldieweil dann vnsers gnedigsten Herren des Churfürsten zu Sachsen Landesordenung vnter dem titel: von Wucher ganz gemein, vnd die Schöppenstühle nicht genugsame Erklerung haben, ob sie auch in geliehenem Gelde zu vorstehen, (wie dann die hülffe oftmals darauff soll mitgetheilt sein, vnd die generalitet vor sich selbst mitbringt,) oder aber ob sie allein auf widerkäuffliche Contract zu achten.* (Ita liber meus, ubi in edd. abest v. *auf.*) *Dann daſs die Schöppenstühle durchaus in allen vhellen in geliehen gelde vom* 100 *nicht* 5 *zugesagtes Wucher oder Zins nachgeben vnd sprechen sollen, dieses kann aus vorgesatzten der Theologen vnd Rechtsverständigen meinung nicht geschehen* etc. Augusto autem peculiarem de ea re constitutionem emittere non est visum, haud dubie propterea, quod vv. Ordinationis Provincialis generalia satis clara ipsi vide-

---

*) Quae lex antiquior hic innuatur, ignoro, certe edita non est.

**) Intelligitur Ordinatio politiae, anno MDXLVIII. in discessu Ordinum Imperii edita.

bantur, neque rem ista aetate a multis inepte diiudicatam primus publice permittere volebat. Altum igitur est in Constitutionibus hac de re silentium; sed ex rescripto nostro intelligimus, Electorem primo d. IX. April. anni MDLXXII., hoc est paucis diebus ante, quam Constitutiones emitteret, de hoc argumento ad dicasteria rescripsisse. Quo tamen rescripto quum careamus, non possumus accurate iudicare, quale Scabinis Wittebergensibus dubium remanserit, quo ad Principem denuo consulendum permoverentur. Id unum apparet, Electorem usuras vicesimas annuas in chirographis promissas, neutiquam vero maiores, validas esse voluisse, quod placitum mox Edicto Torgaviensi a. MDLXXXIII. emisso, tit. *von Wucher, & wucherlichen Contracten und Partiten, Auch von nachgelassenen Zinsen*, clarius inculcavit accurateque definivit (Cod. Aug. T. I. p. 139 — 144.), in qua lege verba: *Nun sind wir wohl nochmahls gesonnen, es hierinnen bey solcher vnsrer Landes-Ordnung bewenden zu lassen*, ad rescriptum nostrum videntur esse referenda.

Breve istud rescriptum in libro meo sequitur: *Abschrift des Churfürsten zu Sachsen beuehls so neben den Constitutionen den Schöppenstühlen zugeschickt*, quod rescriptum die XXVIII. Apr. datum Car. Gottlob Guenther in Comm. cit. Sect. II. cap. 1. §. 5. p. 50. sq. iam cum viris doctis communicavit. Iam Constitutionibus ineditis et quidem *separatis*, ut vocant, praemittitur inscriptio: *Folgen ander mehr vhelle so in gemeiner Zusammenkunft geschlossen vnd von dem Churfürsten zu Sachsen Hertzogk Augusto den Schöppenstühlen in Schriften, mit seiner Churfürstl. Gn. Hand vnterschrieben zugeschickt, vnd doch in dem vorgehenden Abdruck nicht gebracht, sondern wissentlich aussengelassen.* Sunt autem separatarum constitutionum tantum octo: nam sexta in meo quoque libro desideratur, praeterea octo constitutiones inverso ordine leguntur, quem pariter atque istum defectum in iis, quibus usus est, codd. Hauboldus etiam (in praef. praem. *dem Handbuche einiger der wichtigsten Chursächs. Gesetze*, p. X. XII.) animadvertit.

Ubi desinit postrema harum constitutionum, haec in margine nota conspicitur: *Octo hae constitutiones, scriptae in viridi libro scabinis ab Electore missae sunt, ut in pronunciando eas sequerentur* *). *Ceterae subsequen-*
9 *tes omnes a scabinis invicem factae, quas quidem ipsi inter se observant: sed an aula sequatur, merito dubites, cum legitimatos per subsequens matrimonium ad feudorum successionem non admittat, nec omnino principis rescripto confirmatae sint.*

Qui locus simul satis luculentum testimonium de usu curiae feudalis Saxonicae per const. ined. XVII. neutiquam immutato quoad eam controversiam praebet, quae nuper demum Mandato Regio, *das Erbfolgerecht der sogenannten Mantel- und Brautkinder bey Lehngütern betr.* die XVII. Iun. a. MDCCCXIX. emisso, sopita est. Vid. Hauboldi *Lehrb. des königl. sächs. Privatr.* §. 308. additam. 1. Car. Sal. Zachariae *Handb. des königl. sächs. Lehnrechts* §. 79. a. b. ed. II.

Iam ceteris constitutionibus, quae ineditarum nomine venire solent, prorsus eadem inscriptio praemittitur, quae in Hauboldi libro supra cit. (*Handbuch* etc.) p. 137. legitur, si ab eo discesseris, quod in fine inscriptionis, ubi Hauboldus edidit: *und daſs die in das gedruckte Exemplar nicht sollten gebracht werden*, in meo cod. est: *vnd dass die in das geschrieben und gedruckte Exemplar n. s. g. w.*, quemadmodum hunc locum iam exhibuerat Car. Gottl. Guenther Comm. cit. Sect. I. cap. I. §. 7. p. 12. Quod mihi ideo non plane negligendum videtur, quoniam e nostra lectione clarius apparet, ineditas constitutiones, praeter novem istas separatas, non modo typis publice non exscriptas, sed ne ad dicasteria quidem transmissas esse, easque igitur, principali auctoritate prorsus destitutas, non aliam nisi conventionis inter dicasteria initae, e qua usus fori nasceretur, auctoritatem nactas esse. — E quibus quae hodie decima est, *de forma pro-*

*) An igitur sexta constitutio postea demum, quum leges typis exscriberentur, addita?

nunciandi inscripta, nullum in libro meo praefixum habet numerum, quoniam ad formulas spectans, vix dici potest constitutio. Unde quae nobis undecima, iam meo in libro (octo tantum separatas continente) nona est. 10

Iam sequitur ipse constitutionum ineditarum tenor, qualem Hauboldus edidit, sola const. XIV. omissa, quippe manifesta const. 24. P. II. repetitione, quae errore istum in locum in quibusdam codd. irrepsisse videtur. Praeterea const. XXXIV. et XXXV. ut aliis in libris coaluerunt, nonnullisque locis animadverti marginalia, quae aut plane non, aut minus integra habet Hauboldus. Nam ad const. ined. XX. notatur: *Votatum est in consilio: die Schöppenstühle sollen sich hierin vergleichen, et ita factum est*; ad const. XXIII.: *Votatum est, quod haec constitutio sit omittenda in constitutionibus, et tamen pronunciandum, ut hic est conclusum*, ubi Hauboldus notam exhibet, cuius plane contraria est sententia; ad const. XXVI.: *Aulici intelligunt Burgfriede, hoc casu amputatio manus est in usu*; ad const. XXVII. in fine: *pro hoc votatum est*; ad const. XXVIII.: *Votatum est: dass die Schöppenstühle hierin sprechen sollen was Recht ist, es soll aber vnter die Constitutionen nicht bracht werden*; ad const. XXXI.: *Approbatum est in consilio*; ad const. XXXII.: *Soll ausgelassen werden. Ita votatum est in consilio*; ad const. XLI.: *Votatum est pro hac parte.*

Sed ubi desinit extrema constitutio, quae in Hauboldiana editione tertia et quadragesima, meo in libro nona et trigesima numeratur, sequitur id, quod mihi gravissimum videtur. Narrat Dan. Moller, egregius profecto atque immerito post Carpzovium a multis neglectus Constitutionum interpres, in introductione commentario praemissa, (cuius paginae non numerantur, est tamen in ed. 11
principe 1599. p. 30.), Augustum Constitutiones a se editas certis cautionibus et restrictionibus ad praeteritos etiam casus referri iussisse, rescripto d. XXV. Iul. a. MDLXXII. dato. Idem rescriptum allegavit ICtorum Lipsiensium Ordo in relatione super emendandis atque declarandis Constitutionibus anno MDCV. ad Christianum II.

Electorem data, apud Putoneum loco supra cit. p. 568. sq. Denique in Dissertatione Schmideliana: Elector Augustus Saxoniae legislator, §. XXVI. p. 45. commemoratur idem rescriptum, additurque, illud una cum literis Wittebergensium et Lipsiensium ICtorum amoebaeis ad calcem exempli constitutionum ineditarum, in archivo Facultatis iuridicae Lipsiensis obvii, reperiri. Ego vero quum haec eadem in meo libro reperirem, nondum a quoquam edita, non iniucundum fore censeo viris doctis, si a nobis in lucem proferantur, cum quoniam ad patriae legis gravissimae historiam spectant, tum quoniam inde intelligitur, quam vere quamque subtiliter iam illo tempore de vi legum in casus praeteritos indicatum sit, quod argumentum nostra aetate quam multa multorum studia excitaverit, inter omnes constat. Nimirum quamvis Augustus tam in rescripto ad dicasteria misso, quam in praefatione Constitutionibus typis editis praemissa iussisset, ut intra spatium a publicatione bimestre dicasteria secundum Constitutiones pronunciare inciperent, (*daſs sie auf die neuen Constitutionen von dato dieser Unserer Publication binnen zwey Monaten zu erkennen anfangen*) inde terminus tantum dicasteriis erat constitutus, de legibus autem ad praeterita referendis nihil neque iussum neque prohibitum. Itaque primus Ordo ICtorum Lipsiensium Augustum Electorem adiit, utque de vi Constitutionum in praeteri-
12 tis casibus edoceretur, petiit; quarum tamen precum exemplum penes me non est. Cui Ordini quum Princeps rescripto satisfecisset, accidit non ita multo post, ut ipse a Wittebergensibus ICtis de eodem argumento consultaretur; quibus communicato rescripti Electoralis exemplo respondit. Incipiunt igitur acta nostra a Wittebergensium epistola et sic se habent:

Erclerung ob die neuwe Constitutiones auch auf die vhelle so sich hiebevor zugetragen zu extendiren vnd indistincte im Vrthel-Sprechen zu halten sein sollen. Rationem dubitandi facit textus cum ibi notatis in l. leges (7.) C. de Legg.

V. f. D. z. Erenueste hochgelarte besondere gute

Freunde. Nachdeme vns wegen der neuwen des Churf. z. S. v. g. H. Constitutionen Zweiffel vorfellet, haben wihr nicht vnterlassen sollen, bey euch euwer freundlich bedenken zu erholen, darmit nichts widderwertigs hierinn von uns beiderseits mochte vorgenommen werden. Vnd nemblichen ob in Injurien vnd andern Sachen so sich für der publication zugetragen, vnd doch nuhemehr in Rechtfertigung gezogen, nach solchen Constitutionen vnd Ordenungen zu sprechen. Dan es das ansehen hadt, weil ein gesetz alzeidt die zukommenden vnd nicht vorschinnen Sachen begreifft, das allein nach solcher Constitution auf die Sachen so sich nach Zeidt zweier Monaten nach der Publication *) *zugetragen, soll geurthellt werden, was aber hiebeuohr geschehen das dieselben nach den alten gebreuchlichen Rechten zu erörtern. Etliche aber thun fürgeben weil die beuehl vnd auch die praefation* **) *sol-* 13
cher Constitutionen mittbringt ohne vnterscheidt nach zweien Monaten darnach zu vrtheilen, das in denen ***) *so hiebeuor geschehen, vnd doch vnerörtert, oder sich nach den zweien Monaten zugetragen, inhalts der Constitutionen zu sprechen. Dan ob wohl die neuwe ordenung ihrer ardt nach alleine die zukunfftigen vhelle begreiffe: So hette doch solches nicht stadt, wen in den neuwen satzungen ein anders ausdrücklichen vorsehen were. Dieweil den wie gemeldet in der praefation geordnet ohne vnterscheidt nach 2 monaten auff solche Constitutionen zu urtheilen: So müsse auch ietzo inter causas praeteritas et futuras kein vnterscheidt zu machen. Dan sonst wollte dis Inconueniens folgen, das so in sachen die hiebeuorn geschehen nach den alten vorigen opinionen, in ettlichen die sich folgendts begeben nach den neuwen Constitutionen zu sprechen, gleich sowohl als hiebeuor geschehen widderwertige Vrthell erfolgen*

---

*) Hoc pertinet ad locum rescripti et praefationis Electoralis Constitutionibus praemissae, antea a me excitatum.

**) Discernunt igitur iam Wittebergenses rescriptum ad se datum a praefatione in publicum emissa.

***) Excidit scribae vitio vox: *Fällen* vel *Sachen*.

würden, vnd das dieses werk das ende derowegen es von S. Ch. G. vorgenommen nicht erreichen würde. Jedoch so sollte in peinlichen vhellen so an leib- oder leben-straffen gehen, die sich vor der Publication begeben, vnd in der neuwen ordenung scherffere vnd höhere Straffen, den hiebeuohr erkanndt worden, haben, dieses nicht stadt gewinnen: sondern hierin den vorigen Rechten gefolgt werden, wie den auch zu Meissen daruon geredt, gleichwohl aber nichts gewisses damals vorordnet worden. Ist demnach vnsere freundtliche bitte, weil dieser missvorstandt, vnd beuohr in den Iniuriensachen, vorfellet *), Ihr wollet vns euwer bedenken, vnd wie Ihr es hierin
14 haltet bey Zeiten vormelden. Solches seindt wir in dergleichen zu thun gemeinet, vnd euch freundtlichen zu dienen willig. Datum Wittenbergk Ao. 72.

Dechant Senior.

An den Ordinarium Seniorn vnd andere Doctorn der Juristen-Facultet zu Leipzig.

Folget derer von Leipzig andtwordt:

V. f. D. z. Erenueste vnd hochgelarte, Insondere gute Freundt, euwer iüngstes Schreiben darinnen Ihr bitten thut, euch vnser Denken zu vormelden, ob vnd wie weit nach des Churf. z. S. v. g. H. Constitution, so viel die vhelle, welche sich vor auffrichtung vnd Publication solcher Constitution zugetragen, betreffen thut, zu sprechen, haben wir von brieffs Zeigern **) empfangen vnd gelesen, vnd mögen euch hinwidder darauff freundelichen zu antworten nicht vorhalten, das wihr eben in dem Zweiffel, vnd gleich aus denen in euwern schreiben deducirten vrsachen vor disser Zeidt auch gesteckt, und derowegen vor guth angesehen, vns hochgedachtes Churf. z. S. v. g. H. als des legislatoris Resolution vnd ercle-

---

*) Scilicet ratione eorum, quae const. 42. P. IV. eamque sequentibus de iniuriis cauta sunt, iure anteriore maximam partem duriora. Ceterum *beuohr* hic est: praecipue.

**) Obscura verba, in quibus fortasse nomen proprium latet. [Imo videtur intelligendus esse, qui literas attulit: *der Vorzeiger, Ueberbringer des Briefes.*]

rung vnterthenigst zu erholen, ob solche neuwe Constitutiones auch ad facta praeterita et negotia adhuc pendentia, oder aber allein ad casus futuros gezogen werden sollen. Darauf S. Ch. G. gnedigst an vns begert, das wihr nicht allein in zukünfftigen, sondern auch in denen vhellen, so sich vor Publicirung Ihrer Churf. G. Constitution vnd ordenung zugetragen haben, vnd vor der Zeidt nicht genzlichen decidirt worden, solchen Ihr Churf. G. publicirten ordnung vnd Constitutionen gemeſs sprechen wollten, ausserhalb der einzeln so im buchstaben ausdrücklich auff die zukünfftigen vhelle gerichtet, inmassen Ihr aus solcher seiner Churf. G. erklerung, deren abschrifft wihr euch hierunter beygefugt vbersenden, nach der lenge zu ersehen. Solcher gnedigster erclerung zufolge, haben wihr gedachten Constitutionen nicht allein in denen vhellen welche sich nach Publicirung derselben, sondern auch dauorn zugetragen, vnd den auch in denen, so vor der Publication gemelter neuwen Constitutionen noch nicht endlich erörtert gewesen, ohne vnterscheidt gemeſs gesprochen, immassen den von den Herrn Schöppen auch geschehen, wie den vns auch vormöge habender Churf. erclerung hinfurt nicht anders gebüren will. Vnd weil in solcher erclerung vnter den peinlichen vhellen so an leibs vnd lebensstraffen gehen, vnd vnter den andern kein vnterscheidt gemacht wird, so werden auch wir vnsers erachtens vor vnser Person schwerlich distinguiren, bedacht vnsers bedenkens auch hierinn eine sonderliche Churf. Resolution vonnöten sein will. Solches haben wihr euch, denen wihr freundlich zu dienen willig, zur antwort guter meinung nicht vorhalten sollen. Datum d. 6. Sept. Ao. 72.

Ordinarius Senior vnd andere DD. der Juristen Facultet zu Leipzig.

Den Erenuesten vnd hochgelarten herrn Dechant Seniorn vnd andern Doctorn der Juristen Facultet in der Vniversitet Wittenbergk, vnsern besondern guten Freunden.

Iam tenor ipse rescripti Electoralis, cuius exemplum his Lipsiensium literis additum erat, hic est:

Von Gottes Gnaden Augustus, Hertzog zu Sachsen vnd Burggraffe zu Magdeburgk etc.

Hochgelarte Rethe vnd liebe getreuwe. Vns ist eur
und hierbey, wenn schon das Recht aufhört, die Urkunde in ihrer Glaubwürdigkeit und Authenticität dennoch fortbesteht. Einen solchen Verzicht hat nun der Testator durch den Widerruf des frühern Testaments und die Erklärung, dass er nun nach gemeinem Rechte *) *testiren wolle, offenbar geleistet, und wenn dieses nicht hinreichen sollte, um die Wirkung der Grossherzoglichen Genehmigung aufzuheben, so müsste man annehmen, es sey für Städeln eine Zwangsverbindlichkeit begründet worden, das im voraus genehmigte Kunstinstitut auch wirklich* **) *zu errichten, was doch nach dem allgemeinen Grundsatze: Voluntas hominum est ambulatoria usque ad mortem, gewiss Niemand behaupten wird.*

In Folge der bisherigen Auseinandersetzung erscheinen die den Erkenntnissen unter No. 6. *und* 7. *beygefügten Gründe allerdings unzureichend, und es könnte daher das Ansehen gewinnen, als sey, nach dem Antrage der Kläger, das Städelsche Testament wegen mangelhafter Erbeinsetzung für ungültig anzusehen, und der Nachlass ihnen, als legitimirten Intestaterben, auszuantworten.*

Allein es ist auf der andern Seite nicht zu läugnen, 13

---

*) Adderem: *nach welchem nicht die Vermächtnisse an die todte Hand, wohl aber neue Stiftungen, die als moralische Personen betrachtet werden sollen, der landesherrlichen Bestätigung bedürfen.*

**) Adderem: *und in dem Umfange, welchen die Genehmigungsurkunde bezeichnet.*

dass dem Erfordernisse sowohl des gemeinen Rechts als der Frankfurter Reformation, einen nahmhaften Erben einzusetzen, durch Einsetzung des vom Testator begründeten Kunstinstituts, welches durch die ernannten fünf Administratoren repräsentirt wird, vollkommene Genüge geleistet worden ist. Denn es kann über die Absicht, welche der Erblasser gehabt hat, kein Zweifel seyn, und wenn gleich leblose Gegenstände nicht selbst erben können, so können diese doch, in soweit sie zu besondern Zwecken bestimmt sind und die Verfolgung dieser Zwecke bestimmten Personen anvertraut wird, selbst in die Reihe der juristischen Personen erhoben werden, in welchem Falle sodann der Begriff eines collegii illiciti, und was die Gesetze diesfalls verordnen, keine Anwendung leidet. Die alleinige Schwierigkeit, welche dem Städelschen Testamente entgegensteht, ist daher die: dass zur Zeit der Testamentserrichtung und des Todes das Institut noch nicht als juristische Person existirte. Kann diese Schwierigkeit auch nicht auf den in den Zweifelsgründen erörterten Wegen gehoben werden, so ist doch deshalb das Städelsche Testament noch keinesweges für ungültig zu achten. Es giebt nämlich Bedingungen, welche, weil sie schon in dem sich darbietenden Sachverhältnisse liegen, sich von selbst verstehen, und daher angenommen werden müssen, auch wenn sie nicht ausdrücklich vorgeschrieben sind. Sie werden conditiones iuris oder tacitae genannt,

L. 21. D. de condit. et demonstr.
L. 68. D. de iure dotium,
Donellus Commentar. iur. civ. lib. VIII. c. 32.

und ihre ausdrückliche Beyfügung ist unnöthig, ja in manchen Fällen sogar nachtheilig,

L. 68. D. de hered. instit.
L. 65. §. 1. D. de legat. I.
L. 69. D. de cond. et dem.

auch verwandeln sie das Geschäft, die Erbeinsetzung oder das Vermächtniss, wozu sie erfordert werden, keinesweges in ein eigentlich bedingtes,

L. 99. D. de cond. et dem.

L. 22. §. 1. D. quando dies leg. v. fideic. ced.

und nahmentlich in Beziehung auf die Erbeinsetzung ist 14
es gleichgültig, ob sie vor oder nach dem Erbschaftsantritt in Erfüllung gehen *),

L. 21. D. de cond. et dem.

welches Alles bey den eigentlichen Bedingungen sich bekanntlich ganz anders verhält.

Als eine solche in der Natur der Sache liegende stillschweigende Bedingung ist in dem vorliegenden Städelschen Testamente die Voraussetzung zu betrachten, dass das von dem Testator gestiftete Kunstinstitut von der Staatsbehörde genehmigt und als moralische Person anerkannt werden würde. Der Erblasser war zu dieser Voraussetzung um so mehr berechtigt, da die ganze Stiftung unfehlbar blos oder doch zunächst zum Besten der Stadt Frankfurt gereicht, wenn gleich dieselbe nicht als eigentliche Erbin betrachtet werden kann, und da er auch schon bey der frühern Staatsbehörde, wiewohl in anderer Beziehung und unter andern Rechtsverhältnissen, Willfährigkeit gefunden hatte. Nun erfordern zwar die Römischen Gesetze,

L. 62. pr. D. de hered. instit.

L. 51. pr. D. de leg. II.

für den Fall, wo Jemandem, welchem zur Zeit der Testamentserrichtung testamentifactio passiva fehlt, etwas zugewendet werden soll, dass die Bedingung: cum capere potuerit, ausdrücklich hinzugefügt werde, und es sind hiervon nur Soldaten ausgenommen,

L. 18. §. 2. de testam. milit.

Allein auf den gegenwärtigen Fall, wo der Testator nicht eine schon existirende, aber der Erbfähigkeit ermangelnde Person, sondern eine erst durch ihn begründete

*) [Dicendum potius fuisse: *und der Betheiligte braucht gar nicht zu wissen, dass sie erfüllt sind, und die Erfüllung gereicht ihm dennoch zum Vortheil*, monet Auctor in libello: *Beitrag zur rechtlichen Beurtheilung des Städelschen Beerbungsfalles*, Lips. 1828. 8. edito, p. 40. not. **)].

Stiftung zum Erben eingesetzt hat, sind jene Gesetzstellen nicht anwendbar. Wer gegen ein Prohibitivgesetz, welches gewisse Personen von dem Genusse der Vortheile letztwilliger Verordnungen ausschliesst, diese dennoch bedenkt, — z. B. einem Ehe- oder Kinderlosen wider die Bestimmungen der lex Papia Poppaea (auf welche sich die angezogenen Stellen ursprünglich bezogen,) etwas zuwendete, — ohne auszudrücken, er thue dieses unter der Voraussetzung, dass der Begünstigte die gesetzliche Fähigkeit noch künftig erlange, der handelt offenbar gesetzwidrig, und seine Verordnung kann unter keinen Umständen aufrecht erhalten werden. Wer aber eine wohlthätige Stiftung zum Besten seiner Vaterstadt macht, und dabey voraussetzt, es werde die Staatsbehörde diese Stiftung nicht blos anerkennen, sondern ihr auch die Rechte einer juristischen Person und damit Erbfähigkeit beylegen, der thut nicht nur nichts Gesetzwidriges, sondern erwirbt sich auch um Mit- und Nachwelt ein Verdienst, und unterlässt blos etwas auszudrücken, was nach den Rechten sich von selbst versteht. Zum Ueberfluss hat aber auch der Testator, wie in der Geschichtserzählung angeführt worden, die von ihm bestellten Administratoren im §. 4. des Testaments ausdrücklich angewiesen: „dass sie als Repräsentanten des von ihm zum Universalerben eingesetzten Kunstinstituts um Einweisung in den Besitz seiner Verlassenschaft bey der Behörde nachsuchen sollen," und da diese ohne Bestätigung der Stiftung unmöglich wäre, implicite Alles verordnet, was man etwa vermissen könnte.

Da nun der Senat zu Frankfurt in der Folge die Städelsche Stiftung wirklich genehmigt und ihr die Rechte einer moralischen Person ertheilt hat, so braucht man darüber: ob diese Stiftung als pia causa zu betrachten sey und daher der Begünstigungen, welche diesen zustehen, sich zu erfreuen habe? in eine ausführliche Erörterung sich nicht einzulassen, ohngeachtet es kaum zweifelhaft seyn möchte, dass eine Stiftung, welche für den

Unterricht der Kinder unbemittelter Bürger in den Künsten und Bauprofessionen bestimmt ist. nach den von

J. H. Böhmer in Iure Eccles. Protestant. Lib. III. Tit. 25. § 12. T. II. p. 934. und

Christian Gottl. Kupfer Diss. de eo quod iustum est circa tacitam piarum causarum hypothecam. Lips. 1813. 4. § 10.

aufgestellten Begriffen für eine pia causa zu halten sey. Eben so wenig braucht man sich auf die bekannten Gesetzstellen zu beziehen, nach welchen überhaupt alle letztwillige Verordnungen, soweit es nach den Gesetzen nur immer möglich, aufrecht erhalten werden sollen. Denn die angeführten Gründe reichen hin, um unsre rechtli- 16
che Meinung zu rechtfertigen, welche wir dahin abgeben:

dass das von Johann Friedrich Städel errichtete Testament für zu Recht beständig allerdings zu achten, Kläger daher mit ihrem auf dessen Annullirung gerichteten Gesuche abzuweisen, folglich die Erkenntnisse unter No. 6. 7., jedoch aus andern Gründen, zu bestätigen.

Allein eben wegen des Unzureichenden der bisher angeführten Gründe, so wie wegen der ganzen Lage der auf schwierigen und zweifelhaften Rechtsfragen beruhenden, und doch einen so bedeutenden Gegenstand betreffenden Sache, bey welcher Klägern eine temeritas litigandi keinesweges beygemessen werden kann, sind wir zugleich der Meinung:

dass eine durchgängige Compensation der in petitorio entstandenen Unkosten, soweit darüber noch nicht rechtskräftig entschieden ist, stattfinden müsse, und Kläger also diesfalls reformatoriam zu erwarten haben. V. R. W.

Ex his igitur apparere videtur, verba Ill. Zachariae, quae antea attulimus, nec non ea, quibus p. 8. et p. 10. ICtorum quorundam consilia improbat: „*Muss nicht die Art, wie wohlthätige Stiftungen von den Gerichten angesehen und ausgelegt werden, auf den Entschluss, solche Stiftungen zu machen, mehr oder weniger einwirken?*

Allerdings sollen die Gerichte, ohne Gunst und Ungunst, nur das, was Rechtens ist, aussprechen. Aber es giebt auch eine Gunst, welche rechtlicher Art ist. Es giebt dagegen einen Scharfsinn, welcher nach dem Lobe der Unpartheilichkeit trachtend, zur Partheilichkeit auf der andern Seite verleiten kann," porro: „*Es darf wohl befremden, wenn man die Kunst und Mühe bemerkt, welche in der vorliegenden Rechtssache angewendet worden sind, um den Begriff einer piae causae möglichst zu be-*
17 *schränken, und so das Städelsche Kunstinstitut von dem Gebiete dieses Begriffes auszuschliessen. Entspricht diese Maxime der Auslegung den Forderungen der Billigkeit? dem Interesse des Staats? dem Geiste des Römischen und dem des Canonischen Rechts?*" haec, inquam, verba adeo in nos non cadere, ut potius nos prorsus habeat in re ipsa assentientes. Quod autem ad triplicem rationem attinet, qua vir egregius ipse utitur: I. civitatem Francofurtanam ipsam esse heredem; sin minus, II. piam causam, etiamsi nondum extantem, heredem institui posse; denique III. si haec omnia aliter se haberent, auctoritatem quondam a Magno Duce regionis Francofurtanae interpositam instituto Staedeliano etiamnum prodesse, earum sane ullam sufficere, ne nunc quidem mihi probavit. Paucissima igitur de his, quum plura chartae angustia prohibeat, addam.

I. Quoniam testator §. 2. dixit: *Dieses* (non *Das*) *Städelsche Kunstinstitut setze ich zum Erben ein*, praecesserat autem urbis Francofurti eiusque civium mentio, argumentatur vir Illustris, idem esse, ac si dixerit: *Ich setze die hiesige Stadt und Bürgerschaft, als zu deren Besten ich ein Kunstinstitut gestiftet habe, zu dessen Ausstattung mein gesammter Nachlass verwendet werden soll, zu meinen Universalerben ein.* Porro quia partes dominii sint: 1) *das Recht, über die Sache zu verfügen, oder doch eine jede Verfügung über die Sache zu verhindern* (???), 2) *das Recht, die Sache zu nutzen und zu gebrauchen*, 3) *das Recht, die Sache zu verwalten, oder doch über die gehörige Ver-*

waltung der Sache zu wachen (???), colligit, civitatem Francofurtanam instituti Staedeliani factam esse dominam; quod si ipsi concedamus, quid impedit, quominus rei publicae, vel qui illam repraesentat, Principi, 18
omnis civitatum et piarum causarum patrimonii dominium tribuamus? non tantum eminens illud, de quo ius publicum exponit, quodque a nostro loco alienum est, sed etiam proprie sic dictum, in quo iudicando omnis haec causa versatur. — Nos igitur verba testatoris iterum iterumque pensantes nusquam reperimus, hanc eius fuisse primariam sententiam (*Grundgedanke* : *Mein gesammtes Vermögen hinterlasse ich der Stadt Frankfurt, mit der Bestimmung, dass es einem Kunstinstitute gewidmet seyn soll*, sed ubique hanc deprehendimus: *Mein gesammtes Vermögen hinterlasse ich dem von mir begründeten Kunstinstitute, welches zum Besten der Stadt Frankfurt und ihrer Bürger gereichen soll.* Neque in ea re quidquam mutari potuit ea formula, nobis, quum responderemus, ignota, qua, ut ad p. 6. [274.] notavimus, Senatus Francofurtanus institutum Staedelianum non tam confirmavit, quam potius *acceptavit*. Nam quum acceptemus omnia, quae sunt in utilitatem nostram facta, erat sane acceptationi locus, quae confirmationem involvit; neutiquam autem Senatus civitatem ipsam instituti dominam aut declaravit, aut declarare ullo pacto potuit.

II. Piam causam esse a Staedelio constitutam, nunquam negavimus. Sed ulla lege, sive civilis sive canonici iuris, testatoribus esse permissum, ut piam causam, quae neque conditi testamenti, neque mortis tempore extet, heredem instituant, praefracte negamus; in legum autem silentio ne piarum quidem causarum favorem extendendum esse in aliorum detrimentum putamus. (Vid. Car. Ott. Rechenberg Diss. de eo, quod in piis causis impium est. Witteb. 1710. 4.) Celeberrimus tamen Zachariae duas sibi reperisse videtur leges, quae singulare illud privilegium piis causis tribuant. Quarum prima, L. 46. C. de episc. et cler., Graeca et primum ab Anton. Au- 19
gustino a. 1567. edita, hinc dubiae in foro auctoritatis,

hanc curam iniungit episcopis, ut, si quis moriens piam fecerit dispositionem, *vel per institutionis modum* (κατα ἐνστασεως τροπον), vel per legatum aut fideicommissum aut mortis causa donationem, vel alium quemcunque modum legitimum, cogant heredes omnia facere atque adimplere. Sed illa verba neutiquam ad piam causam ut heredem pertinere, vel ex eo apparet, quod ubique in hac lege satis prolixa de aliis heredibus sermo est, qui piae dispositioni satisfacere teneantur. Praeterea in tam generali huius legis sententia quid quaeso opus adhuc fuisset L. 49. C. eod.? in qua *captivorum* et *pauperum* institutio approbatur, et quibus talis hereditas cedat, definitur. Ut brevi praecidam, verbis: κατα ἐνστασεως τροπον nihil aliud significatur, quam: per conditionem vel modum, heredis institutioni adscriptum. — Alter autem locus, Nov. 131. cap. 9. non magis ad rem nostram pertinet; quo quum Deum, Iesum Christum atque Sanctos heredes institui permittitur, putat Vir Illustris iam nos et pias causas nondum extantes posse instituere, quippe quod nihil aliud sit, quam Deum ipsum sub modo aliquo instituere. In quo nos neutiquam habet consentientes, qui heredis institutionem e verbis esse iudicandam scimus. Quis autem a Staedelio Deum institutum esse dicat?

III. Auctoritatem a Magno Duce interpositam non ipsa mutatione regiminis vi sua esse privatam, facile concedimus. Sed illam, quia unice iuris Napoleonei causa erat impetrata testamentoque addita, quod ipsum postea revocatum est, vim nullam habere posse ad sustinendum
0 aliud testamentum, recentiori tempore iure communi conditum aliusque plane argumenti, persuasissimum habemus.

Nobis igitur etiamnum haec sedet sententia, et Staedeliano et aliis huiusmodi testamentis non aliter quam conditionis tacitae ope posse succurri; quumque piarum causarum constitutio civitatis agnitione atque confirmatione semper indigeat, ea declarata tale testamentum sustineri, denegata infirmari.

IX.

DE MYSTICISMO IURISCONSULTORUM.

ORATIO

ADEUNDAE PROFESSIONI IURIS PATRII

A. D. XXIV. SEPT. MDCCCXXV. HABITA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE ETC.

Intuentibus nobis hodiernam literarum conditionem nulla fere earum portio se offert a dissidiis libera, quae non in leviore quodam de consectariis dissensu subsistunt, sed de summis atque gravissimis cuiusvis disciplinae principiis agitantur. Nam quae patrum nostrorum memoria certa atque indubitata putabant omnes, hodie a multis aut infirma aut plane falsa censentur; quae illi tamquam somnia sive temeritatis protervae, sive coecae superstitionis aspernabantur, iam defensionem plurimorum repe- riunt. Cuius rei causae quaedam latent in literarum atque artium, praesertim quae ad naturae perscrutationem spectant, profectibus, quibus utique evenit, ut rectius hodie et verius de multis, quam olim, statuatur, quique antiquis inhaerent, non tam dissidere, quam veriora ignorare videantur. Sed alia eaque gravissima causa cernitur in mutata per maximas temporum conversiones communi sentiendi cogitandique ratione. Etenim non ita pridem celeberrimi quique et laudatissimi viri, fastu quodam philosophico tumidi, nihil supra se positum, nihil exemplis aut rerum experimentis discendum profitebantur, sed religionem, leges, tam naturae quam civitatum, medici-

nam, artes liberales, solius rationis ope audacter construebant, simul eos, qui modestiae et humanae imbecillitatis meminisse iuberent, tenebrionum convicio deridentes. At hodie magnus virorum doctorum numerus, abusu illo et gravissimis, quibus testes interfuimus, temporum vicissitudinibus quasi attoniti, superstitioni cuidam, sive aperte declaratae, sive cautius celatae, sese dediderunt, quae rationem aversata, omnia aliunde cupit cognoscere, ut pauci omnino extent, qui in tanto sententiarum fluctu medium teneant, ac rationis, qua sola ad Dei similitudinem evehimur, iura graviter oppugnata constanter tueantur. Istius autem superstitionis species quaedam *mysticismus* est, a pluribus, ni fallor, hodie nominatus, quam quoad naturam suam intellectus. Mihi enim, vocabuli originem intuenti, mysticismum omnes ii sapere videntur, qui veritatem sensu quodam interno, qui a rationis usu plane segregandus sit, percipi, eumque sensum aliis natura insitum, in aliis studio excoli posse arbitrantur. Quae cogitandi sentiendique ratio cum religionis ac theologiae disciplina tam arcte cohaeret, ut in illam per omnia aevi Christiani secula maximas vires exseruerit hodieque cum maxime exserat, neutiquam, ut nonnulli opinantur, salutares, sed saepissime perniciosas.

Verus enim Christianae religionis cultus animum requirit non hebetem et obtusum, sed deliberatum et ad sublimia contendentem, rationis usum non oppressum aut extinctum, sed vegetum et ita liberum, ut fines suos ipsa agnoscat ac dimetiatur, divinorum denique oraculorum venerationem non coecam et superstitiosam, sed piam et homine liberali dignam, id est profectam e firmissima persuasione de illorum veritate atque ad vitae solatium necessitate, qualem sentire nequeunt, nisi qui et suam conditionem et sacrae scripturae excellentiam rationis ope accurate perspexerunt. Itaque qui omni meditatione fugata nescio cuius internae revelationis luce, qua Deus singulorum quorundam animos illustret, superbiunt, qui non tam ad exemplum Christi omnia componi doctrinamque recte intellectam ad vitae usum deduci, quam nomen

in ore geri et praecepta decantari iubent, qui pietati suae, quasi peculiari alicui, non actionum honestate, non aedibus sacris frequentandis, non domestica devotione satisfaciunt, sed conventus et sodalitia, sed perpetua de rebus sanctissimis et obscurissimis colloquia quaerunt, scriptisque Sibyllinis, rationis luce prorsus destitutis, in publicum spargendis bene merere sibi videntur, ii neque religioni et ecclesiae, neque rei publicae vere consulunt, imo, ut recentissima quaedam exempla docuere, ad furorem et perniciem non paucos adigunt. Verum enimvero ne in theologia, quamvis domestica mysticismi regione, diutius commoremur, philosophiam ille, ceterarum artium matrem, aut plane contemnit atque exsecratur, aut commentis suis et somniis ita deformat, ut cum Bacone dici possit e vinculis sermocinari. Tum in rerum externarum scrutatione ita versantur, qui mysticismo imbuti sunt, ut suarum opinionum commenta observandae atque examinandae naturae adhibeant, atque ita, corruptis usi oculis, animadvertant ea, quae nusquam extant, non videant autem, quae aliorum sensibus sponte se offerunt: unde ingens magnetismi abusus, astrologiae aetati nostrae reddendae pericula aliaque huiusmodi miracula originem duxerunt. Neque minimam ea sentiendi ratio in re medica vim habet; quod enim sympatheticae, ut vocant, medicinae summum hodie a plurimis pretium statuitur, quod portiunculae medicamentorum adeo pusillae, ut externo sensu nullo percipi queant, maxima in curandis morbis efficacia pollere creduntur, non alia de causa fit, quam quia rationi atque arti nimis diffisi plerique nostratium non tam investigare amplius in reconditas naturae vires, quam arcanas quasdam fingere et sibi deposcere solent, neque quidquam lubentius credunt, quam quod nullo modo intelligunt. Unde inter eos etiam, qui cultiores appellari gestiunt, non pauci sine rubore committunt id, quod olim plebeculae proprium erat, ut carnificum, pastorum et vetularum loquacium divinationes omnibus peritissimorum medicorum consiliis anteponant. Quid autem de historia dicam? quam ita corrumpunt mysticismi

asseclae, ut ex hodierna literarum et artium luce, ipsis scilicet non minus atque talpis exosa, quippe ad quam se civitatum et ecclesiae evangelicae formulam accommodasse animadvertant, in medii aevi caliginem redeundum esse confidenter doceant. Quid de poetica aut rhetorica? quas artes ita nobis informant, ut facile omnis poeseos et eloquentiae taedio corripiatur is, qui ad aeterna antiquitatis monumenta eosque scriptores, quos mystici vilipendunt, redire non meminerit. Sed ipsam quoque antiquitatis disciplinam iam ita invadunt, ut sua somnia e Graecorum atque Romanorum libris derivare et aut falsa plane veteribus affingere, aut suam superstitionem pagana superstitione fulcire audeant. Denique nulla literarum pars, nulla civilis vitae conditio est, in qua se mysticismus non exserat, in qua iis, qui de verae humanitatis cultu solliciti sunt, cum ista aevi nostri perversitate plus minusve non conflictandum sit, quae, quemadmodum tunica omnibus corporis partibus se applicat, ita animi, quem semel obsedit, omnibus conatibus inhaerere solet.

Quo minus abhorrere videtur a Iurisconsulti persona, praesertim eius, cui suscepto professorio munere, in reliquis officiis sancte colendis, illud praecipue iniungitur, ut veritatem rebus aliis omnibus praeferat, neque ullo invidiae metu ab eadem defendenda arceri sese patiatur, rationum, quibus iurisprudentiae sese mysticismus accommodavit, brevis expositio. Quod argumentum Vobis, Rector Magnifice, etc. non iniucundum fore tanto certius confido, quanto enixius scio a Vobis omnibus in eo elaborari, ut communi huius aevi morbo medicina inveniatur, et si quas alias invaserit Germaniae urbes atque academias, Lipsia saltem, antiqua bonae mentis officina, integra atque incolumis servetur. Neque Vobis, excellentissimi variarum artium Doctores, ingratum fore puto, malum illud, quod indies latius serpit, paulo diligentius contemplari, quamque arcte cum illo circumforaneae quaedam et a multis laudatae opiniones cohaereant, accuratius recordari. Vos denique, in quibus patriae et literarum spes consistit, Commilitones carissimi, mature intelligetis, non tantum

ab abusu rationis, de quo quotidie nonnulli admonent, sed etiam a contemtu eiusdem ac neglectu vobis esse cavendum, si quidem et vobis et bonis literis et rei publicae velitis consulere voluntatique divinae satisfacere, quae, ut ait poeta,

Os homini sublime dedit, coelumque tueri
Iussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Id igitur unum metuendum restat, ne mea de mysticismo Iurisconsultorum oratio parum digna videatur argumento gravissimo; quod quum sit eiusmodi, ut, pro humanae imbecillitatis conditione, aliud impugnaturi vitium facillime in contrarium aliquod inclinemus, quumque omnino facundiam cultumque orationis tam splendida audientium corona dignum mihi deesse sentiam, etiam atque etiam mihi rogandi estis, AA., ut eadem me, quam antea aliquoties expertus sum, cum indulgentia audiatis, atque oratoris lapsus integritati consilii benevole condonetis.

Quum autem triplex sit Iurisconsulti munus, quod primum in interpretatione iuris constituti, deinde in eiusdem ad facta applicatione, denique in consiliis de iure constituendo ineundis cernitur, tripertita etiam erit nostra de mysticismi in unaquaque muneris parte effectibus oratio.

In iuris igitur constituti interpretatione mysticismi accusandos puto primum eos, qui philosophiam spernunt atque contemnunt, quorum hodie inter eos, qui historici ICti appellari gestiunt, satis magnus est numerus. Leges enim atque consuetudines populorum quum sint numero plurimae, indole diversissimae, vicissitudine frequentissimae, ii profecto leguleii habendi sunt, qui sola institutorum civilium enarratione ICtum absolvi arbitrantur, neque tam multifarios iuris radios ad communem illum philosophiae solem referre nituntur. At ne ipsa quidem iuris notio explicari sine philosophia potest; quae res tamen adeo non offendit multos historicae scholae asseclas, ut nunquam adolescentibus, quid sit ius, accurate explicent, sed eam notionem aut innatam aut divinitus revelandam censeant. Quid? quod nuperrime Varsaviensis quidam iuris professor non erubuit profiteri: vehementer

sua opinione errare eos, qui philosophiam iurisprudentiae fundamentum esse velint atque in ea studii iuris initia poni iubeant, quum nullo tirocinio, nisi quod in Romanis legibus collocetur, opus sit. Ita scilicet informantur ICti Bartolo et Baldo fortasse doctiores, sed nullo modo liberaliores, qui de legum litera solliciti, studiorum suorum neque finem certum neque rationem idoneam ineant, quoniam aeternas istas iusti iniustique leges ignorant atque adeo contemnunt, divinitus mentibus nostris insitas. Hinc nascuntur in publico iure Hallerianae alumni disciplinae, qua imperium omne sola potentia et niti et circumscribi praecipitur: hinc eius civitatum formulae, quae civium legatos ad aliquod administrandae rei publicae consortium admittat, inimici capitales: hinc in iure ecclesiastico prodeunt evangelicae libertatis derisores, hierarchiae admiratores: hinc iuris criminalis doctores ii, qui, philosophiae hodiernae lucem praetereuntes, nihil nisi ius Romanum et Carolinam crepant. Nam ita res sese habet, AA., ut in omni virorum doctorum sentiendi cogitandique ratione ulciscatur philosophia contemtum sui, neque ab ullo sive superstitionis sive servitii genere facile sese defendant, qui nunquam coelum, sed terram perpetuo intuentur. In iure autem privato, quae gravissima iurisprudentiae portio est, ita versantur, ut philosophiae ius Romanum substituant. In eo enim elaborant omnemque movent lapidem, ut et novi fontes iuri Romano aperiantur, et antiquis nova subsidia parentur, comitemque ei unam adiungunt iurium inter Germanicos populos excultorum historiam, qua, utpote patria, carere plane non possumus. Ego vero neque inficias eo, multa atque praeclara in hoc genere esse nuperrime praestita, neque de necessitate studii iuris Romani, quo hodienum magna ex parte utimur et simul ad antiquitatis disciplinam ducimur, ulla ratione dubito, aut insignem Iurisconsultorum Romanorum in respondendo artem atque sollertiam, quam paucissimi attigerunt, superavit certe nemo, iustis laudibus privo. Neque ea mihi sedet sententia, ut unum hominem omnes cultiorum gentium leges atque mores ac-

curate explicare et inter se comparare posse putem, praesertim quum ea res, hodie vix affectata, ingentia habeat in linguarum diversitate, regionum intervallis, subsidiorum conquirendorum difficultate, impedimenta. Verumtamen si qui historicos sese ICtos profitentur, iis indignum est, in uno, licet praestantissimo iure et suam et aliorum mentis aciem defigere, tot aliorum populorum instituta consulto et secundum ipsius scholae decreta ignorare atque negligere. Nam quemadmodum Zeuxis Helenam non ad unius feminae faciem, sed undique conquisitis pulcritudinis exemplis pinxit, ita iuris disciplina comparatis demum diversorum populorum institutis nova et egregia luce donatur. Quali comparatione quantos nuper quamque felices profectus aliae literarum partes fecerint, nemo Vestrum, AA., ignorat, ut vix opus sit, philosophicam religionis doctrinam, archaeologiam, quae praesertim in iudicandis antiquae artis operibus versatur, atque anatomen prae ceteris a me commemorari. Sed iurisprudentiae etiam egregium hocce subsidium dudum adhibuerat vir immortalis memoriae, Montesquutius, quem tamen, quoniam nonnulla Romanorum instituta, leges agrarias, ius hereditarium aliaque huiusmodi minus recte percepit, aut plane non legunt, aut nescio quo fastidio et contemtu commemorant ICti hodie plurimi, qui, quo accuratius minutias iuris Romani omnes expiscati fuerint, eo iustius omni de causis legum diversarum disputatione carere se posse autumant. Qui igitur unam Pandectarum legem vel emendaverit vel noviter explicuerit, plus praestitisse Romanizantibus ICtis videtur, quam qui omnem Graecorum, Indorum, Sinensium, aliorumve populorum iurisprudentiam fuerit commentatus; quumque nuperrime ius Graecum singulari quorundam non modo philologorum, sed etiam ICtorum, Heffteri potissimum atque Eduardi Platneri, quos honoris causa nomino, industria accuratius cultum esset, altum tamen ea de re inter historicos scilicet ICtos silentium est. Quae etiam causa est, cur mysticismum illis tribuam, ius Romanum, praesertim ea, qua utimur, ratione compositum, pro unica et aeterna studio-

rum norma venerantibus, atque idem ferme illi pretium statuentibus, quod cum theologis pii homines omnes sacrae scripturae tribuunt. Bono tamen animo sitis, AA.! non opprimitur paucorum studiis immortale Montesquutii opus, cuius lectione hodienum animum pascunt, quotquot scholasticae de rebus minutissimis disputationi ingeniosa subtilissimi scriptoris iudicia, ex ipso vitae usu depromta, praeferunt, ipsisque huius viri erroribus doceri se atque erudiri animadvertunt. Neque nostra aetas plane ab his studiis aliena est. Nam ne de Pastoreto, Gallico scriptore, dicam, qui sane popularium suorum levitatem argumento adhibuit gravissimo, inter nostrates Feuerbachius atque Thibautius, viri ingenio doctrinaque excellentes, necessitatem historici studii ultra Romani iuris cancellos propellandi ingenue professi sunt, quibus vir acutissimus, Eduardus Gans, morem ita gessit, ut iuris hereditarii Indorum, Sinensium, Iudaeorum, Muhammedanorum atque Atheniensium describendi et cum Romano comparandi periculum faceret: omnium profecto eruditorum suffragia laturus, si parem doctrinae adhibuisset modestiam.

Brevius de ea mysticismi specie exponam, quae in iure ad facta accommodando conspicitur. Nam plerique eorum, qui se historicos profitentur ICtos, istam molestiam aut plane defugiunt, aut rarissime suscipiunt, longo vel hac una re intervallo distantes ab iisdem, quos iustissimis laudibus quotidie extollunt, ICtis Romanis. Quum autem ius ipsum sit constans quaedam atque perpetua vitae regula, quomodo digna nomine suo erit iuris scientia, quae non culta vitae usu atque illustrata, intra angustos umbraticae disputationis fines perpetuo sese cohibeat? Quae si quando ad illam respondendi vel iudicandi provinciam accesserit, cruda studia ita propellit in forum, ut, quidquid critica vel hermeneutica arte in legibus Romanis invenerit, id factis obvenientibus accommodet. Constat autem inter omnes, iuris Iustinianei placita alia a Germanicorum populorum institutis prorsus aliena, alia per usum fori ita moribus nostris attemperata esse, ut intolerabili alias peregrinae legis iugo minus graviter pre-

meremur; unde non raro maximum discrimen intercedit inter ipsam iuris Romani sententiam atque eum usum, quem constans iudiciorum auctoritas secuta est. Quem usum a Glossatorum inde temporibus traditum atque excultum multi hodie ita impugnant atque derident ICti, ut, si quam doctrinam commentati legemve aliter atque antea interpretati sint, continuo aliam etiam in iudiciis adoptari sententiam flagitent. In qua re quanta cautione opus sit, ne incertissimo iure ac singulis, quibus doctrina iuris Romani excolitur, commentationibus mutabili utamur, nolo pluribus persequi, quoniam intelligo, hunc quidem errorem ad mysticismum referri vix posse. — Propius autem huc spectat ratio eorum, qui in iure potissimum criminali ad facta accommodando leges antiquas, etiam durissimas et Draconis austeritate scriptas, presse hodie sequuntur. Nimirum antiquum illi legislatorem supplices venerantur, atque ubi ille locutus sit, rationem obmutescere debere putant, quoque magis sibi intelligunt a licentia in iure dicundo cavendum esse, eo excusatius errant. Ceterum in ea nos vivere luce literarum, qua mutata sit hominum ut de aliis rebus plurimis, ita de criminibus et poenis sentiendi cogitandique ratio, quaque antiquae leges plurimae usu suo sponte destituantur, iudicem autem non servire legum verbis, sed sententiis earum, quae rationi non adversentur, ingenuum praestare obsequium, nemo Vestrum est, AA., quin videat.

Sed nolo plura de his aliisve huc spectantibus erroribus dicendo occasionem mihi praeripere, dicendi nonnulla de gravissimo illo loco, qui est de iure constituendo. Nam quum ea sit fontium iuris, quo tanquam communi in Germania utimur, conditio, ut diversissimis orti temporibus scriptique linguis sint, ut ne doctissimi quidem ac diligentissimi viri aut in omnes pari studio incumbant, aut de eorum integritate, lectione, intellectu consentiant, ut gravissima dissidia inter fontes non modo diversi sed etiam eiusdem ordinis obvia perpetuum parent de iure, quo utendum sit, sententiarum divortium, inita sunt in plerisque Germaniae imo Europae civitatibus de novis

legum codicibus ferendis consilia. In quo genere quum capitale Friderici Secundi ingenium ceteris Germaniae Principibus praeluxisset, nostis, AA., Borussiae, Austriae, Bavariae aliisque pluribus patriae regionibus legum civilium, criminalium et iudiciariarum codices aut datos esse, aut promissos, atque eundem cum maxime lapidem sapienti Regis Potentissimi consilio in Saxonia nostra moveri; imo non paucis ICtis quam maxime visum esse optabile, ut communi civitatum foederi Germanico adscriptarum consilio codex iuris Germanici praesertim civilis conderetur, qui in iurium peregrinorum locum succederet. Sed hisce consiliis gravissime obloquuti sunt historici ICti, a mysticismi opprobrio in hac maxime parte nullo modo liberandi. Nam quod primum ab illis atque gravissimum proponitur adversus iuris privati codices argumentum, (de criminali enim et iudiciario iure facilius nobis cedunt,) quod non tam legibus quam moribus ius civile originem debeat, necessariumque sit, ut, quum prima aetate populus ipse iuris quasi auctor et conscius esset, cultiore tempore iuris scientia uni ICtorum ordini propria et peculiaris exsisteret, eius prior quidem pars verissima, posterior, a solius iuris Romani exemplo depromta, posci magis quam comprobari videtur. In Germania saltem nostra, nisi peregrina iura aditum sibi patefecissent, nullus haud dubie ortus esset peculiaris ICtorum ordo, neque illa popularis iudiciorum forma evanuisset, quam auctoritate Academiae Literariae Monacensis nuperrime Maurerus, de Freiberg, atque Buchnerus doctissimis libris illustrarunt. Praeterea quis tam angusto animo esset, ut, quoniam genus quoddam hominum doctorum est, qui Iurisconsulti appellantur, ipsa legum forma prospiciendum putaret, ne eorum doctrina latissimo, in quem exspatiaretur, campo unquam careret? utque, dum omnia in eum codicem redigeret, qui facile ab omnibus etiam iuris imperitis adiretur, Iurisconsultorum auctoritati metueret? Quasi vero cives reliqui ICtis eorumque doctrinae tamquam instrumentum inservire, non ICti civium saluti et necessitati consulere debeant! — Sed prae-

terea contenditur, aetatem nostram codici huiusmodi condendo imparem, eos, qui hucusque editi sint, codices imperfectos esse; ICti octavi decimi seculi, quippe qui historici non fuere, imbecillitatis accusantur, causaque eorum, de quibus conquerimur, malorum non in fontium ratione sed in ICtis quaeritur. Nam omnino fieri posse putant, ut aliquando, continuatis historicorum laboribus, schola ICtorum nascatur, ita in omni fontium nostrorum genere versata, ut ICtis Romanis comparari possint; quod ubi contigerit, non aliis opus fore legibus, quam quae ad controversias iuris decidendas, ordinem iudiciorum corrigendum et consuetudines antiquas consignandas pertinerent. Quid? quod Praetorum edicta nonnulli revocare potestatemque edicti perpetui emittendi summis, quae iuri dicundo praesunt, collegiis reddere voluerunt. In quibus omnibus quis non agnoscat mysticum illum Romani iuris amorem, qui et fieri posse et optabile esse putat, ut tempus diu praeterlapsum redintegretur, ac ICtorum historicorum opera novi oriantur Papiniani. At non historicis studiis neque in tam flebili fontium, unde iura promerentur, conditione exorta est illa Papinianorum Ulpianorumque virtus, neque si mille nobis nascerentur Cuiacii, efficerent, ut istum Romanarum, Canonicarum, Longobardicarum, Germanicarum legum acervum laetabundi adspiceremus. Quod historicis ICtis proprium ac peculiare est, tanto iuris Romani amore flagrantibus, ut omnia potius ferri, quam suas nobis eripi delicias vellent. Quamquam ne eripitur quidem ius Romanum iis, quibus iuris civilis novus codex offertur, neque de iure prorsus novo condendo quisquam, nisi male sanus, cogitavit, sed de eo, quo utimur, perspicue et diligenter consignando. Quod si fieri posse negant, quia nondum satis in fontes iuris nos insinuaverimus, metuendum est, ne auctis studiis non minuatur, sed crescat difficultas. Neque enim unquam tolletur opinionum summa varietas, in novo codice tanto citius profliganda, quanto minus in plurimis iuris controversi eiusque privati capitibus civitatis interest, quam sententiam sequaris, si modo certam firmamque unam

perpetuo tuearis. Nam quod de ICtis, qui praeterlapsum seculum ornarunt, calumniantur, ex eo solo manat mystico Romani iuris amore. Nam ICti illi, qui iuris criminalis disciplinam regenerarunt, qui iudiciorum ordinem praeclare emendarunt, qui iuris publici principia accuratius constituerunt, qui controversa iuris capita doctius et elegantius quam antea illustrarunt, plurimaque alia merita sibi compararunt, sane in edendis atque illustrandis iuris Romani libris et Cuiacianae et nostrae aetati cesserunt. Verumtamen, ut ex iis tantum, qui Saxoniam ornarunt, ICtis principes quosdam nominem, Ioannis Henrici de Berger, Augustini a Leyser, Michaelis Henr. Griebneri, Caroli Ferdinandi Hommelii tam illustria fuerunt non modo scribendo, sed etiam docendo, respondendo, de re publica merita, tam sapientia in ferendis legibus consilia, ut nesciam, an inter historicos ICtos multi extituri sint, qui illis ingenii ubertate, doctrinae copia rerumque usu aequiparari mereantur. Certe quicunque non praeoccupato animo ad lectionem librorum de iure scriptorum accesserit, Leyseri, Griebneri et Hommelii scriptis nihil suavius et iucundius, multorum autem, qui ex historica schola prodierunt, opusculis nihil obscurius esse profitebitur.

Sed Tu profecto summo Tuo iure prioribus illis Te adiungebas, Christiane Gottlieb Hauboldе, qui, studiosus quidem historicae scholae quoad virtutes, quibus illam praestare animadvertebas, cultor, ingenuus iuris Romani admirator, idemque doctissimus eiusdem interpres, nunquam tamen eo te abripi passus es, ut aut philosophiam aspernarere, aut legum emendationem propterea fugiendam praeciperes, ne ICtorum studiis idonea deesset materia. Eo enim Tu informatus eras animo, ut in causas rerum studiose inquireres, eo porro ingenio, ut nihil a Te alienum putares, populorumque omnium etiam exterorum quoad leges institutaque sua cognoscendorum occasionem cupide arriperes, ea doctrina, ut neminem, qui Te sive de communibus literis sive de facto consuleret, nisi doctiorem, dimitteres. Quumque non pauca scholae,

sed plurimum etiam vitae impenderes, ortus erat pulcherrimus ille vastae eruditionis cum multo rerum usu concentus, ad perfectum ICtum informandum plane necessarius, ac tunc praecipue salutaris, quando de novarum legum periculis et speciminibus consulebare. Tuum igitur exemplum intueantur omnes, qui non mysticam eruditionem ac nemini utilem, sed genuinam et frugiferam quaerunt; Tuam imaginem ego potissimum intuebor, qui, quum vitae laboriosissimae filum crudele fatum abrupisset, successor muneris a Te tanta cum dignitate et gloria gestae esse iubeor.

Neminem enim eorum, qui me accuratius norint, fore puto, qui adeo me confidentem et arrogantem putet, ut, auspicaturus hodie illud munus, in quo Hauboldo successor designatus sum, imbecillitatis ac tenuitatis meae conscientia non percellar. Nam ut quisque est ardentissimus literarum cultor, ita maxime in summa aliorum exempla intuendo pudore suffunditur deque suorum conatuum levitate admonetur. Ac mihi quidem hodiernus dies, solemnis alias, ac Vestra, AA., praesentia, non ambiguo Vestri erga me animi indicio, insignis, qui me eius consilii, ad quod omnem vitae rationem composui, reddit participem, hac ratione lugubris est, quod succedendum est ei, quem et Academiae, et Saxoniae, et Germaniae, et literarum intererat diutissime superstitem esse, mea autem pro ea, qua in me utebatur, voluntate referebat collegam potius habere, quam antecessorem. Sed quoniam divinae providentiae placuit, mortalibus consiliis eversis, Hauboldi nonnisi pium desiderium nobis relinquere, Augustissimo autem et Potentissimo Regi visum est, per Viros Summos et Prudentissimos, quorum sapientia Academiae nostrae prospicit, administratam ante ab illo iuris patrii Professionem, ordinariam quidem veteris institutionis, in hac florentissima studiorum sede mihi demandare, tanto antecessoris exemplo gravius etiam excitatum me sentio, ut in explendis novi muneris partibus fidem, diligentiam atque religionem nunquam in me desiderari patiar, et accepti Regii beneficii memoriam sanctissime colam.

Quare numen immortale supplex veneror, etc.

X.

DE CONIUNGENDIS IURIS ET ELOQUENTIAE STUDIIS.

ORATIO IN SOLEMNIBUS INAUGURALIBUS A. D. XXI. DEC. MDCCCXXVI. HABITA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE ETC.

Quamquam nihil animum liberalibus studiis deditum maiore solet voluptate demulcere, quam rerum antiquarum cum novis diligens comparatio, saepenumero tamen me, immortalis Ciceronis, quos de oratore nec non de claris oratoribus conscripsit, libros legentem, aut ipsas eiusdem orationes quaeque in iis paene divinitus dicta videantur, admirantem, exspatiantem etiam, si quando fieri possit, in amoenissimas veteris Graeciae regiones, fulminibusque Demosthenis aut Aeschinis attonitum, acerbus dolor invasit, quod tanta, quibus antiqua fora splenduere, ornamenta nobis detracta, vim orationis omnem calamorum industria e Germaniae iudiciis exsulem, quin ipsum eloquentiae studium ita neglectum et plane contemtum viderem, ut nemo ferme, nisi qui sacris literis se dederint, et ne ii quidem omnes, probabilem quandam dicendi facultatem sibi studeat comparare. Cuius doloris eam partem, quae spectat ad formam iudiciorum hodiernam, nolo nunc pluribus persequi, ne celeberrimae illi controversiae, quae de causis forensibus aut ore aut calamo defendendis agitatur, me immiscere et consilia proponere videar eius-

modi, quae, concepta ab uno homine de re summa et ad ius iudiciarium non leviter immutandum comparata, si vel maxime bonae frugis quaedam continerent, eo minorem essent auctoritatem habitura, quo magis ab utriusque partis sibi adversae placitis recedendum, formamque disceptationis forensis sapienter ex utroque genere mixtam in plerisque causis admittendam esse censeo. Accedit, quod vana illa spes esse videatur, fore, ut apertis iudiciorum valvis continuo novus surgat Demosthenes, novi nascantur Cicerones; quos primum raro naturae beneficio, per longam atque sollertem exercitationem culto, ita informari constat, nulla ut studii pertinacia, quae natura denegarit, plane possit reparare, deinde ita scimus plurimis causis, in civitatum veterum forma ipsoque populi sensu positis, adiutos esse et fere elatos, ut aevum Augusteum, (sequentem enim aetatem magis magisque corruptam lubens praetermitto,) excellentibus ingeniis, immortalibus in omni fere arte operibus insigne, non dicam Ciceronem, sed oratorem aliquem ingenio famaque egregium non tulerit.

Itaque pro huius oratiunculae consilio liceat mihi in studio eloquentiae consistere, atque illud unum conqueri, quod iuris, a quo uberrima et nobilissima eloquentiae pars olim manavit, studiosi plerique hodie non tantum oratores esse nolunt, sed ab omni omnino facundia, sive crebro exemplorum idoneorum usu, sive legendis atque audiendis rhetorices magistris sibi comparanda, abhorrent, et si modo vera nec grammatices legibus plane contraria sint, quae dicant, quomodo dicant, vilipendunt. Quodsi latine dicentes oratione ornamentis omnibus ac nervis destituta, sed tamen a vitio libera utuntur, paratam habent a linguae peregrinae atque ab hodierna vivendi conditione alienae vinculis, quibus se constrictos queruntur, excusationem. Sed in ipso patrii sermonis elegante usu adeo pauci hodie tirocinium ponunt, ut multos, qui se Iurisconsultos profitentur, incomta atque elumbi oratione balbutientes audias, qui linguae nostrae in summa copia maximam vim atque gravitatem, qua post matrem Grae-

cam nulli cedit, nunquam divinasse cogitando, nedum adsequi posse loquendo videantur. Cuius rei causa etiamsi saepe in perversa puerorum educatione reique scholasticae vitiis quaerenda sit, tamen, quum nihil sit, quod intra hos, de quibus cogito, fines studio atque opera vinci nequeat, sperare licet, fore, ut meam *de coniungendis iuris et eloquentiae studiis* oratiunculam Vos, Rector Academiae Magnifice, etc. faventes atque benevoli audiatis. Nam quemadmodum omnino alienum est a mearum virium modulo, aut de aliis rebus, aut de hoc potissimum argumento quidquam proferre, quod simul et verum et Vobis novum atque inauditum sit, ut potius gravis mihi cura incedat, ne verbis meis eloquentiam magis segregare a iurisprudentia, quam cum eadem conciliare Vobis videar, ita si hoc quidquid est publicae declamationis ad horum, qui adsunt, Commilitonum aures accommodavero, quod illis utile, id Vobis scio esse longe iucundissimum. Vos autem, Commilitones carissimi, ita velim me disserentem audiatis, ut profectam hanc oratiunculam memineritis ab animo Vestrorum commodorum studiosissimo ac de eo maxime sollicito, ut liberalis doctrinae semina Vestris in mentibus sparsa quam uberrimos olim ac praestantissimos fructus literis, patriae, humanitati ferant.

Quum maximum, AA., naturae donum, et quo praecipue ceteris animalibus praestamus, sermo sit, cogitationum sensuumque humanorum interpres, tum nihil pulcro atque eleganti sermonis usu, id est, ad persuadendum idoneo, in quo oratoria facultas consistit, praestantius est atque excellentius; qua arte qui pollent, ii non tantum communibus societatis humanae commodis perfruuntur omnibus, sed summam ac plane peculiarem in ceterorum animos exercent potestatem. Quid enim gravius est, quam posse dicendo nostros sensus aliorum pectoribus instillare? voluptatem doloremque aut excitare aut vincere? voluntatem commovere? cupiditates regere? Quod magis ad divinae maiestatis similitudinem accedit imperium, quam quod in effrenem ac seditiosam multitudinem non satellitum manu, sed verborum vi ac pondere exer-

cetur? quo Agrippam illum Menenium usum esse historia perhibet. Quid dignius homine ac cive est, quam innocentium bona, fortunas, existimationem, vitam defendere? nocentium crimina revelare? in quo summos omnium aetatum atque gentium oratores occupatos fuisse neminem fugit. Quod denique maius humanitati praestitum est beneficium, quam ab iis, qui praeceptorum sapienter et ad auditorum animos accommodate propositorum vi ac gravitate, opinionum commenta, adversariorum tela, discipulorum πολυπραγμοσυνην superarunt? id quod divinum fidei nostrae auctorem perfecisse, et, si quem illi mortalium componere licet, sacrorum eius instauratorem, Martinum Lutherum, assecutum esse, pio gratoque animo profitemur. Praeterea neque illud leve est, laudare virtutem, mortuorum imaginem repraesentare, atque ita eorum merita oratione extollere, ut ad illorum exemplum optimus quisque sibi contendendum esse sentiat. Nullum profecto est, AA., quod cum oratoris potestate comparari possit, imperium; quo etsi negari nequeat abusos esse nonnullos ad prava consilia maturanda, (quemadmodum nihil omnino est divinarum humanarumque rerum, quo non aliquando abusa sit singulorum perversitas,) ea tamen est humanae naturae indoles, ea ipsius veritatis, nullis infucatae artificiis, vis, ut longe certior atque firmior eloquentia bonis et salutaribus et honestis rebus, quam perniciosis atque scelestis adhibeatur. Cui quatenus non tantum hoc propositum est, ut praeceptis quibusdam alios imbuat, sed ut vitam eorum regat et ad agendum omittendumque compellat, neutiquam potest id, quod scriptorum operibus libellisque edendis perficitur, comparari; quorum verba, quum non audiantur, sed legantur, lente animis hominum sese insinuant, nihil a voce humana ornamenti habent, carentque ceteris deliciis omnibus, quas egregii oratoris persona verbis solet admiscere, et quarum maximam vim esse constat ad regendam hominum voluntatem. Iam vero iuris disciplinam omnem in actionum humanarum regimine et moderatione versari, non opus est coram Vobis, AA., ut pluribus declarem.

Quum enim iuris causa atque ratio tota in eo sit posita, ut ordo quidam externus constituatur humanae societatis, quo pericula ac detrimenta homini ab homine imminentia aut plane tollantur, aut saltim minuantur, cunctique impedimentis remotis ad liberalem societatis usum inviten-tur, aliae sunt iuris partes, inter quas criminale eminet, quae proxime ad defensionem spectant totaeque hunc finem persequuntur, ne quid impune fiat, quo aliis noceatur. Sed aliae sunt magis conciliatrices generis humani, quae primo ordinem ac regimen componunt civitatis, sine qua non modo cives, sed ne homines quidem esse possemus, istae enim iuris publici partes sunt, tum eorum negotiorum, quibus solent homines vel suae vel aliorum saluti prospicere, certas regulas proponunt, in quo cum maxime versatur iuris privati disciplina. Iurisconsulti igitur quum sit non tantum iudicem et arbitrum iurium agere, sed etiam proxenetam et interpretem, quaeso, quid ille arduum atque difficile sine idonea facundiae dote perficiet? Non dicam ipsos magistratus orationis aut blandae atque suavis, aut vehementis et nervosae prudente usu et mala consilia multa evertere, et bona firmare atque adiuvare litiumque germina exstirpare posse. Sed sive gentes intueamur pactis conventis mutua sibi iura constituturas: legatos omni facundiae gratia destitutos nullam muneris partem recte adimplere, nemo est qui dubitet; sive privati quidquam negotii componendum est: plurimum compendii facit, qui diserto patrono utitur et facile animos omnium sibi conciliante. Nam aut scelesta consilia vix orta sua auctoritate reprimet atque prosternet, aut bonis vim et gravitatem adhibebit suam, impudentiam coercebit, iracundiam mitigabit, gratiam intermortuam reconciliabit, nimium securos excitabit, superbos cohibebit, miseros atque afflictos eriget; quibus omnibus in rebus quaeso, AA., quae tandem eius erunt partes, cui unum in calamo, nullum in ore praesto est auxilium? quem vocabulo satis ad rei indignitatem accommodato maiores iamiam nostri *den juristischen Federfechter* nominarunt; quod hominum genus tanto solet esse

clientibus perniciosius, quanto facilior inter eos, qui nunquam se praesentes intuentur, aditus calumniis ac fraudulentis machinationibus est patefactus.

Ac fateor quidem, AA., ea omnia, quae nunc, ne patientia Vestra abuterer, brevissime descripsi, Iurisconsulti officia non esse eiusmodi, ut orationes desiderent, quales a veteribus habitas hodie admiramur, quarum apud nos aut nullum aut rarissimum usum esse, in ipso limine orationis meae dixi. Sed quantumvis obmutuerit forensis eloquentia, non desiit neque unquam desinet in summo pretio haberi ista quotidianae vitae facundia, quae, uti unumquemque virum liberalibus studiis excultum atque enutritum decet, ita Iurisconsulto plane est necessaria, tantoque maiorem vim in hominum animos exserit, quanto minorem operam et praeparationem redolet, sed promta ad quamcunque rem, quae agitur, sese applicat. Unde cum dignitate rei difficultas etiam augetur. Nam posse bene praeparatum ea cum aliqua gratia et suavitate dicere, quae congrua loco, non ingrata auditoribus, accommodata tempori videantur, non contemnenda profecto virtus est, in qua tamen studio et exercitatione pro natura quisque sua probabile aliquid possit contingere. Sed per ipsas quotidianae vitae vicissitudines, in tanta ingeniorum, morum, cupiditatum varietate, ea semper dicere, quae his ingeniis, his moribus, his cupiditatibus accommodata sint, ac summae cuique rei in periculum deductae inserviant, quae nec offendant adversarium, nec quidquam veri dissimulent, id sane longe difficillimum est, neque aliter potest ICto succedere, quam si studia literarum diligenter culta mature ex scholae claustris in amplissimum vitae theatrum protulerit, multum diligentiae cognoscendae hominum diversae indoli adhibuerit, omninoque nihil humani a se alienum putaverit.

Quae res me monet, AA., ut in altera orationis meae parte paucis, quomodo in coniungendis iuris et eloquentiae studiis versandum videatur, expediam. In qua re neminem Vestrum dissentientem habebo, si primo artes liberales omnes ad idoneam orationis facultatem compa-

randam plurimum conferre contendero. Audite, Commilitones carissimi, sermocinantes eos, qui, philosophiae, historiae, philologiae, poeseos contemtores, de victu et amictu unice solliciti, cruda studia in forum propulere, nec quidquam praeter legum verba, memoriae mandata, crepant, et continuo illo taedio corripiemini, quod, ubi Gratiae Musaeque absunt, nunquam deesse potest. Quippe uti corpus, ita animus alimentis et exercitatione crescit roburque et vires assumit, inertia autem et liberalis disciplinae contemtus, dum animum non sursum erigunt, sed terrae adfixum tenent, felicissima ingenia frangunt atque hebetant. Atque in ea re sponte apparet, nihil esse ad idoneam dicendi facultatem comparandam magis idoneum assidua optimorum scriptorum lectione, non tantum antiquorum, quorum sane maximum erit omni aetate pretium, sed etiam recentiorum et praecipue vernaculorum. Qui enim egregia historicorum, poetarum, philosophorum opera, qui itinerum descriptiones, qui vitas excellentium virorum atque epistolas sedulo et cum aliquo delectu legerit, is paratam habebit copiam et rerum et sententiarum, quo tamquam instrumento uti possit ad dicendum, inventionem iuvabit, elocutionem ad pulcherrima exempla informabit; sed si quis ab omni lectione alienus est, neque rara quadam ingenii vi excellit, non habebit, unde dicendi materiam depromat, paucas sententias nullo artificio iunctas, nullo ornatu politas pronunciabit, agro cuidam non dissimilis, in quo, quum nunquam aratro circumactus, nunquam arte cultus sit, *infelix*, ut ait poeta, *lolium et steriles dominantur avenae*. Atque hoc profecto est commune iurisprudentiae et eloquentiae studiis, quod, quemadmodum illa, quam recte veteres *divinarum humanarumque rerum notitiam* dixerunt, innumerarum rerum cognitionem requirit, quibus iuris notio possit soleatque accommodari, ita ad eloquentiam comparandam atque iuvandam nihil magis prosit larga optimisque studiis parta supellectile. De quo ut facilius Vobis persuadeatis, Commilitones, intuemini in exemplum eorum Iurisconsultorum, quorum praestantissimas reliquias Pandectae comprehen-

dunt, quique antiquiorum Imperatorum rescripta in Codice obvia magnam partem conceperunt, qui, licet eo tempore viverent, quo artium liberalium studia iam ad interitum inclinarent, tamen non modo vastam et incredibilem rerum diversissimarum copiam scientia sua complexi sunt, qua non ad ostentationem, sed quoties usus ferret, uterentur, sed tali etiam ubique usi sunt tamque ad consilium accommodato in responsis, tam scriptis quam ore pronunciatis, dicendi genere, quo pristinum linguae latinae splendorem per plura secula soli ferme tuerentur atque id efficerent, ut fragmenta ista, quasi praestantissimas tabulas e naufragio servatas, ne hodie quidem peritissimus quisque sine maxima voluptate cum summa utilitate coniuncta inspiciat.

Sed cum ista lectionis assiduitate mature coniungi debet diligens scribendi dicendique exercitatio. Nam quod ad scriptionem attinet, non facile quidem illa hodie in scholis plane praetermitti solet, quamvis, nisi omnia me fallunt, ab adolescentibus nonnunquam aut prorsus negligitur, aut in linguae patriae fraudem eo unice dirigitur, ut probabiliter latine scribant; qui quum vernaculo sermone recte uti nesciant, magnum dedecus et sibi et literarum studiis, quae profitentur, infligunt. Nam in universum ista scribendi exercitatio ad inventionis facultatem acuendam non modo utilis, sed pernecessaria est; quae si praecesserit, tum demum illae dicendi exercitationes utilitatem aliquam praestabunt, quas ego vellem non tantum scholis, sed etiam academiis reddere. Etenim si vera sunt, quae de orationis prae scriptione praestantia paulo ante dixi, cur tandem scribere fere prius quam clare loqui docemus? cur a scholis dicendi exercitia absunt, nisi quae in iis, quae memoriae mandantur, recitandis consistant? quidni in academias revocamus pulcherrimas istas exercitationes, quales apud Romanos Porcius Latro, Seneca Pater, atque is, cui Quinctiliani Declamationes debentur, instituerunt? quibus ad nostra tempora accommodandis maximo profecto literae bearentur beneficio. Nam si de quaestione aliqua iuris vel facti

confestim singuli iubentur quam fieri possit copiosissime et ornatissime in utramque partem disserere ac disceptare, aut fallor, aut hac una ratione ii maxime, qui a natura minus praeparati sunt, ad quotidianae vitae usum possunt praeparari. Quodsi quis declamatores hac ratione, non oratores informari nobis responderit, parum perspectum habet nostri consilii rationem, quod non in eo cernitur, ut Iurisconsultos omnes oratores faciamus, quibus hoc tempore ne locus quidem daretur idoneus, sed ne cui ea desit facundiae copia, sine qua nemo artem boni et aequi cum aliquo successu exerceat.

Sed donec istae rhetorum scholae nobis fuerint restitutae, agite, Commilitones, ipsi assiduo studio in eo elaborate, ne tale ac tantum Vobis decus atque ornamentum vel potius instrumentum necessarium desit, sine quo feliciter Themidos sacra curare vix unquam poteritis. Defigite animos in optimarum artium studia, mentem divinarum humanarumque rerum cognitione implete, quod bonum, quod verum, quod pulcrum sit, ei studete, lectionem optimorum scriptorum nunquam intermittite, atque eam interdum ita suscipite, ut vivae vocis usus simulque actionis exercitatio accedat, omninoque ad ea, quae loquimini, non minus, quam quae scribitis, attendite, ut non modo recte atque eleganter scribere, sed etiam dicere copiose et ornate valeatis. Ita enim vera eritis fori ornamenta, literarumque studia non tantum titulo prae Vobis feretis, sed singulis orationis Vestrae verbis profitebimini.

XI.

DE IOANNE ADAMO GOTTLIEB KINDIO IURISCONSULTO EXIMIO.

ORATIO

IN SOLEMNIBUS INAUGURALIBUS

A. D. XXXI. IUL. MDCCCXXVII. RECITATA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE ETC.

Quamvis virtutem sua ipsius gratia appetendam, literarum etiam studia ab homine ingenuo ob id, quod in se ipsis habent, pretium colenda esse certum sit, fieri tamen non potest, donec humanae imbecillitatis finibus continemur, quin ad id, quod in suo genere optimum sit, contendentes, subinde incitamentis quibusdam et quasi stimulis indigeamus, quibus confirmentur vires atque in eo, quod percurrendum est, stadio sustineantur. Quorum incitamentorum quemadmodum maxima varietas est et pro maxima hominum varietate esse debet, ita nescio an non multa sint, quae cum gentilitiae virtutis exemplo possint comparari, sive vim summam intueamur, quam in animos omnium erectioris indolis hominum exercet, sive dignitatem atque affinitatem, qua cum ipso virtutis amore proxime coniungitur. Qua enim alia de causa *fortes creari fortibus et bonis* non modo Venusinus poeta, sed plerumque ipsa rerum experientia docet, quam quia hoc maxime est ad humanam sentiendi cogitandique rationem ipsamque naturae legem accommodatum, ut ad exemplum

eorum, quibuscum a teneris viximus, quibus vitam et quod vita pretiosius est, vitae regimen et moderationem debemus, ipsi conformemur, neque, ut pergit poeta, *imbellem feroces progenerent aquilae columbam, Doctrina sed vim promoveat insitam, Rectique cultus pectora roborent?* Quid porro homine ac cive dignius est, quam ut in familiae sinu enutritus ac quotidie huius domesticae vitae sive deliciis captus, sive beneficiis ornatus, circumspiciat eius, cui tam multa debet, gentis decora, ab iis sibi viam, qua ingrediatur, monstratam, nihil autem turpius esse censeat, quam a maiorum exemplo degenerare nominique labem atque ignominiam infligere? Intelligitis enim, AA., quod, sive locum, ex quo mihi dicendum, ad quem non imaginum splendore, sed literarum studiis aditus paratur, sive personam, ut spero, oratoris intuemini, iam opinione praeceperatis, neutiquam me aut illorum stultitiam ac temeritatem defendere, qui, avita gentis nobilitate tumentes, non qui fuerint maiores, sed cuius originis, neque quam integris moribus, sed quam integro, quem unice gloriantur, sanguine fuerint, nulla scilicet plebeia consuetudinis macula contaminato, sollicite quaerunt; aut eius socordiae patronum me gerere, quae in maiorum splendore atque meritis, quibus se satis illustrari autumat, acquiescere, indeque propriae sive inertiae sive pravitatis excusationem petere satagit. Nos potius eam tantum maiorum aemulationem laudamus, qua saepe praestantissimos omnis aetatis homines, ingenio quidem ad optima quaeque destinatos, magis tamen incensos atque inflammatos esse scimus, ut in virtutis, literarum, bellique ac pacis artium studio constanter perseverarent, atque in illo discrimine, in quo constitutum Herculem Socrates, Prodicum imitatus, eleganter discipulis solebat describere, nullis fortunae ac voluptatis illecebris ab eo, quod verum atque honestum esse cognoverint, abripi sese paterentur; nos eos, qui tali incitamento utuntur, tanto feliciores censemus, quanto magis molesta esse solet conditio hominum etiam innocentissimorum, quibus, quum nomini dedecus propinquorum perversitas inusserit,

gravissimum opinionis praeiudicium, quo occupati aliorum animi tenentur, magna virium contentione subvertendum est. Quo felicior mihi praedicandus est clarissimus Candidatus *), qui in ea domo natus, cui plura haec civitas, patria, literae ornamenta debent, nullum frustra requirit exemplum, sive severiorum studiorum earumque virtutum, quae in re publica administranda versantur, sive liberalium artium, quarum proxima cum Musis cognatio est. E quibus omnibus unum, et memoria recentissimum et dignitate praestantissimum, ut hoc potissimum die atque ex hoc loco, ea oratione, quam muneris ratio, non minus illa honorifica quam iucunda, haberi iubet, persequerer, plures me atque gravissimae causae admonuerunt. Nam quum Vobis, Rector Academiae Magnifice etc., commendo Candidatum, fidelissima institutione Vestra ita informatum, ut non minus maturitate studiorum, quam morum integritate excelleret, quumque eidem mox debita harum virtutum praemia, summos in utroque iure honores, Vobis testibus, impertio, quid efficacius esse poterit sive ad spem laetissimam de hoc tali Candidato concipiendam, sive ad animos Vestros patienter ferendo infacundo oratori conciliandos, quam recolere memoriam eius Viri, qui, Candidato consanguineus, quum ab eodem Ordine nostro eosdem honores esset adeptus, non ita multo post inter huius Academiae lumina emicuit, saepeque doctissimis sermonibus, oratione elegantissima hos ipsos parietes resonare iussit? quem superstites Vestrum nonnulli illo iam tempore, ceteri postea aut cognitum aut etiam amicum habuerunt, quando ille, licet in alio virtutum theatro constitutus, constante huius Academiae amore ductus, Doctorum eius consuetudinem semper expetivit, nonnunquam studiose quaesivit. Quid Vobis, Commilitones carissimi, iucundius et, si Vos oratione ad imitandi studium excitari patiamini, etiam utilius sit, quam repraesentare eius Viri imaginem, quem Iuriscon-

*) [Carolus Theodorus Kindius, eius, de quo haec oratio, ex fratre nepos.]

sultorum patriorum eximium decus fuisse, uno omnes ore profitentur? Quid autem Tibi, Candidate praestantissime, accommodatius videatur ad huius Tui diei solemnitatem, quam denuo in singulare illud ornamentum, quod in Tuo patruo domui ornatissimae est additum, intueri, non tam ut exemplo inciteris, quo minus opus est sponte citatoque cursu ad optima quaeque contendenti, quam ut grati animi officium persolvas ei, quem pater Tuus, Vir et ipse pia memoria dignissimus, auctorem studiorum vitaeque iuvenilis moderatorem gratus profiteri solebat. Denique si hanc veniam datis oratori, ut in deligendo argumento aliquam sui rationem habeat, fateor, mihi, quum primum delata esset haec dicendi provincia, statim hoc unum visum esse aptum et paene necessarium, ut, qui Doctorem renunciarem fratris filium eius Viri, a quo, quantumvis longo aetatis, longiore virtutis intervallo seiunctus, innumeris ornatus sum non tam benevolentiae, quam paternae amicitiae documentis, huius manibus iusta persolverem, ac pietatis nunquam interiturae sensum publice declararem. Itaque nullus dubito, AA., quin meam

de Ioanne Adamo Gottlieb Kindio, Iurisconsulto eximio,

orationem eodem, quo me alias dicentem sustinuistis, favore sitis ornaturi.

Werda oppidum est ad Plissae fontes in praefectura Zwiccaviensi situm, incolarum industria ac mercimoniis non ignobile. Haec patria Kindiae gentis, hinc illa surculos suos primo nostram in urbem, deinde in alias regiones dilatavit. Ibi natus Lipsiam anno superioris seculi quinto et tricesimo e schola Grimana venit Ioannes Christophorus Kindius, qui, postquam per decennium fere humanioribus literis et theologiae sese dedidisset, eorumque studiorum fructus Plutarchi vitas illustrium virorum edidisset, vernaculo sermoni ita donatas, ut ne hodie quidem, post septuaginta annorum intervallum, docto Plutarchi interpreti opus istud videatur negligendum, quum nobilis cuiusdam adolescentis studiis praeficeretur, ea usus est occasione, qua theologiam cum iurisprudentia

commutaret; quod illi consilium adeo feliciter cessit, ut anno primo et sexagesimo summos in iure honores nactus, deinde in Senatum huius urbis cooptatus atque in Scabinorum collegium receptus, ad Praeturam adscenderet, summaeque vir auctoritatis anno demum tertio et nonagesimo decederet, relicta sobole, quae paternae laudis hereditatem egregie est tuita, de qua tamen, ne vivos attingam, atque adeo praesentis collegae, Viri Illustris ac summopere colendi, pudorem laedam, plura a me dici non attinet. Huius igitur ex fratre nepos, noster ille Ioannes Adamus Gottlieb Kindius, et ipse Werdae natus est anno superioris seculi septimo et quadragesimo, Kalendis Octobribus, patre Ioanne Gottlieb, fullone, matre Maria Oberlaenderia, probis atque honestis parentibus. Puer quum aliquamdiu in ludo illius oppidi literarum elementis esset imbutus, nec magis patrui consiliis et exemplo, quam proprii ingenii felicitate stimulatus vitam literis consecrare statuisset, in eandem, quae de patruo optime meruerat, scholam, Grimanam puta, se contulit, perque sexennium ferme Principalis munificentiae alumnus fuit. Ibi quum pluribus aliis usus est magistris, quorum nomina tempus obliteravit, tum Krebsio, Rectore, atque Mückio, Conrectore, a quibus se et aliis plurimis beneficiis affectum, et antiquarum literarum amore, quo per omnem vitam flagrabat, acerrimo incensum esse, saepe solebat profiteri. E quibus Krebsius, scholae celebritate inflatus, doctrinae austeritatem aliquam et fastum addere solebat, Mückius ita illam comitate et urbanitate temperabat, ita de alumnorum non modo studiis sed etiam moribus omnique vita sollicitus erat, ut eum alius quoque praestantissimus aetatis nostrae Iurisconsultus, Andreas Guilielmus Cramerus, Kindii ferme aequalis, iam Kiloniensis Academiae lumen, non tantum ut praeceptorem, sed ut patrem veneraretur. Quorum igitur ex disciplina quum noster anno superioris seculi octavo et sexagesimo, Rectore Boehmio, in hanc Academiam transiret, cuius in album iam anno ante a Winklero Rectore erat relatus, totum se ad patrui consilia applicuit, qui ei auctor

extitit, non tantum ut ad iurisprudentiae studium sese conferret, sed etiam, quod gravius est, ut cum illo studio, quemadmodum ipse fecerat, semper literarum humaniorum elegantiam coniungeret. Quo consilio nullum, Commilitones carissimi, magis salutare dari potest adolescenti, qui studia nostra sectatur, sive internam, quae iis cum humanioribus literis intercedit, necessitudinem, sive maxima et liquidissima, quae ex illa coniunctione redundant, et ornamenta et oblectamenta intueamini. Itaque quibus paulo accuratius obversatur illius temporis memoria, quem Kindius praecipue magistrum primis vitae academicae annis sequutus sit, non dubitabunt. Unum enim tunc erat atque pulcherrimum sidus, quod non tantum Lipsiam luce sua illustrabat, sed Germaniam omnem, omnes cultioris Europae regiones splendoris radiis in sui admirationem rapiebat, unus erat verissimus elegantioris doctrinae magister atque iudex: Ioannes ille Augustus Ernesti, cum duobus tantum superioris aevi viris, qui in hac Academia iuventutem docuerunt, Petro Mosellano et Ioachimo Camerario, comparandus, quorum tamen illum vitae longaevitate, qua summum aliquid et in suo genere absolutum quaerenti omnino opus est, hunc fortunae constantia superavit, qua parem ad extremum usque vitae diem in utraque re publica, et literaria et civili, auctoritatem est tuitus. Hunc igitur et interpretantem veteres scriptores, et historiam catholicam aliaque doctrinae capita enarrantem assidue Kindius audiverat, atque hoc erat vix primo exacto semestri consequutus, ut Ernestius eum sibi studio discendi et humanitate ac probitate carissimum esse testaretur. Philosophiam a Ioanne Henrico Winklero, celebri tunc professore, non leviter et perfunctorie perceperat, sed ita, ut per aliquot annos scribendo etiam atque disputando de variis philosophiae capitibus exerceretur, quam rem nimium hodie negligit multorum inertia, qui exercitationem, alteram studii academici partem, auditioni atque lectioni necessario esse addendam, magno suo detrimento non meminerunt. Morum autem disciplina, arctissimis vinculis cum studio iu-

ris coniuncta, ab eo erat magistro imbutus, qui illam non tantum oratione, sed tota vita in discipulorum conspectu agenda traderet, Christiano Fürchtegott Gellerto, cuius quanta in maxima simplicitate vis fuerit ad commovendos inflammandosque honestatis et religionis amore auditorum, qui undique confluerent, animos, memini nostrum etiam senem praedicare. Ipsius denique iurisprudentiae partes illi a Sammeto, Breuningio, Car. Ferdinando Hommelio, Zollero atque Geisslero erant traditae, quamquam disputandi causa etiam adierat Fridericum Platnerum atque Cleemannum; ius autem publicum et historiam Imperii, quod adhuc florebat, Romano-Germanici acceperat ab eo, qui tunc in hac parte dominabatur, Henrico Gottlieb Franckio, cuius amicitiae et consuetudini multum se debere fassus est. Quae quidem studia sedulo atque diligenter culta ita illi successerunt, ut, tribus fere semestribus exactis, ab Amplissimo huius urbis Senatu Notarius creatus, in publicam Notariorum matriculam referretur, neque ita multo post, anno septuagesimo, amico suo Ioanni Friderico Cleemanno, Ioannis Augusti, quem inter praeceptores commemoravi, fratri, solemnem disputationis diem gratulaturus ederet publicum idque primum eruditionis specimen, epistolam *de origine literarum clientelarium.* Anno insequente disputationem ipse publicam *de feudo pecuniario* Cleemanno praeside defendit, superatisque cum laude examinibus et Baccalaureus iuris a collegio nostro, et liberalium artium Magister ab Ordine Amplissimo est creatus. Per idem tempus quum Russorum Imperatrix Catharina, noctem perpetuam, quae, uti certas vasti imperii partes per singula anni intervalla obsidet, ita tunc mentes civium fere ubique premebat, omni ope fugatura, quatuor iuvenes Russos*) suo sumtu in hanc Academiam, ut in alias alios, mitteret instituendos, his noster additus est studiorum comes atque moderator, nactus ita laetissimam opportunitatem non modo repetendi eorum, quae iam didicisset, memoriam, sed etiam

*) Basilium de Sinolieff, Sergium et Demetrium fratres de Olsulieff, Basilium de Melgunoff.

supplendi, quidquid studiis suis adhuc deesse videretur. Anno seculi secundo et septuagesimo causarum in foro orandarum facultatem legitimis speciminibus editis a Principe est consequutus, proximo autem ex philosophorum cathedra doctissimam dissertationem: *de origine et fatis Curiae Supremae provincialis in Saxonia* defendit. A quo quidem tempore Kindius noster quum et clientibus vacaret, et studiosae iuventuti disciplinam iuris, feudalis maxime et iudiciarii, traderet, non modo profuit plurimis, sed etiam studiorum egregia cum assiduitate cultorum fructus tulit uberrimos. Nam quum omnes doctrinae promptae parataeque copiam, in dicendo autem elegantiam ac perspicuitatem admirarentur, evenit, ut plurimi eius patrocinium sequerentur, largaque, donec in hac Academia doceret, iuvenum nobilissimorum illum studiose sectantium corona stiparetur, qui, postquam sub anni quarti et septuagesimi initium summos in iure honores defensa dissertatione: *de beneficiis iure curiae concessis eorumque a feudis discrimine*, impetraverat, in numerum eorum, quibus ad Curiam Supremam et Senatum huius urbis ecclesiasticum patrocinari licet, est relatus; multosque etiam in hanc cathedram deduxit defensuros libellos elegantissimos, ipso duce et auspice elaboratos, in his statim anno insequente Carolum Henricum Comitem et Dynastam a Schoenburg, *de feudis femininis* disputantem. Et illam quidem inauguralem dissertationem iam ei obtulit, cui vitam omnem non tam civis officio, quam admiratoris arbitrio dicaverat, Friderico Augusto, nuper patriae erepto patri, cuius quod exitum non vidit, qui nascentem et indies crescentem gloriam viderat, qui illi vitae ornamenta et numero multa et pretio infinita debebat, id vero in singulari aliqua felicitatis parte videtur esse ponendum. Anno seculi nono et septuagesimo quatuor, quae huius Universitatis corpus constituunt, Nationum suffragiis electus est Academiae Syndicus, idemque Principis beneficio anno tertio et octogesimo tam Supremae Curiae, cuius ipse historiam docte descripserat, assessor constitutus est, quo munere iudiciario simul effe-

ctum, ut ab omni causarum patrocinio iam abstineret, quam professionem ordinariam iuris Saxonici capessivit, novae quidem, ut vocant, institutionis, sed annuae pensionis munere ditatam, quae successit in locum professionis iuris extraordinariae ipsi iam anno sexto et septuagesimo demandatae. Eodem anno, AA., deduxerat in hanc cathedram fratrem Ioannem Danielem, huius Candidati nostri patrem, *de cessione hereditatis a peregrino in indigenam facta*, *quatenus ius detractus tollat*, disputantem; quem quidem fratrem, paucis ante parentum obitum annis natum, consilio, institutione, exemplo a se potissimum informatum, ita semper dilexit, ut laudibus illius atque meritis tam in Suprema Curia quam in Illustri Scabinatu partis, (utrumque enim postea ornavit collegium,) non mediocriter ipse delectaretur, minoremque natu anno huius seculi duodecimo sibi aetate graviori ereptum verissimo luctu prosequeretur.

Iam vero nostrum in ipso honorum tramite currentem, literis ac iustitiae administrandae viventem, gratissimum iuventuti magistrum, carissimum propinquis atque amicis sodalem, videbatur Lipsia, videbatur Academia posse retinere suumque perpetuo dicere, praesertim quum priore, quod cum Peinemannia, virgine non genere minus, quam moribus conspicua, iunxerat, matrimonio luctuosissima uxoris morte dissoluto, novas cum Fregia, celeberrimi huius urbis argentarii filia, nuptias celebrasset, atque ita uxoris, soceri, affinium amore conservari nobis videretur. Sed partim valetudinis ratio, quae domicilii permutationem suadebat, partim animi aegritudo, quid enim iam attinet dissimulare? quae tunc illum invasit, quum ad vacantem ordinariam veteris institutionis professionem non sine summorum fautorum plausu adspiranti, alius praeferretur, effecit, ut, quem antea oblatum declinaverat, tandem susciperet in Summo, ad quod provocatione certatur, Collegio locum, atque anno nono et octogesimo Lipsiae cum uxore dulcissima filioque, paucis ante mensibus nato, valediceret.

Atque ita pervenerat noster in illud Collegium, in

quo administranda ultra triginta annos iustitia ea sibi merita comparavit, quae illius virtutem loco non tantum illustri, sed etiam quam maxime congruo positam ostenderent maximumque illi nomen inter Iurisconsultos Saxones etiam apud exteros conciliarent. Nam quum duplex sit non modo Iurisconsultorum, sed doctorum hominum omnino omnium sors atque conditio, ut alii magis scholae ipsarumque literarum, alii vitae in usum studia sua componant, huic posteriori generi Kindius mature sese applicuit. Enimvero ius omne in vitae humanae moderatione versatur, et quemadmodum nemo aut doctrinae iuris vera incrementa addat, qui ab omni vitae contemplatione abhorreat, aut vitae utilitatem iuvet, qui sit a disciplina rudis atque incultus, ita qui disciplinam iuris amplificaverint, administrandae quoque iustitiae prosint necesse est; qui autem in vitae vicissitudines oculos habent defixos, plurima solent observare, quae ipsi disciplinae augendae supplendaeque inserviant. Unde intelligitis ipsi, AA., non tam hoc in illa partitione esse respiciendum, quod singuli consequantur, quam viam atque rationem, qua per omnem studiorum cursum ingrediantur. Quem Kindius ita semper instituerat, ut, quanto propius unumquodque argumentum ad ipsum vitae usum accederet, tanto lubentius in illo operam poneret. Inde profectus est ille, quem iam scholis academicis prodidit, iuris Germanici, feudalis atque iudiciarii amor, quas partes intelligebat et ad quotidianum vitae usum proxime pertinere, et illo praesertim tempore nondum esse ita, ut ceterae, aliorum studiis excultas; inde summus primum ad causas orandas, mox ad iustitiam administrandam fervor; inde argumenta eorum, quos nondum commemoravi, libellorum: *de successione in bona absentium; de iurisprudentia Germanorum paroemiaca eiusque cauto usu; de Speculi Saxonici usu et auctoritate; de dote a detractu haud libera; de retentione pignoris in concursu creditorum exule; de fontibus iuris iudiciarii civilis, quod per Germaniam obtinet; de originibus leuterationis atque oberleuterationis; de finibus successionis in feudum com-*

mune inter coinvestitos compossessores et simultanee investitos regundis, quorum argumentorum aliud alio maiorem habet a perpetuo usu commendationem. Quare in ampliorem illam forensis iurisprudentiae scenam vocatus et summam rebus gerendis utilitatem attulit, et quotidie causis sibi oblatis usus est ad promovendos studiorum fines. Quorum summos adiutores reperit cum ceteros collegas, ingenio et eruditione excellentes saepeque ab ipso ea causa laudatos, tum eum, qui Summo Senatui praeerat, Augustum Fridericum L. B. ab Ende, immensae virum et eruditionis et assiduitatis, qui sua de receptis a Collegio sententiis adversaria, multorum annorum studio collecta, cum nostro liberaliter communicavit. Et sane difficilia erant illa tempora, quibus iustum libertatis studium, e maximorum, quae rem publicam oppresserant, malorum sensu ortum, a Francogallis ad alios populos propagatum, non modo apud illos, sed etiam alias in aestum quendam atque furorem abiit ipsas evertendi leges, libertatique protervam libidinem substituendi. Quod quamquam Saxoniae, Friderico Augusto regnante, nusquam acciderit, gravissima tamen onera, quae maxime necessariae civium parti, rusticis, erant seculorum consuetudine imposita ac plerumque inveterata eorum, qui maiora praedia possidebant, libidine aucta, praesertim in illa litium de huiusmodi causis ortarum aeternitate, motus quosdam excitarant, quibus, nisi pari et fortitudine et temperantia obviam iretur, facile potuisset res publica periclitari. Sed quemadmodum tunc cetera patriae collegia, ut de hoc genere causarum communes quasdam regulas sancirent, sunt in consilium vocata, ita Summus provocationum Senatus, adiutore Kindio, tunc maxime probavit maximam liberalis doctrinae copiam, summum aequitatis amorem, promptissimam in illa aequitate temporibus accommodanda dexteritatem atque prudentiam, indefessam laborum patientiam, gravissimam in iure dicundo constantiam, quae tamen procul abesset a pertinaci inveteratorum errorum defensione. Quibus rebus evenit, ut denique difficultates omnes superarentur, praesertim

quum Kindius eas, quae a summis collegiis essent annuente Principe sancitae, sententias, una cum aliis controversi iuris capitibus in aureo illo Quaestionum Forensium opere diligenter tractatas, cum Iurisconsultis patriis communicaret *). Quod quidem opus, AA., rursus immortali Friderici Augusti nomine splendidum, praestat nominari, quam de eo pauca eaque parum ad rei dignitatem accommodata dici. Etenim quum multi in eo elaborarint, ut iuris controversi capita illustrarent et in unum collecta corpus proponerent, alii fori striblиginem, alii scholae pulverem, alii conviviorum sales atque lepores, alii inimicitiarum convicia et cavillationes isti argumento adhibuerunt, alii brevitati maxime, alii copiae rerum studuerunt: pauci ita sibi constiterunt, ut normam certam atque modum in singulis quaestionibus tractandis servarent: pauci doctis pariter atque indoctis fructum atque utilitatem, paucissimi elegantioris iudicii hominibus etiam voluptatem afferunt. Quod profecto Kindius noster non rerum ab argumentis alienarum quodam lenocinio, sed tractandae materiae delectu, ipsius tractationis concinno moderamine, quod aeque abesset a ieiuna brevitate atque a diffusa copia, singulari in demonstrando subtilitate, in refutandis aliorum opinionibus modestia et ubertate, denique rara orationis urbanitate et elegantia, quaeque ab hac abesse non potest, perspicuitate ita est consequutus, ut omnes facile huius argumenti scriptores Saxones, qui ante illum huic generi operam dederunt, superaverit, neque in Saxonia tantum, sed etiam apud exteros communi plausu iterata etiam editione comprobato exciperetur. Ac in patria quidem ita dudum valebat Kindii auctoritas, ut non modo ei legationi, quae per Vicariatus tempora rebus Imperii administrandis Dresdae constitui solebat, bis interesset, sed etiam illi adderetur, quae de novis legibus ferendis, quarum nonnullis ipsae Kindii Quaestiones occasionem dedere, consilia ferre iussa, novissimis

*) [Locos v. ap. HAUBOLDUM, *Lehrbuch des K. Sächs. Privatrechts*, pag. 536. ed. I. vel pag. 504. ed. II.]

demum temporibus est dimissa. Praeterea praemia laborum habuit impetrato Regia liberalitate beneficio in ecclesia Collegiata Cizensi *), in qua quum denique esset Decanus canonicorum suffragiis creatus, agnita sunt etiam a novo ecclesiae defensore, Potentissimo Borussorum Rege, eius merita, quae etiam a Rege nostro erant celebrata, quum inter primos equites adscriberetur **) ordini virtutis civicae recens creato. Sed perenne illud Kindiani nominis monumentum, quod sibi in Quaestionum libris posuit, quum plurimis locis indolem viri prodat liberalem atque amabilem, admonet me, AA., ut etiam hanc paucissimis describam.

Erat in illo summum atque indefessum veritatis studium, quod nulla amicorum gratia, nullo in adversarios odio, nullo potentum hominum metu, nullo inferiorum contemtu corrumpi sese pateretur, quoque haud raro effectum est, ut, quibus sua unice placent, graviter se offensos arbitrarentur dissensu, quo opinionem quandam illorum in familiari colloquio non obscure improbasset. Cuius animi gravissimum testimonium est non modo severum, quod de se ipso crebris retractationibus tulit, iudicium, sed etiam ingenuitas, qua, quoties ipse a sententia collegii recedendum putaret, id publice professus est, praecipue autem is, quem patrio sermone scriptum paucis ante obitum annis edidit, de institutione iuvenum ad loca in summis iustitiae tribunalibus adspirantium libellus ***), quo perversas multorum opiniones sine ira et studio, sed eo argumentorum pondere convicit, quo in nonnullorum offensionem incurreret. Affinis huic studio erat insatiabilis augendae scientiae cupido, quae se non continebat angustis iurisprudentiae finibus, sed in omnes literarum regiones, praesertim aut inventi cuiusdam novitate, aut scriptoris cuiusdam novissimi praestantia commendatas, lubentissime exspatiabatur. Vidimus illum

*) [Anno 1794.]

**) [Anno 1816.]

***) [*Ueber die Bildung juristischer Staatsdiener und besonders der Räthe in den Justiz-Collegien.* Leipz. 1818. 8.]

aetate iam ferme confectum ad Hahnemanni, novae inter medicos scholae coryphaei, colloquium festinantem, non tam ut ex eius oraculis sibi salutem quaereret, quam ut ex ipso viri adspectu atque sermone de doctrinae veritate iudicaret. Priori autem tempore unum habebat, quem maxime coleret, et a quo vicissim coleretur, praeter Iureconsultos amicum, Franciscum Volkmarum Reinhardum, summum theologum, quocum saepissime solebat familiares de communibus literis sermones miscere, quem lectionis per otium instituendae arbitrum constituebat et moderatorem, cuius defuncti desiderium saepe solebat ceteris, quos habebat, necessariis profiteri. Quam excellentium virorum amicitiam eo etiam tempore vidimus probatam, quum uterque esset a beatissimo Rege in consortium eius legationis vocatus *), quae de rerum academicarum instauratione daret consilia. Quo tempore Kindius non magis antiquam erga hanc Academiam, cuius instituta singula pristino usu accuratissime perspecta haberet, fidem, quam in consiliis cum collegis capiendis atque exsequendis dexteritatem atque prudentiam probavit, neque prius ab hac statione cessit, quam quum fractae senio vires non sufficere amplius ipsi ad commoda nostra promovenda viderentur. Quid autem de maxima eius liberalitate dicam, quam sapientissima rei domesticae cura temperabat? cuius monumentum exstant splendidae aedes, ab illo ante multos annos Dresdae exstructae, in quibus, nisi cruenta belli tempora incidissent, plus etiam fuisset res eius familiaris compendii factura. Quid dicam de maxima festivitate atque hilaritate, qua, donec senectus ingravesceret gravissimosque fortunae ictus lares familiares paterentur, uti solebat. Quae etiam causa fuit, cur et ipse se facillime ad iuvenes et adolescentes accommodaret, et ab illis vicissim non modo coleretur, sed etiam diligeretur, quorum si quem praestantioris ingenii animadverteret, beneficiis, commendatione, auctoritate, qua summa apud omnes utebatur, facile iuvabat. In quibus Illustrem Ca-

*) [Anno 1810.]

rolum Augustum Gottschalkium non tantum honoris causa nomino, sed quo clarius uno exemplo appareat, quantum Kindio hoc quoque nomine patria debeat, qui in pluribus viris, quos in amicitiae vere paternae sinu cultos ad ipsam rem publicam adduxit, hunc etiam habuit prae ceteris carissimum, qui coeptam ab ipso telam egregie continuaret, omninoque Kindianarum virtutum iam conspectui nostro ereptarum imaginem quandam repraesentaret.

Vidimus enim egregium illum senem, qui summo omnium plausu anno huius seculi primo et vigesimo summorum in philosophia, paucisque annis post summorum in iure honorum quinta decennalia celebraverat *), non magis senectute quam domesticis casibus ita afflictum atque prostratum, ut postremo in ipsa muneris administratione Regia liberalitate sublevaretur. Nam ne de eo dicam, quod paucis a Lipsia relicta annis alteram quoque coniugem egregie dilectam morte amiserat, peculiarem expertus est in liberis fortunae acerbitatem, e quibus filiam crudeli ac longo morbo ante plures annos amiserat, filius autem, Christianus Henricus **), ad omnia summa natus, Iuris Doctor et causarum patronus felicissimus, quum iam antea saepe aegrotasset, repente anno nono atque decimo decessit, relicta vidua parvuloque filio etiamnum superstite, qui avi senectutem consolaretur. Quem casum noster minore fuisset aequanimitate laturus, nisi expertus esset praesentissimum partim in religione, partim in amicorum consuetudine solatium. Neque tamen ista solatia tunc suffecerunt, quando superiore anno etiam ea, quae una e liberis supererat, filia, Generosissimo Equiti de Kyaw nupta, excellentis ingenii femina, se videret orbatum.

---

*) [Videatur praefatio nostra.]

**) [Natus erat a. d. 12. m. Ian. a. 1788. Initio privata institutione in domo patris, postea scholae Portensis disciplina cultus, a. 1807. inter cives Academiae Lipsiensis receptus est. Scripsit Variarum iuris observationum syllogen priorem, quam praeside Hauboldo a. d. 22. m. Dec. a. 1812. defendit, et syllogen alteram, pro summis in utroque iuribus rite capessendis a. d. 3. Febr. 1814. editam. Vitam suam ipse descripsit in Aug. Corn. Stockmanni progr. Chrestomathiae Horatianae spec. XIII. Lips. 1814. 4. pag. 13—16.]

Non tulit hanc iacturam animus, multis iamiam doloribus fatigatus, non corpus senectute labefactatum. Itaque die decimo sexto mensis Novembris anni superioris filiam ceterosque, qui praeiverant, liberos sequutus est, atque inter ipsos Illustris Gottschalkii amplexus placide obdormivit, relictis tribus, in his duobus ex filia, nepotibus, qui ut ad avitae virtutis exemplum adolescant, pie precamur.

SERIES SCRIPTORUM

AB

IO. AD. GOTTL. KINDIO

EDITORUM.

1. De origine literarum clientelarium. Lips. 1770. 4. Epistola gratulatoria ad Io. Frid. Cleemannum.
2. Diss. iuris feudalis de feudo pecuniario. Lips. 1771. 4. praeside Io. Aug. Cleemanno a. d. 15. Febr. defensa.
3. De origine et fatis Curiae provincialis supremae in Saxonia. Lips. 1773. 4. Diss. adipiscendis optimis magisterii iuribus resp. Adamo Frid. Aug. de Watzdorff a. d. 17. Mart. defensa. Adiecta est series praesidum Curiae prov. supr. ab a. 1491. usque ad a. 1773. et sigilli curialis effigies.
4. De beneficiis iure curiae concessis eorumque a feudis discrimine. Lips. 1774. 4. Diss. pro summis in iure honoribus impetrandis a. d. 3. Febr. proposita.
5. De feudis femininis. Lips. 1775. 4. Diss. resp. Car. Henrico S. R. I. Comite et Dynasta a Schoenburg a. d. 6. April. defensa.

6 De successione in bona absentium. Lips. 1776. 4. Diss. resp. Georgio Ludov. Wichmanno a Warnsdorf a. d. 3. April. defensa.

7. De iurisprudentia Germanorum paroemiaca eiusque cauto usu. Lips. 1776. 4. Progr. adeundo a. d. 30. Oct. muneri professoris iuris extraord. editum.

8. Vindiciae feudi pignoratitii. Lips. 1777. 4. Diss. resp. Io. Steinmetz a. d. 18. Sept. defensa.

9. De speculi Saxonici usu et auctoritate. Lips. 1783. 4. Progr. adeundo a. d. 18. Maii muneri professoris iuris Sax. editum.

10. Quaestio forensis: cessio hereditatis a peregrino in indigenam facta utrum ius detractus tollat nec ne? Lips. 1783. 4. Diss. resp. Io. Daniele Kindio a. d. 18. Sept. defensa.

11. De dote a detractu haud libera. Lips. 1783. 4. Diss. resp. Adr. Henr. Ploessing a. d. 18. Dec. defensa.

12. De retentione pignoris in concursu creditorum secundum ius Saxonicum Electorale exule. Lips. 1785. 4. Progr. ad indicendas disputationes se praeside instituendas Dom. XXV. post fest. Trin. emissum.

13. De fontibus iuris iudiciarii civilis, quod per Germaniam obtinet. Lips. 1785. 4. Diss. resp. Car. Frid. Goeckero a. d. 24. Nov. defensa.

14. De originibus leuterationis ac speciatim oberleuterationis Saxonicae. Lips. 1787. 4. Diss. resp. Io. Aug. Muellero a. d. 9. Aug. defensa.

15. Problema iuris feudalis Saxonico-Electoralis: num in successione in feudum commune coinvestiti compossessores simultanee investitis potiores sint? Lips. 1787. 4. Diss. resp. Guenthero a Buenau a. d. 13. Dec. defensa.

16. Quaestiones forenses observationibus ac passim decisionibus Elect. Sax. supremi provocationum tribunalis collustratae. Lips. 1792. T. II. ib. 1795. T. III. ib. 1799. T. IV. ib. 1802. 8. — Editio secunda, multis partibus auctior et emendatior, T. I—IV. ib. 1807. 8.

17. *Ueber die Bildung juristischer Staatsdiener und besonders der Räthe in den Justiz - Collegien. Ein Beytrag zur juristischen Encyclopädie und Methodologie. Leipzig* 1818. 8.

XII.
DE REGE PATREFAMILIAS.

ORATIO
IN SOLEMNIBUS INAUGURALIBUS
A. D. VIII. NOV. MDCCCXXVII. HABITA.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE ETC.

Obstrinximus nuperrime cum universis Saxoniae civibus fidem Potentissimo Regi Antonio, atque ita obstrinximus, ut sanctitatem officii non nasci cum iurisiurandi religione, sed per eam agnosci, intelligeremus omnes. Neque enim quisquam hodie bene sanus in nostris certe regionibus est, qui de regni hereditarii prae ceteris omnibus imperii formis, quibus genus humanum per varios gradus ad absolutiorem cultum contendens usum est, praestantia dubitet, negetque, quod et pristini omnis et nostrorum maxime temporum historia clamat, longe esse et firmiorem et salubriorem nati Principis, quam aliunde dati potestatem. Certe illius facile omnes maiestatem reverentur: huius, quem privatum aliquando norant, imperio non sine invidia obtemperant; ille antiqua fretus civium in domum suam fide molliter relaxat frena imperii: huic, per ignes incedenti suppositos cineri doloso, adstringenda potius videantur, quamvis adstricta neutiquam ferantur lubentius. Ac nobis quidem, AA., tanta in tam miti, tam suorum civium amante, tam imbuto omnibus, qui humanitatem ornant, sensibus, tam ingenue hosce sensus declarante Principe, qualem in Antonio Rege veneramur, laetitiae causa divinitus data est, ut acerbus dolor, quem e Friderici Augusti obitu contraxeramus, cesserit piae summi numinis venerationi, quod beneficia, quae Fratri

Saxonia debet et pretio maxima et numero infinita, per hunc Fratrem conservari atque etiam amplificari voluerit. Neque enim unquam magis, quam cum in huius Regis personam atque vitam intuemur, commendat sese illa Principis cum patrefamilias comparatio, qua non modo poetarum libellos, sed adeo quotidianae vitae sermones plenos esse intelligimus; qua et Theologi utuntur, quando Principes ad Dei, summi omnium patris, similitudinem se totos componere debere docent, et Philosophi atque Iurisconsulti, qui mutua Principum civiumque iura non tantum describere oratione, sed etiam exemplo illustrare conantur. Atque utinam, AA., praeter egregia mutui amoris specimina nihil aliud oculi nostri vidissent, quod Regi cum patrefamilias esset commune, neque praematurus dilectissimae omnique virtutis genere excellentissimae Reginae, Mariae Theresiae, Regiorum sensuum et consiliorum fidelissimae Sociae, obitus, tantum ossibus ac medullis Potentissimi Regis dolorem inussisset, quantum uxore carissima erepta sentit paterfamilias, tantum autem luctus squalorem huic urbi primum, cui fatali quadam necessitate nupera gaudia tristi Regii funeris spectaculo compensantur, mox universae patriae attulisset, quantum orbatos matrefamilias liberos capere fas est.

Verum enim vero ne id deseram, quod mearum est partium, uti ceterae comparationes omnes non sunt ad omnem partem accommodatae, sed nonnihil dissimilitudinis relinquunt, quod si abesset, non iam res diversas inter se comparatas, sed eiusdem rei duo exempla contemplaremur, ita Principis etiam persona a patrefamilias plurimis differt officiis ac iuribus. Quod quum parum animadverterent nonnulli iuris publici magistri, in errores inciderunt perniciosissimos. Itaque neque ab hoc tempore, quo in Regis Antonii personam, non amabilem minus quam venerandam, oculos animosque habemus defixos, neque ab hoc loco alienum esse videtur, ut

[P. 216. not. 72. in fine] Gl. marg.: *i. e. non tenetur iudex delegatus ei parere.* Sed Dirksenius tamen (*Civil. Abh.* T. II. p. 414.) Vacarium vulgatae favere refert. Scilicet quia in C. Regiomontano facilior lectio aliunde est repetita. [cf. supra p. 462.] *Parientiam commodare* occurrit in Instrum. donat. ap. Spangenbergium Iur. Rom. Tab. p. 170. extr.

[P. 218. ad not. 80.] Ad eiusdem L. 7. verba: *consuetos dies* Gl.: *scilicet dies adventus domini, vel magister dicit se ignorare qui sint illi dies.*

[Ibid. not. 82. in fine] Ad L. 15. D. h. t. Gl.: *Distinguunt quidam ut W. an errent in iure, ut tunc nihilominus teneat iudicium post litem contestatam, non ante; an in facto, et tunc distinguitur, an actor an reus erret. Si actor, nihilominus tenet, si reus, non, quia forum ex eius persona metimur. Alii non distinguunt, ut az. ar. ff. de recep. l. litigatores* (11.) §. *Item Iul.* (4.), *utrumque enim consentire oportet, ut supra de*

iudiciis l. si iudex (L. 2. §. 2. cit.); *et pro azo. facit, quod hic dicitur: imperitia detegit, nam impericia ad ius referenda est. si ergo consentit uterque, est iurisdictio statim, secundum W., sed antequam adeatur, nemo cogitur pacto stare. — az. dicit non esse statim iurisdictionem, sed lite contestata; si ergo erret uterque in iure, non est iurisdictio secundum W. ante lit. cont., sed post; secundum az. nec ante nec post, quia et hic loquitur de impericia iuris. — Si uterque erret in facto, non est iurisdictio, nec ante lit. cont. nec post, secundum utrumque, quod probatur aperte supra de iudic. l.* 1., *ubi loquitur de errore iuris et facti, ponendo duos casus, in quibus idem statuit. — Si autem alter erret, distinguitur secundum W. ut diximus.*

[P. 220. ad not. 100.] In L. 13. §. 4. D. h. t. scriptum erat: *si ā* (*autem*) *fundi est ususfructus legatus et non debet* etc. Sed recentior manus *si* punctis subnotavit, et notae *ā* superscripsit: *ut*, ut sit: *aut*, quae iam est Florentina lectio; addita Glossula interlin.: *aut edium, supple; ut infra enim, suppletur hic.* Mox ad L. 13. §. 7. h. t. *Sed si aedium*, Gl.: *aut fundi, ut dictum est.* Cf. Savigny *Gesch. des R. R.* T. III. p. 632.

[P. 222. not. 109. in fine] Cuiac. Obss. I. 17. Glück T. X. p. 220. sqq.

[P. 224. ad not. 116.] Supplementa L. 5. §. 5. 11. 12. h. t., quae Florentiae desunt, agnoscit Vacarius. Habet enim §. 5. et 12. e Vulg., quamvis §. 11. absit.

[Ibid. ad not. 117.] L. 29. D. h. t. habet supplementum, quod Florentiae deest. Sav. *Gesch. des R. R.* T. III. p. 420.

[P. 229. not. 129. v. 21. delenda est vox *perpetuari.* Deinde v. antepenult. *sermonem esse contenderet.*] Glossa ista sic se habet: *Ibi dicitur, quod actor debeat probare se numerasse. Cum enim in omni exceptione fungatur reus partibus actoris, et honeretur probatione, in hac tamen speciale est, ut non probet actor, sed reus; proponitur enim verbis negativis, et negantis factum in re-*

rum natura nulla est probatio. Infra de probationibus, *Ei qui dicit, incumbit probatio.* (L. 2. D. cit.) — *Solutio: Quidam dicunt, quod simpliciter hic non negat reus, sed adiicit aliquid affirmando, sc. ob turpem causam datum esse, et ideo probare debet. Quod falsum videtur, quia, cum duo proponat: unum negando, aliud affirmando, solum illud, quod affirmat, debet probare, et lex dicit quod utrumque. — Alii dicunt, quod generale est, ut probet reus, quocienscunque conventus ex cautione sua dicit, ob turpem causam esse impositam eam; hic ergo dicitur ob turpem causam interpositam eam, infra non. Sed hoc non videtur; cum enim possit hanc causam reus tacere, si velit, non videtur, quod propter eius expressionem debeat honerari probatione. Improbatur etiam per G. Si sub specie* (L. 3. C. de postulando, in marg. positam), *in qua continetur, quod exceptione tutus erit, qui promisit, et sic videtur, quod actor debeat probare, licet ob turpem causam interposita fuerit. — Magister sic solvit: Quandoque interponitur cautio exprimens causam preteritam tantum accionis, quandoquè spe future numerationis; creditorum enim mos est, prius cautiones et pignora recipere, et postea, quandoque etiam per multum tempus, numerationem differre. Si ergo cautio causam contineat expressam ut preteritam, puta ego ticius professus sum in kal. maii me accepisse mutuam pecuniam in kal. ianuarii, presumptio facit contra reum; nec enim facile creditur velle causam sic exprimere, nisi vera esset, et ideo ei stabitur, nisi manifestissime probare possit, eam ex ea causa non fuisse numeratam. Si autem non adeo diligenter conscripta esset cautio, sed quasi spe future solutionis, nulla alia interveniente causa interponatur, sic: profiteor me accepisse pecuniam, et neget postea, pro eo facit presumptio, ex eo quod fieri solet. Solent enim ante numerationem conscribi cautiones, et ideo actori incumbit probatio. Hec autem solutio trahitur a quadam lege infra de non num. pecun. Generaliter* (13. C.), *et infra de probatt. Sin autem cautio* (25. §. 4. D.). *Sic*

ergo intelligendum: hic ex precedenti causa debita dicebatur, infra ex futura.

[P. 230. not. 130. v. 16. pro *L.* 43. §. 1.] L. 80. §. 6. D. de furtis.

[P. 234. not. 136. v. 6. §. *vesti*, *L.* 60. §. 2. *cit.*] Ad L. 44. §. 6. D. h. t. Gl.: *Infra de novationibus Sancimus* (ita scilicet infra lib. VIII. c. 39. apud Vacar. incipit L. 8. C. cit.) *contra. Solutio: hoc vetus, illud novum. Si obiiciatur, quod nulla lex corpori iuris continetur, que penitus sit evacuata, dicendum, quod nec ista in totum sed pro parte derogata est. Magister tamen dicit, quod ista solutio sibi displicet, sed nondum aliam potuit invenire viam.*

[P. 235. ad not. 139.] Ad L. 5. §. 5. D. h. t. *te soluturum, teneberis*, Gl.: *vel non teneberis, et est vera litera et tunc supplendum est: alii, et tunc id est ei quod sequitur.* — L. 14. §. 3. D. h. t. plane coaluit ap. Vacar. cum L. 15., in cuius adeo initio deest copula, et legitur: *constituitur.* Tum Gl.: *Magister sic legit, licet sit libera persona, per quam constitui, tamen adquiritur ei accio, cui constitui me soluturum, vel adquiritur mihi accio, licet libera sit persona, per quam constitui mihi debitorem. Non erit impedimento .... quia ministerium, quasi: non est proprie adquisitio, sed quasi exhibitio vel praestatio ministerii, non autem in iure, sed in facto, et in his, que iuris non sunt, sed facti, potest nobis libera persona ministrare. — Vel sic legatur: et licet sit libera persona, et ibi sit finis clausule; per quam constitui, ut sc. sit infiniti modi, non erit impedimentum, i. e. hoc non poterit impedire, quominus possit per liberam personam constitui, quod ad....* Hic abrumpitur Glossa; deest: *quod adquirere per lib. pers. non possumus.*

[P. 237. ad not. 147.] In L. 2. pr. h. t. negatio recte abest, ut Flor., sine nota var. lect. Cf. Sav. *Gesch. d. R. R.* T. III. p. 633. — In L. 4. §. 2. eod. Vacarius: *Numquid et adhuc etsi aspergine* etc. item sine nota. Cf. Sav. ibid.

[P. 239. not. 151. in fine] L. 23. §. 3. de acquir. rer. domin. L. 19. de stipul. serv. — Iam conferendus omnino Gaius Inst. Comm. III. §. 167.

[P. 241. not. 157. v. 7. *ultimam habuit in libro suo*] quo spectat locus Rogerii §. 82. ed. Haubold. [v. supra pag. 402.]

[P. 243. ad not. 161.] In L. 49. adest supplementum, quod Florentiae deest. V. Sav. *Gesch. d. R. R.* T. III. p. 421.

[P. 246. not. 170. v. 23. *eius rei nullum reperi vestigium*] Eum tamen a Placentino recessisse, ex his Glossis colligo: Ad L. 3. princ. h. t.: *Secundum Vac. si possessio emptori tradita sit, ab eo postea evocata iudicio petitorio, si venditor nomine evictionis duplam vel simplam promiserit, duplam vel simplam prestando liberatur. Si autem avocata fuerit iudicio possessorio, perinde, duplam vel simplam si promiserit, non liberatur, sed rem ipsam tenetur restituere. Tradita enim esse res non videtur, cum pociorem eum omnibus aliis facere deberet, et non fecit, ut infra eodem* I d e m N e r a t i u s (L. 11. §. 13. h. t.) — Ad eum vero locum clarius hoc exponitur ita: *Nisi emptor fuerit factus potior in possessione, poterit agere ad rei traditionem, postquam amisit possessionem, quod ita est, ac si nunquam ei tradita fuisset, quoad hoc, dico, ut liberetur venditor, sed non quantum ad factionem fructuum* (sic!), *quia percipiendo fecit fructus suos. Aliud esset, si petitorio iudicio amitteret possessionem, quia tunc tenetur venditor de evictione sc. ad prestationem simpli vel dupli. Nota etiam, quod emptor facit fructus suos, quum res ei traditur non soluto precio, licet precaria sit possessio, ut infra eod.* *e x v e n d i t o* (L. 13. §. 21. h. t., quae designatur a §. 19., quoniam haec apud Vacarium initium §. constituit). Denique ad L. 43. h. t. (quam Vacar. a vv. *De sumtibus* recepit,) Gl.: *Nota: Vac. dicit, quod lex ista legenda est ita:* *p l a n e*, *ubi agatur ab emptore, quod non est res tradita, sive quod tradita est evicta, quod usque ad duplum precii potest intendi. Pl. autem non legit hanc le-*

gem, nisi quando haec res est tradita et evicta; si autem res non est tradita, ad totum interesse agi poterit, ut supra eod. *Si per venditorem.* (L. 3. §. 3. h. t.)

[P. 247. v. 17. *et Azonem*] V. Azonis Brocardica s. Generalia iur. p. 151.: *Praecise ad actionem vel factum agi potest, secundum quod petitori placeat, nisi iusta causa interveniat, ff. de nov. op. nunc. l. stipulatio §. sive autem; de aq. pluv. arc. l. si tertius §. officium, et de procur. l. sed et haec §. defendere, et l. filiusfamilias §. ultimo, et ita de facto consulti Bononiae omnes Doctores responderunt. Excipitur in casibus, in quibus lex dat facultatem reo, liberandi se praestito interesse, ut in actione ex empto, ff. de act. empt. l. 1., quanquam Mart. et Aldericus ibidem contradicant.*

[P. 254. not. 181. v. 5. pro *ergolabi*] *ergalabi, i. e. laborantes in ergasteriis.* Scilicet ad v. *Monopolium* haec leguntur: *N. Monopolium exercet, qui singulare officium vult habere, quasi iure privilegii, veluti ut solus vinum vendat, quod est contra utilitatem, tam communem quam publicam: tunc enim possunt imponere precium immodicum. Conventus negociatorum illicitus est, quando mercatores conveniunt et paciscuntur, ut nullus vendat panni viridis ulnam minoris quam numorum XXX, vel quid simile; vel quando artifices coniurant inter se, quod nullus domum construat minoris quam C. Idem de ergalabis, i. e. laborantibus in ergasteriis, et omnia pacta talia quasi contra publicam utilitatem introducta sunt.* — Tum ubi monopoliis vis denegatur, Gl.: *Ecce quod non quicquid placet ei, qui princeps est, fit, quod nec ipse princeps hoc vult, nec etiam velle debet, in eo quod princeps.* (Hoc respicere videtur ad L. 1. pr. D. de const. princ.) Porro ubi ergolaborum mentio, Gl.: *Ergalabi dicuntur, qui sunt in ergasteriis, stationibus. Sic secundum quosdam. Alii dicunt, quod illi dicuntur ergal. qui conducunt mancipia, ut carius locent.*

[Ibid. not. 182. v. 3. *in Cod. Gott. deest*] Ad v. *mercatuum et nundinarum* Gl.: *Mercatus est singulis septimanis, et est mercatus conventus unius diei ad forum, nundinarum singulis mensibus vel annis.*

[P. 255. ad not. 183. in fine] Cf. Voorda Elector. c. 9. — Gl. ad L. 1. §. 4. h. t.: *Secundum plac. sive ac. in factum sive furti sive b. R.* (bonorum raptorum) *prius agatur, quelibet per unam tollitur, nec in hoc, quod plus est, manet, et hoc dicit in G. sua super illam Regulam Quociens concurrunt. Secundum Vac. manet furti vel vi b. R. post accionem istam, quia hec minus persequitur.*

[P. 256. not. 186. interpretibus apud Glueckium T. XXI. (ita corrigendum) allegatis addendus] A. A. Pagenstecher Virgo Florentina c. 2. §. 1. 2. in Eius Ecloga de iure Virginum et Virginis Florent. (Brem. 1709. 12.) p. 263—271.

[P. 265. not. 220. v. 16. 17. *Magistri nomine ... intelligendum*] Cf. adscripta ad p. 282. not. 310.

[P. 266. ad not. 220. in fine: *locus Rogerii*] §. 225. ed. Haub. — De hoc argumento Azo in Brocardicis s. Generalibus iuris, p. 347.: *Super hac autem quaestione, quae non est quaestio, sed stulta inquisitio, certum debet esse cuilibet, ad patrem dotem redire debere, etiam filiis extantibus, ut in ultimis argumentis in hac Rubr. positis probatur, nec dico argumentis, sed legibus expressis, ut ff. de iure dotium l. iure succursum. Nec obstat, quod dicunt: modo habeat nepotes loco filiae, quia prius et filiam et nepotes habebat, modo nepotes tantum habet. Sic ergo et filiae et pecuniae damnum sentiret, quod contra legem illam esset. Item dicit expresse, quod est in C. de rei uxor. act. §. sileat. Item probatur hoc, quia lex dicit, pactum de retinenda dote a marito factum validum esse, sive liberi interveniant, sive non, ut ff. de pact. dot. l. si pater dotem in prin. Certum est igitur, quod sine pacto retineri non*

poterit, *alioquin non validum*, *sed supervacuum diceretur pactum*, *ut ff. mand. l.* 2. *Leges inductae in contraria Rubr. nihil faciunt ad rhombum*, *malae enim et falso positae sunt leges in sequenti Rub.* *Pro modo facultatum* etc. *Melius enim ad hoc possunt induci leges in hac Rubr. positae*, *et faciunt ad illam Rub. Respondeo igitur legi*, *quae est ff. de min. l. denique* §. *si verum*, *quia quod dicit*, *dotem filiae esse patrimonium*, *subaudi quasi*, *ut dicit C. de rei ux. act. l. rem in praesenti* §. *accedit*, *et* §. *haec*. *Si enim proprium omnino esset patrimonium*, *deveniret ad filios eius*, *et ita tollitur alia oppositio*, *quae est in Instit. de hered. qualit. et differ.* §. *sui*. *Verum est enim*, *liberos primo vocari*, *si tractetur de successione*. *Sed pater non nititur advocare dotem*, *ut heres: imo ex pacto tacito vel expresso*, *ut dictum est*. *Item non obstat*, *quod legitur ff. ad Treb. l. filia et ad l. Falc. l. pater*. *Id enim concedo*, *ut patre mortuo dos omnino pertineat ad filiam eius exheredatam*, *et tunquam aes alienum*, *ut C. de rei ux. act. l. videamus igitur*, *et in hoc casu loquitur ad l. Falc. pater*. — *L. ex aut. de collatione etiam minus tangit quaestionem*, *quia ibi non dicitur*, *quod maritus possit retinere*, *vel quod liberi ex nepote nati essent*. *Aliae leges ibidem positae non faciunt ad quaestionem*. *His ergo reprobatis*, *dicam cum lege dotem esse restituendam*, *quia lex ipsa dat ei ex nudo pacto actionem; aut si hoc verum non est*, *inique reprobaretur simplex pactum patris*, *in continenti factum*, *ut C. de iur. dot. l. avia*. *Hoc secundum B.*, *sed M. contra*. *Nos sentimus cum B. et lege*, *sed taceamus a modo: quia nostra sententia abiit in desuetudinem. Martini autem sententia roborata est*, *et obtinet hodie*.

[P. 268. not. 244. v. 5. *de magistratibus conveniendis*] de cura furiosorum etc.

[P. 270. not. **) v. 2. *exprimitur*] Consentit Hauboldus Roger. p. 30. Dissentit Censor Rogerii Hauboldiani, cu-

[illegible] qui haec verba e glossa [illegible] Sed absque specie veri.

[P. [illegible] not. [illegible] v. [illegible] [illegible] de legat.] In L. [illegible] pr. D. de leg. I. [illegible] Florentinae deest etiam Vaccarius non habet. V. Savigny Gesch. d. R. R. T. III. p. [illegible]

[Ibid. v. [illegible] Sed aliud [illegible] de [illegible] etc.] In [illegible] (Basil. 1567. 8.) p. [illegible] haec leguntur: *Si legatur in genere, a principio est heredis electio. sed si [illegible] sit in mora, transfertur electio in legatarium, ut ff. de servit. l. si cui et de serv. rust. praed. l. si via et [illegible] de leg. §. si generaliter. Hoc secundum [illegible] — R. autem, cuius sententia praecedit, distinguit. utrum incertum de certis legavit, puta Stichum, cum plures haberet Stichos et nescitur, de quo sensit, an incertum de incertis, puta in genere. in primo casu est heredis electio, quia ei concedendum est interpretari voluntatem, qui in ius universum succedit, ut arg. C. de fideicommiss. lex ult. et de leg. I. l. si quis a filio §. si quis plures, in servo legatarii, ut ff. de leg. I. l. legato in genere et fam. herc. l. heredes §. si incerta. Sed hic addo aliquid B. sententiae: nisi legans habeat servos, ut tunc ex illis mediocrem eligat heres; esset enim ridiculum, circuire mundum, ut mediocrem inveniat servum.*

[P. 276. not. 283. v. ult. *et Auth. Hoc amplius C. h. t.*] cui praemittuntur verba: *Const. prima de nuptiis,* quamvis petita sit e Nov. L, cuius alia plane inscriptio, aliud argumentum est.

[P. 278. not. 289. v. penult. *Ceterum praetermissis Pandd.*] ex quibus ne locus quidem ullus in Glossis excitatur.

[P. 279. not. 298. in fine] Ad Auth. *Cessante* vv. *quae sola sit*, Gl.: *i. e. quae solet succedere, quae sola est, vel sic: si sola non sit linea ascendentium, i. e. si*

non soli sint ascendentes, quia si essent soli ascendentes, non essent fratres, unde non possent vocari, secundum gar. — Porro ad verba *cum proximis* Glossa: *M. cum patre et matre. Hugo. cum his qui proximiores inveniuntur.*

[P. 282. ad not. 310.] Ad vv. L. 5. *ne de cetero inquietud. sustineres*, Gl.: *Et ita licet alias post litem contest. debeat contrahi heremodicium, ut supra de iud.* p r o p e r a n d u m *§.* s i n a u t e m e x g e s t i s (L. 13. §. 2. C.) *hic tamen ante contrahitur et sententia pronunciatur. Simile infra quando et quomodo aut.* o b v i a m u s (V. ad not. 339.) *sed hoc quadam speciali ratione, ius enim conventionis dictat, ut post litem cont. contrahatur. Dicunt quidam hic favore libertatis provenire.* M a g r. R. *dicit propter necessitatem quandam, quia non erat alii remedio locus; cum enim nihil hic petatur, in cuius possessionem fiat missio, cessat missio in possessionem, in locum autem unius pene deficientis alia subrogari potest in eum, ut supra de in ius voc.* i n e u m (L. 24. D.) *supra de serv. fugit.* Q u i c u n q u e (L. 4. C.) *infra de penis* G e n e r a l i t e r (L. 1. §. 3. D.) *infra de sepul. viol. l. ult.* (L. 6. C.) — Quis ille Magr. R.?

[P. 283. ad not. 316.] Ad L. 50. D. h. t. in textu positam adscribuntur in margine L. 14. et 15. D. eod. Tum Gl.: *Bon. dicunt generaliter, quod est speciale in litore, sc. quod solum cedit edificio. Vac. autem dicit in contrarium, sc. quod edificium ad solum trahatur, et sic probat: Si enim aliquis edificaverit in litore, locus ille iam efficitur privatus, eo autem recedente et habente domum pro derelicto, iam et domus et locus ipse publici iuris erit: ergo hoc quod locus iste prius erat privatus, non erat propter impositum edificium, sed propter animum et voluntatem possidentis. Dicit ergo, quod hoc verum est. Edificium enim non est causa efficiens, quare solum privati iuris fiat, sed quedam occasio; sicut nec laqueus est causa, quare avis capiatur, sed instrumentum, is vero, qui laqueum posuit, est causa proxima. Sed obiici-*

[redacted] G. *Quod in litore, sc.* [redacted] *efficitur publicus, si pristinam* [redacted] *enim videtur, quod si non-* [redacted] *erit, cuius erat edificium. Rz.* [redacted]*edire, quin publici iuris sit,* [redacted] *rediit; sed si is, qui edifi-* [redacted] *eandem possessionem reverten-* [redacted]*rrant, locus erit privatus.*

[redacted] sqq. *Magister dicit* etc.] Huic [redacted] Glossa legitur infra ad L. 2. C. [redacted]. *quod in causa donationis nun-* [redacted] *evictione, nisi cum causa remu-* [redacted] *ut supra.* (Irnerio igitur adhae- [redacted] *incipiat a promissione, con-* [redacted], *si a donatione, non.* (Iacobum [redacted] — [redacted] *in principali, sc. in donatio-* [redacted] *confirmatione, agitur ex nudo pa-* [redacted]

[redacted].] In C. Pragensi teste Savignio [redacted]unicatis) haec ad istam Auth. [redacted] *aut. probat bulgarus intentio-* [redacted] *mil. L.* 1. *quia dicit, quod tem-* [redacted] *est; sed potest dici, quod non* [redacted]) *non est inconveniens dicere, et* [redacted] *erit praescriptio, sed maioris tem-* [redacted] *forte, si ante absentiam* [redacted]

[redacted] v. 18. *sed executioni mandanda*] [redacted] etc. Gl.: *Hic est casus, in* [redacted] *recuperare potest possess., a qua* [redacted] *decessit, etiamsi vetus do-* [redacted]. *Supra de usucap. Naturali-* [redacted] *contra. Ibi dicitur, quod naturaliter* [redacted], *si vi deiecerit possessorem, ergo* [redacted] *non potuit vendicare; et hic di-* [redacted] — *Solutio: quod supra dicitur, ve-* [redacted] *non adquisivit dominium,*

hic autem quadam speciali ratione potest vendicare, sc. quia vi deiectus est, sed non potest petere, nisi a domino, qui eum vi deiecit. Vis enim constitutionis Si quis (L. 8.) *non extenditur ultra eum, qui deiecit vi, si vero ad alium pervenerit, non potest.*

Ad hunc titulum in Cod. Prag. longior Glossa adscripta, in qua occurrunt *Mar.*, alia sigla, literae W non dissimilis, (fortasse V, Vgo,) *Albt'.* (Albericus) *bul.*

[P. 290. ad not. 338.] Ad L. 2. h. t. vv. *sufficiat hoc ad plenissimam interruptionem*, Gl.: *Supra de usucap. Gl. quod si rem contra.* (Intelligitur L. 2. §. 21. D. pro emtore, quae apud Vacarium in margine capitis de usucapion. posita est.) *Solutio: speciale est, quod hic dicitur, in quatuor casibus, sc. his qui in lege exprimuntur. Quidam etiam dicunt, quod sic perpetuatur actio usque ad XL an., sicut et per litis contestationem.* — Porro ad vv. *omnem temporalem interruptionem*, recentior manus eundem locum ut contrarium annotavit additis his: *Ibi dicitur: usucapio non interrumpitur litis contestatione. Solutio: verte folium . super ultima lege proximi* t. (tituli) *in fine, sc. solutio Martini, cum omnibus aliis ibi positis.* Scilicet nescio quo fato ab errante scriba sequentia verba in aversa pagina Legi ult. C. de praescr. XXX v. XL ann. adscripta sunt: *Solutio Martini: hoc lex nova optinet, illa vetus innovatur; vel aliter, usucapio nec litis contestatione nec ulla alia civili interruptione interrumpitur. hoc quidem recte. hoc autem, quod hic dicitur, ex necessitate specialiter constituitur, sc. in quatuor casibus enumeratis, quia presencia adversarii non habetur. Vac. aliter. hic de prescriptione triennii, que interrumpi potest civiliter; supra de usucapione, que non potest. Quid autem circa usucapionem sit prescriptio triennii ff. de captiv. et postlim. rev. l. in bello* (12.) *§. si quis servum* (7.), *supra de sententiis latis adv. fiscum; supra de repud. hered. l. ult. Vel sic: si sit lis tantum contestata, sine persecutione, non est interrupta usucapio, ut supra de rei vind. si post* (L. 18. D. cit.). *Si vero perse-*

tur de eo, quod dicitur in G. Quod in litore, sc. quod diruto edificio locus efficitur publicus, si pristinam formam omnino recepit; tunc enim videtur, quod si nondum recepit, eiusdem iuris erit, cuius erat edificium. Rz. hoc solum non potest impedire, quin publici iuris sit, quod nondum pristina forma rediit; sed si is, qui edificavit, animum habeat ad eandem possessionem revertendi; si enim ista duo concurrant, locus erit privatus.

[P. 284. not. 318. v. 8. sqq. *Magister dicit.* etc.] Huic similis et hanc illustrans Glossa legitur infra ad L. 2. C. de eviction.: *bulg. dicit, quod in causa donationis nunquam competit accio de evictione, nisi cum causa remunerandi fuerit donatum, ut supra.* (Irnerio igitur adhaesit Bulgarus.) *M. si donatio incipiat a promissione, competit actio de evictione, si a donatione, non.* (Iacobum sequitur.) — *Hugo. sicut in principali, sc. in donatione, quae iam vestitur confirmatione, agitur ex nudo pacto, ita in evictione.*

[P. 288. ad not. 331.] In C. Pragensi teste Savignio (in schedis mecum communicatis) haec ad istam Auth. adscripta sunt: *Per hanc aut. probat bulgarus intentionem suam supra de rest. mil. L. 1. quia dicit, quod tempus medium subducendum est; sed potest dici, quod non subducitur, quia* (quod?) *non est inconveniens dicere, et tunc non decimo anno erit praescriptio, sed maioris temporis, XII vel XIX annorum forte, si ante absentiam per annum possederit.*

[P. 289. not. 337. v. 18. *sed executioni mandanda*] Ad L. 8. §. 2. *Nam si quis* etc. Gl.: *Hic est casus, in quo male fidei possessor recuperare potest possess., a qua ante XXX annorum spacium decessit, etiamsi vetus dominus eum vi expulerit. Supra de usucap. Naturaliter* (L. 5. D. cit.) *contra. Ibi dicitur, quod naturaliter interrumpitur usucapio, si vi deiecerit possessorem, ergo non fuit dominus, ergo non potuit vendicare; et hic dicitur, quod potest. — Solutio: quod supra dicitur, verum est, quia per usucapionem non adquisivit*

hic autem quadam speciali ratione potest vendicare, sc. quia vi deiectus est, sed non potest petere, nisi a domino, qui eum vi deiecit. Vis enim constitutionis S i q u i s (L. 8.) *non extenditur ultra eum, qui deiecit vi, si vero ad alium pervenerit, non potest.*

Ad hunc titulum in Cod. Prag. longior Glossa adscripta, in qua occurrunt *Mar.*, alia sigla, literae W non dissimilis, (fortasse V, Vgo,) *Albt'.* (Albericus) *bul.*

[P. 290. ad not. 338.] Ad L. 2. h. t. vv. *sufficiat hoc ad plenissimam interruptionem*, Gl.: *Supra de usucap. Gl.* *q u o d s i r e m contra.* (Intelligitur L. 2. §. 21. D. pro emtore, quae apud Vacarium in margine capitis de usucapion. posita est.) *Solutio: speciale est, quod hic dicitur, in quatuor casibus, sc. his qui in lege exprimuntur. Quidam etiam dicunt, quod sic perpetuatur actio usque ad XL an., sicut et per litis contestationem.* — Porro ad vv. *omnem temporalem interruptionem*, recentior manus eundem locum ut contrarium annotavit additis his: *Ibi dicitur: usucapio non interrumpitur litis contestatione. Solutio: verte folium super ultima lege proximi* t. (tituli) *in fine, sc. solutio Martini, cum omnibus aliis ibi positis.* Scilicet nescio quo fato ab errante scriba sequentia verba in aversa pagina Legi ult. C. de praescr. XXX v. XL ann. adscripta sunt: *Solutio Martini: hoc lex nova optinet, illa vetus innovatur; vel aliter, usucapio nec litis contestatione nec ulla alia civili interruptione interrumpitur. hoc quidem recte. hoc autem, quod hic dicitur, ex necessitate specialiter constituitur, sc. in quatuor casibus enumeratis, quia presencia adversarii non habetur. Vac. aliter. hic de prescriptione triennii, que interrumpi potest civiliter; supra de usucapione, que non potest. Quid autem circa usucapionem sit prescriptio triennii ff. de captiv. et postlim. rev. l.* *i n b e l l o* (12.) §. *s i q u i s s e r v u m* (7.), *supra de sententiis latis adv. fiscum; supra de repud. hered. l. ult. Vel sic: si sit lis tantum contestata, sine persecutione, non est interrupta usucapio, ut supra de rei vind.* *s i p o s t* (L. 18. D. cit.) *Si vero perse-*

cutio secuta est, vel per actorem non stet, quo minus prosequatur, quia facit quod facere potest, ut hic, est interrupta. — Casus istius legis de captivis in bello §. si quis servum talis est: Servum alienum captum ab hostibus ticius redemit. Intra triennium liberum est domino estimationem redemptionis offerre et servum recuperare. eo id negligente ticius per triennium servum possidet, quo quidem tempore non usu capit, quia per redemptionem factus est dominus, et quod meum est etc. *post triennium numquid potest primus dominus servum recuperare? Rz. non. ticius prescriptione triennii munitus est. Sic ergo patet prescriptionem triennii ab usucapione differre.*

[Ibid. not. 339. v. 4. *acceptum dereliquit*] unde excitatur Auth. *Obviamus*. V. supra not. 70. et adscripta ad not. 310.

[Ibid. ad not. 342.] Sed L. 4. praemittitur Legi 3. et in compendium redacta est.

[P. 291. not. 355. v. 5. *Si confessus debitor .... confessus fuisset*] Pertinet ad eandem rem Glossa haec: *Confitetur quis solempniter, i. e. per scripturam, aut non solempniter. Si solempniter, aut causam adiicit, aut non; si non, non obligatur, ut ff. de probationibus de indebito* (L. 25.). *Si causa adiiciatur, aut numeratio aut alia causa. Si numeratio, preiudicium parit, competit tamen exceptio intra biennium; post biennium cum effectu tenetur, ut C. de non numer. pecun. cum ultra*, (L. 9.). *Si alia causa, aut vetustior, aut alia; si vetus, ut causa depositi et huiusmodi, preiudicat, ut tamen per contrariam scripturam infirmari possit illa confessio et retractari, ut supra de non num. pecun. Generaliter* (L. 13.)*; si alia, preiudicat, ut possit illa per testes infirmari. Hec itaque sic se habent, cum inducitur confessio ad obligandum. Cum vero ad aliquem liberandum, statim generatur preiudicium in causa dotis et depositi et fiscalibus functionibus; in aliis vero post XXX dies; et hec retractatur per contrariam scripturam vel per testes. — Si vero non solempniter confitetur, aut in iure,*

aut non in iure. Cum in iure, sibi preiudicat, nisi (excusetur) *per absenciam adversarii, aut errorem, aut per dolum. Sed quandoque inducit condempnationem talis confessio, quandoque loco condempnationis est. Condempnationem inducit in crimine, et ubi confitetur se deliquisse vel contraxisse, et est necessaria sententia, non est post*, (in his vitium latet) *si alias dicat se obligatum. Alii distinguunt inter crimen et contractum, ut in crimine tantum inducat condempnationem, in aliis vero sit loco condempnationis. Cum vero non in iure confiteatur, aut in ultima voluntate aut inter vivos; si in ultima voluntate, aut ad obligandum aut ad liberandum, et aut prestito iuramento, aut non. Si prestito iuramento, sive ad obligandum sive ad liberandum, sibi et heredibus preiudicat, ut in auta. de iuramento a moriente prestito.* (Nov. 48.) *Si non prestito iuramento, non preiudicat, excipitur causa fideicommissi. Si vero inter vivos, aut ad obligandum, aut ad liberandum. Si ad obligandum, non preiudicat; si vero ad liberandum, non preiudicat, nisi adhibita solempnitate, que adhibenda est in confessione solutionis debiti, scilicet adhibitis V testibus ad hoc vocatis, ut ff. de probationibus.* (Sed ibi nihil huius rei!)

[P. 292. not. 355. v. 11. *Azo in Summa ad h. t.*] Azo in Brocard. p. 403. regulam habet: *Confessio extra ius facta probationem inducit.* Tum ita pergit: *Haec Rubr. secundum Ia. simpliciter est vera; ego contradico, ut nec etiam praesumptionem inducat, cui stetur, etsi non probetur contrarium, arg. ff. de inter. act. l.* 1. §. *ult.*

[P. 295. not. 377. in. fine] Ad L. 34. vv. *privilegium post fiscum* Gl.: *Istud ergo secundum quorundam sententias ad certas acciones debet retorqueri, dictas in legibus precedentibus, ut sc. fiscus semper preferatur; sed melius est, ut ordo scripture sit, et secundum enumerationem unus alii preferatur. Idem dici potest de autenticis, quod ea, que in IIII. vel in V. collatione sunt, optineant, si in prima vel in secunda contraria fue-*

cult... seq... ter... qu... bu... esi... eo... qu... fi... n... n... p...

... contrarietas supra de episc... monachus, supra de sa... ...autem optinent supra de fidei...

... Ad L. 2. pr. vv. praeterquam ... non distinguit, qualiter lege ...ceatur, sed dicit, quod ita solet

... Interest, mandavi tibi ..... ini... Hoc Scholion illustrat Gl. ad L. 6. ...paritum erat mandato meo, hic ...ministrasti, unde non liberat te obli... ...nem, quia fecisti, licet nulli mini... ...ui mandasti, faciendo opus mihi ...non ei, sed alii mandavi, non eius ...ministravit hic tibi, quia non ...ut tuo nomine faceret, sed meo; ...ministrando fecit, tenetur. Eadem

... v. 17 — 20. directo .... nec utili... ed. Haubold.

...] Glossam hic adscriptam v. in...

... 4.] Ad L. 2. pr. v. intentionem ...non. supple sc. rei. — Ad v. con... ...quia semper actor nititur, ut ... in marg.: Vacar. sic legit: in... ...utraque referatur ad actorem. ...exceptio intentioni eius, quandoque ...intentioni, ut si conveniatur de pe... ...V. et obiiciatur exceptio, quod ...mari, quia non sunt in peculio.

... Ad L. 2. §. 1. D. h. t. vv. non... ...sc. Gl.: Quia si aliter diceremus, ...soluto eo, quod non debetur,

... ci... (I... fir... fes... sta... et f... et h... stes.

contingeret liberatio; cum enim debeat hominem in genere, non tenetur ad certum hominem, vel certi hominis partem, unde cum contingat liberatio solutione partis stichi, solutione partis pamphili, continget liberatio non soluto homine; non enim due partes diversorum hominum constituunt hominem: unde in hoc casu in nullo continget liberatio, vel in pendenti est: quia si postea solvatur alia pars stichi, continget liberatio, si alius homo, media pars stichi condici potest. — Tum ad initium §. 2.: *In homine, ubi natura res divisionem recipit, ita demum solvendo partes liberantur heredes, si omnes per partes totum solvant. In itinere vel actu vel via, ubi res divisionem non recipit, unusquisque heredum tenetur in solidum, sed uno solvente ceteri liberantur per fam. herc. iudicium.* — Mox ad initium §. 3.: *Secundum Gar. suppletur: ita dico de heredibus promissoris in obligatione de itinere, actu, via. Si tamen* etc. — Tum ad v. *egero* Gl.: *secundum Gar.: et optinuero.* — Ad vv. *ut et solvi possit* Gl.: *et suppleat quod actum est retro, ut ista solutio priorem confirmet, et ex hac posteriore et priore contingat liberatio, que prius fuit in pendente.* Denique ad vv. *etsi ... latum sit: quia sc. ita demum valet stipulatio, si illa pars stichi soluta sit, unde ita supplet:* (sc. Gar.) *cum uno egero et optinuero. Vac. aliter legit.* Quo modo autem intellexerit, ex hoc Scholio apparebit in margine posito: *Iudicii et acceptilationis ea vis est et potestas, ut alia re, quam que debetur, vel etiam nulla soluta, obligationis et litis causa capiatur. Solutio vero eius tantum rei, que debetur, et non alterius, obligationem tollit. Quare si cum uno ex heredibus eius, qui mihi hominem debebat, egero, sive optinuero sive non, pro ea parte obligatio nimirum perit, ut pars duntaxat obligationi ceterorum supersit, quamvis uno ex his solvente, in nulla parte obligatio perimatur, donec totus homo solvatur.* — Cum his cohaeret Gl. ad L. 10. D. de acceptilatione (quae lex etiam hic in marg. citatur,) adscripta haec: *Sed videtur maior vis et potestas acceptilationis, que est imago solutionis, quam vere solutionis,*

quia si stichus deductus esset in stipulationem, et soluta esset medietas, nihilominus totum peti posset, quanquam verum esset: si tamen facta esset vera solutio in iudicio, eandem vim haberet, ut supra de verb. obl. **S t i p u l a t i o n u m** *in fi.* (Intelligitur nostra L. 2. §. 3.) *Quidam tamen sic supplent:* **h o m o** *sc. certus; sed Vac. dicit:* **c e r t u m**, *ut excludat non singula generum, sed genera singulorum, et similiter accipitur supra de edilic. ed. l.* **Q u o d e m t i o n i.** (Intelligitur L. 31. §. ult. L. 32. D. cit., quae ap. Vacar. cohaerent.)

[Ibid. not. 420. v. 2. *omittit Vacarius*] Ad L. 31. D. h. t. vv. *Quare etiam* etc. Gl.: *Argumentum ad causam illam scolasticam, ubi adiecta est hec clausula:* **s i a m b o** etc. **a l t e r v e s t r u m** etc. *quod non possit iudex ille alium loco sui constituere, quia mandatum persone coheret.* Pertinet ad exercitationes, de quibus p. 55. Sed quis casus? — Etiam Azo in Brocard. p. 494. habet: *haec quaestio scholastica est.*

[P. 304. ad not. 421.] Hic ut contrariae designantur L. 12. et L. 13. §. 8. h. t. Tum Gl.: *Solutio Gar.: quoad fideiussorem habet vigorem acceptilatio, quoniam restricta erat obligatio circa personam fideiussoris. — Vac. si contingit liberatio conditionalis legati, non retrotrahitur, ut in G.* **U s u s f r u c t u s** (L. 26. D. de stipulat. servor., quae hic in marg. adscripta.) *Conditionalia autem legata non retrotrahuntur. Unde Vac. aliter est in legatis, aliter in stipulationibus, quia stipulatio retrotrahitur, et valet acceptilatio, et sumit vires ex presenti, unde existente conditione retro intelligitur fuisse debitum tempore stipulationis. Legata non retrotrahuntur. Ratio diversitatis: quoniam stipulatio in iure consistit, unde plurimum in ea operatur iuris fictio, et etiam quando quis promittit per stipulationem, statim est in necessitate obligandi, saltem quoad causam, quia non est in eius potestate an sit obligatus, unde retrotrahitur stipulatio. Legata in facto consistunt, quia in sola voluntate testatoris causam habent, non in necessitate obligationis, quia*

potest testator voluntatem mutare, unde semper presentis factum inspicimus, unde non potest valere acceptilatio conditionalis legati, cum retro non trahatur; unde plura sunt legata, ubi in simili casu una est stipulatio, ut supra de verb. oblig. G. Stipulatio (L. 16. §. 1. D. cit., quae ibi in marg.) Aliam Gl. huic capiti adscriptam v. in notatis ad not. 416.

[Ibid. not. 424. in fine] Porro ad L. 22. §. 3. Gl.: *Sed quare hic non committitur stipulatio in id quod ei abest, vel lucrari potuit, ut supra eod. Si commissa* (L. 13.)? — *Vac.: quia hic non abest ei ex stipulatione, sed ex sententia.*

[P. 305. ad not. 428.] Eadem definitio illustratur in Gl. ad L. 2. de homine libero exhibendo, ita: *Per hoc patet, quod in Insti. de iure personarum debet suppleri in descriptione libertatis, quod libertas est naturalis facultas sc. expedita* etc., *quia si non fuit expedita, non multum differt a servitute, ut hic, et ad exemplum aviculae inclusae.*

[Ibid. not. 435.] Ad L. 80. §. 6. h. t., cui in mg. iuncta L. 43. h. t., Gl. adscriptam v. not. 130. in fine.

[P. 306. ad not. 437.] Cf. Rogerius §. 29. ex ed. Haubold. [V. supra pag. 401.]

[Ibid. ad not. 441.] In L. 13. §. 5. h. t., in margine posita, legitur: *si cum alium contingeret locatio,* Gl.: *publicorum prediorum, vel: legatio, alia litera* (quae est Florentina lectio). Alia Gl.: *fundi vectigalis, quod solebat quolibet anno fundus aliquis publicus locari.*

[P. 307. not. 454. in fine] Ad L. 19. D. h. t. Gl.: *N. Secundum quosdam speciale est in crimine calumpnie, quod possit accusatus de pari vel minori crimine accusare, puta accusatus de adulterio vel homicidio, potest de calumpnia accusatorem suum arguere, quod quidem minus est vel saltem par dici potest propter parem penam, et secundum hoc par erit crimen lese maiestatis*

propter talionem, quam patitur. Sed e contrario dici potest: non enim potest accusare pendente accusatione et inscribere, quod non alias est accusatio, et hoc hic dicitur: sed potest sine inscriptione, ergo et sine accusatione, de calumpnia eum arguere, et non est hoc accusare? .... Sed cum crimen istud ex l. Romana descendat, et ita ordinarium sit, credo quod post accusationem eundem accusatorem possit accusare de calumpnia etc. (Intermediorum sententia obscura.)

[P. 309. ad not. 466.] Ad Auth. *Item* Gl.: *Argumentum contra hospitalarios, qui signacula sua in domibus aliorum imponunt sua auctoritate.*

[Ibid. ad not. 468.] Ad L. 1. v. *occiderit* Gl.: *et dicitur large* (i. e. producitur) *paricida in hoc casu.*

[P. 317. not. *yy*.] *quae nos omnes ad .... (dominum?) tu .. mutua supernum invitat obseq.* Sav.

[Ibid. not. *xxx*.] *perficere cu ...* Sav.

[Ibid. v. ult.] *usu* Sav.

INDICES.



I.

INDEX FONTIUM IURIS

EXPLICATORUM ET EMENDATORUM.

---

1. GAII INSTITUTIONES.

2. ULPIANI FRAGMENTA.

3. PAULI SENTENTIAE.

4. VATICANA FRAGMENTA.

5. THEODOSIANUS CODEX.

6. MOS. ET ROM. LEGUM COLLATIO.

7. IUSTINIANI INSTITUTIONES.

8. DIGESTA.

9. IUSTINIANEUS CODEX.

10. NOVELLAE IUSTINIANI.

11. BASILICA.

12. LEGES SAXONICAE.

II.

INDEX AUCTORUM

EXPLICATORUM ET EMENDATORUM.

10. GELLIUS.

11. CASSIUS DIO.

12. CAPITOLINUS.

12. ROGERIUS BENEVENTANUS.

14. VACARIUS.

15. THOMAS BECKET.

16. CONSULTATT. CONSTITUTT. SAX.

III.

INDEX RERUM ET NOMINUM.

A.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

33 *

M.

N.

O.

P.

S.

U.

V.

W.

ADDENDA ET EMENDANDA.

Praef. p. xv. vers. 1. *pro* MDLVIII. *lege:* MDXLVIII. — P. XI. vers. ult. *pro* ipse ditorumo *lege:* ipso editorum. — P. XXVIII. not. n. vers. 2. *legendum:* §. 53. 74. 102., *et v.* 4. *pro* §. 120. et II. *lege:* et II. §. 120. — P. XXIX. not. v. *pro* crit. *lege:* cit. — P. XXXV. *in fin. et seq. legendum:* Severi Alexandri. — P. XLV. not. m. *pro* L. 4. *corrige:* §. 4.

Pag. 5. not. i. *pro* 162. *scribendum erat:* 372. — P. 6. not.** vers. 7. *pro* edd. *lege:* libris; *in fine addas:* Cf. tamen praef. pag. XXXVII. sqq. — P. 7. not. u. *in fine addendum:* pag. XXVII. sqq. — P. 9. not. c. *adde:* pag. XXIX. — P. 11. not.* vers. 3. *adde:* pag. 203. sq. *et in fine:* pag. XXXV. sq. — P. 12. not. y. *adde:* Cf. praef. p. XLVI. — Ibid. not.* *addas:* pag. XXXIV. sqq. — P. 13. not. e. Coll. LL. M. et R. tit. XIV. §. 3. *adde:* tit. XIV. cap. 3. §. 3. ed. Blum. — P. 14. not. y. *adiiciendu sunt haec:* In repetita huius libri editione (1822.) §. 70. pag. 241—243. GLUECKIUS rem incertam relinquit, sed ipse magis in eam sententiam inclinare videtur, Pium sub Hadriani nomine vix unquam latere. — P. 15. not.* *adde:* p. XI.—XLVI. — P. 27. not.* *adde:* pag. XXIX. — P. 16. not. r. vers. 8. *post vv.* de const. pec. *adde:* p. 194. — P. 17. not. d.: cap. 12. *Imo cap.* 9. — P. 28. v. 20. *adde:* Tit. III. cap. 3. §. 1—3. ed. Blum. — P. 40. v. 25. *adde:* Tit. III. cap. 3. §. 5. 6. ed. Blum. — P. 100. not.* v. 4. *adde:* pag. 195. — P. 104. v. 26. *pro* ai nvene *legendum:* a iuvene. — P. 111. not. m. *adde:* cf. praef. p. XXXII—XXXIV. — P. 134. not. l. vers. 5. *adde:* p. 202. ed. XI. Cf. Gaius comm. IV. §. 16. et SCHILLING *Bemerkk. üb. Röm. Rechtsgesch.* p. 59. sq. Admonendi tamen sumus, Hugonem in recentioribus historiae iuris Rom. editionibus occupationis bellicae non disertis verbis meminisse. — P. 135. not. m. vers. 4—6. *ita emendandum:* ut, quo quis iure in re principali usus est, utatur etiam in re accessoria. — P. 153. not. u. *adde:* Cf. ALEX. AUG. DE BUCHHOLTZ ad Vat. Fragm. §. 314. p. 270. not. — P. 197. v. 3. *a fine pro* V. 11. *lege:* V. 17. — P. 201. v. 28. *pro* Iidem *lege:* Idem. — P. 219. v. 4. *pro* I. 8. *lege:* II. 8. — P. 232. not.** v. 1. et 5. *pro* dystichon *lege:* distichon. — P. 243. not.* *adde:* Vid. pag. L—LII. — P. 311. v. 21. *pro* plebeia *l.* plebeiae. — P. 314. v. 6. *a fine pro* praecentorem *l.* praeceptorem. — P. 357. v. 14. *pro* quid *l.* qui. — Ibid. v. 21. *pro ful. haud dubie legendum: ful.* (Fulgosius). — P. 384. v. 4. *a fine pro* 1518. *emendandum:* 1510. — P. 387. v. 16. *pro* 165. *ponendum:* 163. — P. 471. ad p. 56. omittendus erat locus Henrici Vigorniensis, iam p. 459. excitatus. — P. 504. v. 9. *pro* 12. *l.:* 13., *et v.* 14. *pro* 240. *l.* 402. — P. 507. v. 2. *post* XXXI. *adde:* LXIV.

